TRACTATUS DE SEPTEM ECCLESIAE SACRAMENTIS AUCTORE IO. BAPTISTA...

Giovanni Battista Bizzozero,
Augustinus Terzagus, ...

TRACTATVS
DE SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTIS

Auctore

IO. BAPTISTA BIZOZERO

S. T.D. Sacerdote Varisiensi, moralis Theol. Professore.

Cuilibet Animarum Curatori perutilis,

Et nuperrimè ab Augustino Terzago S.T.D., Oblato, & Canonico S. Thomę Mediolani recognitus, summarijs, & rerum, verborumq; locupletissimo Indice Adauctus.

CVM PRIVILEGIO.



MEDIOLANI,

Ex Typographia Iacobi Cumi, Anno MDCXXII.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Vicecomes Lector Theologus, & Vicarius S. Officij Mediolani.

Fr. Al. Bariola Augustinianus Consultor S. Officij pro Illustriss. Cardinali Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentiss. Senatu.

S. CAROLO BORROMÆO

CARDINALI, ET ARCHIEPISCOPO,

Ecclesiasticæ disciplinæ restitutori, & Mediolanensis Ecclesiæ Patrono.

Flamminius Bizozerus.

QVin seminis iactor in proprio fundo illius messis segetem iure suo sibi vendicet, nullus ambigit; imo omnium confessione tàm turpe est, quàm iniquum eos metere, qui sementem non fecerunt. Non igitur vitio vacare viderentur qualescunq; hæ de septem Ecclesiæ Sacramentis Doctoris Io. Baptistæ Bizozeri fratris quondam mei dissertationes; quin & culpandus auctor, si in lucem proditura aliud sibi quærerent, quàm beatissimi tui nominis nuncupatione patrocinium; nàm & absurdè legeret externus herus alienas fruges, & tuus propè dixerim alumnus, tuis assiduè cumulatus beneficijs, tuaq; opera litteris innutritus, neq; meritum agnosceret, neq; gratiam vllo modo remetiretur. Quare non perperam qui in larario adhucusq; latuerunt tuæ culturæ fructus, ad tua semper imaginis pedes velut prouoluti, in omnium oculis recens exponuntur, exile licet ingentium in auctorem, & totam familiam beneficiorum testimonium. Neq; verendum ne ad eruditiorum ingeniorum limam fatiscant, vbi

cælestem tuæ defensionis calybem in fronte prætulerint; aut obloquatur quis, fore opus minus vtile, insugiserum, & non magni referre aliquanto simpliciter, & ieiunè digestum. Nunquid inter epulas suauiter conditas minus lautè obsonari dicetur qui rudiori cibo semi sepultum excitet appetitum? Nunquid inter varia mundi opera non omnia suum vsum habent? nunquid apud superstitiosæ antiquitatis fabulosos Deos è Diuorum Concilio extrudebantur, aut claudus Mulciber, aut dicax Momus? Non est omnium idem gustus, & quod vni quandoq; minus sapit, alij stomachum acuit; alium excitat, quod vni fastidium parit; hunc ieiuna breuitas, illum delectat luxuries dictionis. Sed nulli aderunt adeò polyphagi, qui non huic operi libenter, & ex animo faueant, vbi appareat & magni Caroli Cardinalis postmodum inremerito in Sanctorum album relati, iussu digestum, prouehendis illius in Ecclesia laboribus destinatum, & tàm potenti tam sancti nominis, & numinis patrocinio fultum. Addo sperandum illis fore de studiosis omnibus optime meriti Federici Cardinalis tutelam, qui vt hæres Gentil ciæ dignitatis, & virtutum, ita memor candoris, et imitator animi præcipuum placidissimo benignitatis suæ oculo his afferet ornamentum. Ità illum diu sospitet Deus, vt duplici Tyndaride, altero è cælis, altero in terris mitius aspiciente, dextro omine vestro hæc nomini dicata familia, saceráq; populus placidũ subeant vitæ suæ curriculum. Mediolani, Idibus Septembris Anno à Par. Vir. 1622.

AVGVSTINVS TERZAGVS

S. T. D. Oblatus, & Canonicus S. Thomæ. S.

EXpetitas tamdiu, & tam enixè litteratorum votis exoptatas habes iam, Amice Lector, Io. Baptistę Bizozeri lucubrationes. Prodeunt illæ tandē, & licèt longo tēporis decursu per omnium manus traductæ, & volutatæ, gratia typorum lucē accipiunt. Instabant plurimi aut doctissimi Sacerdotis opera litteris eruditi, aut publico commodo seruientes, multoq; irascebātur stomacho, vt proderentur, quæ tot iam annis latuerunt, vt vindicarentur ab interitu, quem temporis vitio, & amicorum incuria seniū, & blattæ fuerant allaturæ. Quod quia cū maxima rei litterariæ iactura euenisset, ideò lætandum quam maximè, quod similes ægrotantibus lippitudine licèt lōgo tempore aliena culpa ægre, medicos tādem repererint, quorum opera recreatæ solem videre poterunt. Sed ne succense Lector optime, ingenti huic pietatis, morumq; alendorum desiderio; nosti opinor, docente & Platone, & natura, in esse cuilibet bono hanc instituti rationē, omni ope Remp. tueri, eiq; parti suppetias ferre, quæ maximè necessaria communi bono censeatur. Extiterunt viri doctissimi, & Theologię moralis professores antiqui, & Neoterici qui acutè practicos huius scientiæ nodos non minus verè, quam subtiliter enuclearunt, inter quos nouissimè Doctorū virorum iudicio mihi in primis charus Martinus Bonacina sæculi nostri decus, Ecclesiastici ordinis ornamentū insigne existimatur collimasse. Fuerunt Sapientissimi Patres, qui scholasticas, Theologicasq; in Academijs ad incudem disputationū reuocatas quæstiones tractarunt, & in publicum ediderunt. Vixerunt qui Sacris litteris imbuti diuina oracula declararunt. At quia eius generis scripta imbecillo multorum captui plusquam Labyrinthæis Mæandris implexa videbantur, erat optandus qui faciliori quo-

dam

dam stylo, & simplici scribendi forma ita se rudioribus etiam ingenijs accomodaret, vt vel medioc ri studio quilibet boni sacerdotis, & Animarum Curatoris partes posset attingere. Quod certè opera Io. Baptistæ Bzozeri adeò factum est, vt non approbatus modò calculis magistrorum, sed primas etiam tulisse ob eam disserendi facilitatem iudicatus sit, quasi nemo Summistarum planius huius scientiæ iter reliquerit, aut pleniore posteritatem obsequio demeruerit. Studuit ille acuratè necessitati eorum temporum, quibus à S. Carolo huius per id tempus Eccl. Mediolanensis antistite Varisio Mediolanum accersitus practicæ Theologię explicandę publicum munus suscepit. Et quia luctandum illi erat cum misera illius ęui conditione, quo Cimmerijs velut inuolucris rerum diuinarum scientia sepulta tenebatur, ideò scribendi facilitate adeò profecit in eorum ingenijs, vt huius ecclesiæ ministri etiam insignes venisse se ad Gymnasium clericalis disciplinæ, & in eo insigniter profecisse tali magistro glorientur. Scilicet Academicarum sectarum argutias deuitans, suaui quadam sermonis sobrietate torpentem ita scalpebat stomachum, vt senescentem excitans appetitum repleret vacantes venas salubri magis, quam gulam irritante cibo, firmaret neruos, corpusq; languidum delicijs abundè constitueret. Vt in his virtutis spatijs maturo tempore summam lauream meritus, à sanctissimo illo Præsule, vno atq; item altero auctus fuerit sacerdotio, Theologici primũ muneris in Collegiata S. Thomæ, mox animarum præfecturæ, quo cęlestis potus propinandi cęteris norma esset, & expeditior ad confluentes vndiq; discendi studio instruendos. Non igitur temerè de tenebris duximus vindicanda, quę aliquando tanto commodo nituerunt. Et quamquam labor fortè periret multis, qui integerrimo iudicio probatissimi subtilioribus quæstionibus vacant; at saltem proderit ijs, qui minus diuturna non adeo excellentis ingenij cultura boni duntaxat sui muneris haberi actores amant. Cæterũ quis dicat ex copia detrimentum nasci? Sed quisquis sis, amice lector, parantur hęc tibi: futura scilicet aut cupido doni argumenti dragmata; aut studioso seuerioris otij quasi lubrica parerga. Vale.

INDEX
Notabilium in hoc tractatu de Sacramentis.

A.

B.

Bapti-

Christus

za-

Ex-

N

O

Par-

T

V

FINIS.

IO. BAPTISTÆ BIZOZERI SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS.

Tractatus de Sacramentis.

Operis diuisio, & propositio dicendorum.

Hæc tractatio diuiditur in octo partes, In quarum prima generatim agitur de omnibus Sacramentis in communi; Et in reliquis septem seorsim agitur de singulis Sacramentis nouæ legis in particulari.

Rursus prima pars diuiditur in nouem Capita, in quorum primo agitur de nomine Sacramenti; In secundo de deffinitione Sacramenti; In tertio de materia, & forma Sacramentorum nouæ legis; In quarto de institutore Sacramentorum nouæ legis; In quinto de fine, & effectu Sacramentorum; In sexto de necessitate Sacramentorum; In septimo de numero Sacramentorum nouæ legis; In octauo de ministro Sacramentorum nouæ legis; In vltimo de ceremonijs, quæ adhibentur in administratione Sacramentorum.

PRIMAE PARTIS CAPVT PRIMVM.
De nomine Sacramenti.

1 *Nomen Sacramenti quot significet.*
2 *Nomen Sacramenti an nouũ sit apud auctores.*

IN hoc capite primo quæritur quid significet hoc nomen Sacramentum? Ad hoc respondeo cùm Catechismo Rom. vbi de Sacramentis in genere: & Dom. Soto lib. 4. sentent. distinct. 1. q. 1. art. 1. & Ruberto Bellarmino Tomo 1. de controuersijs Christianæ fidei. lib. 1. cap. 8. quòd hoc nomen Sacramentum non vnam tantùm significationem, sed plures habet; nam apud sacros scriptores, (vt ethnicos qui eo et sæpe vsi sunt

omittamus) nomen Sacramenti primò aliquando significat idem, quòd iuramentum, vt in Concilio Toletano ij. c. 9. vbi dicitur, quòd qui promouendi sunt ad ordinem Episcopatus astringendi sunt Sacramento, an aliquid precij dederint alicui, vt Episcopatum obtineant; & in Decreto 2. quæst. 5. cap. Sacramentum, vbi dicitur Sacerdotes non esse astringendas ad Sacramentum, idest iuramentum; & 35. q. 6. c. Illud Sacramentum, vbi apertè patet, nomen Sacramenti sumi pro iuramento. Ratio autem cur iuramentum dicatur Sacramentum, vt etiam dicit Bellar. loc. cit. cap. 8. est quia, qui iurat rem sacram citat, idest Deum ipsum in testem, Iurare enim est Deum in testem inuocare. secundo, Nomen Sacramenti aliquando significat idem, quod sacrum secretum, vt Daniel. 2. vbi dicitur, Quoniam potuisti aperire Sacramentum hoc; & Tobiæ 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est; & ad Galat. 3. Quę sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Tertio, Nomen Sacramenti aliquando sumitur pro signo rei sacræ à Deo instituto, ad nostram sanctificationem; & hoc modo tantùm sumitur in hac nostra tractatione.

2 Quæritur secundò, an nomen Sacramenti in tertia significatione sit nomen nouum, an priscum? Respondeo, quòd hæretici moderni, vt refert Bellar. cap. cit. multum abhorrent ab hoc nomine Sacramentum, in hac tertia significatione, quoniam existimãt illud esse nouum, quantùm ad dictam tertiam significationem; sed magnoperè errant, nam nomen Sacramentum, in hac tertia significatione, non nouum, sed antiquissimum est; In tali enim significatione eo vsi sunt, & D. Aug. Epist. 118. & D. Hierony. cap. 44. in Ezechiel. vt etiam refert Catechis. Rom. vbi de Sacram. in genere: imò, & antiquissimus Tertull. in lib. de præscriptionibus cap. 16. & D. Cyprian. multis in locis; imò, & in tali significatione, eo vsus est. D. Paul. ad Ephes. 5. vbi dicit, Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia: iuxta expositionem D. Hierony. Chrys. Oeconomij, & aliorum Doctorum Ecclesiasticorum. Quod si dicas quòd eo in loco græcè legitur mysterium. Respondeo, vt etiam dicit Bellar. cap. 8. cit. quòd Sacramentum latinè in hac significatione, & mysterium græcè sunt synonima: Deinde dico, quòd etiamsi nomen Sacramenti in hac significatione non reperiretur in sacra Scriptura; possumus, & debemus eo vti, quoniam eo vsi sunt antiqui Doctores, quos citauimus; sicut & in vsu habemus multa alia nomina, quæ non sunt in sacra Scriptura; dicimus enim Deum esse trinum in personis, & Filium, ac Spiritum sanctum esse Patri consubstantialem, quia antiqui Patres vsi sunt his vocabulis, etiam si talia vocabula non sint in sacra Scriptura; sed tantum eorum sensus; In sacra enim Scriptura non fit mentio nominis Trinitatis, aut personę, aut consubstantialitatis. Atque hæc de nomine Sacramenti.

Caput secundum, De diffinitione Sacramenti.

1 *Sacramentum quid sit.*
2 *Quid sit signum.*
3 *Quotuplex sit signum in genere.*
4 *Signum in Sacramentis quid importet.*
5 *Signum ex diuina institutione quotuplex sit, & quomodo ex eo distinguantur Sacramenta noua, & veteris legis.*
6 *Quid veniat nomine rei sacræ in Sacramentis.*
7 *Non omnia signa sacræ rei sunt Sacramenta.*
8 *Vtrum Sacramentum sit signum alterius rei, quàm gratiæ.*
9 *Sacramentum quotuplex signum sit.*
10 *Sacramentum noua, & veteris legis in quo differant.*

In

1 IN hoc capite primo quæritur quid sit Sacramentum? Ex multis deffinitionibus, quę afferuntur à Scholasticis DD. lib. 4. sent. d. prima illa eligitur tamquã breuior, & melior, quę desumitur ex verbis D. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei. cap. 5. & refertur, de consecratione dist. 2. c. Sacrificium, & quam refert, ac laudat Catechis. Rom. vbi de Sacramentis in genere, quæ est hæc, Sacramentum est signum sacræ rei; Quæ deffinitio vt clarior existat, explicandæ sunt eius duæ particulæ, quarum altera est (signum) altera (sacræ rei.)

2 Pro explicatione primæ particulæ, Notandum est primò, quòd signum, vt ait D. Augustinus lib. 2. De Doctrina Christiana cap. 1. est illud, quod præter id, quod ingerit sensibus, in alterius rei cognitionem, & notitiam nos deuenire facit, vt vestigium pedis in niue impressum dicitur signum, quia præter id, quod ingerit sensibus, quod est ipsummet vestigium, in alterius rei cognitionem nos deuenire facit, quòd videlicet aliquis illac transierit.

3 Secundo notandum est, quod signum triplex est, naturale, humanum, & Diuinum; signum naturale est illud, quod naturaliter significat, idest quod præter id, quod ingerit sensibus, naturaliter facit nos deuenire in cognitionem alterius rei, vt fumus est signum naturale, quia naturaliter præter ipsum, quem videmus, facit nos deuenire in cognitionem, ignem prope esse: Similiter suspiria sunt signa naturalia doloris, aut mœstitiæ. Signum humanum est illud, quod non naturaliter significat, sed ex institutione hominum, vt signum campanarum dicitur signum humanũ, quia non naturaliter, sed ex institutione hominum significat recitandas esse Vesperas; vel Senatum esse habendum; & huiusmodi signa sunt vexilla, Familiarum insignia, & similia. Signum diuinũ est illud, quod nec significat naturaliter, neq; ex humana institutione, sed ex diuina.

4 Et hoc modo Sacramenta dicuntur signa; nam Sacramenta sunt signa, quæ prę ter id, quod ingerunt sensibus, ex diuina institutione in alterius rei cognitionem nos deuenire faciunt, vt ablutio, quæ fit in Baptismo sub illis verbis, Ego te baptizo &c. est signum à Deo institutum ad significandum interiorem ablutionem, quæ in Baptismo fit in anima per gratiam.

5 Tertiò, Notandum est, quòd signum institutum ad aliquid significandum ex institutione diuina duplex est; Aliud, quod significat tantùm; & aliud, quod efficit id, quod significat, Sacramenta veteris legis, & Agnus paschalis, & cætera, erant signa primi generis, quia significabant gratiam, quam non efficiebant; Sacramenta verò nouæ legis, vt Baptismus, & cætera, sunt signa secundi generis, quia & gratiam significant, & eam in anima instrumentaliter efficiunt, vt ablutio exterior, quæ fit in Baptismo, sub prę scripta forma verborum, non tantùm significat ablutionem interiorem animę, quæ fit per gratiam, à peccatis, sed etiam eam instrumentaliter efficit.

6 Pro explicatione alterius particulæ, quæ est (sacræ rei) notandum est hoc vnum tantùm, quod per sacram rem in hac deffinitione intelligenda est, vt oẽs DD. intelligunt, gratia gratum faciens; nam, vt inquit Catechis. Rom. vbi de Sacram. in genere; & Dominicus Soto lib. 4. sent. d. 1. q. 1. ar. 2. gratia gratum faciens per antonomasiam absolutè dici tur res sacra, quia ipsa sola formaliter nos sanctificat, & Deo consecrat; licet enim Deus sit res sacra, Angeli, Sacerdos, calix consecratus, & cætera; tamen nos nõ sanctificant formaliter, nec Deo nos formaliter consecrant, sed sola gratia.

Atq; ex his primo patet quomodo sit intelligenda illa deffinitio, Sacramẽtum est sacræ rei signum, idest Sacramentum est signum à Deo institutum ad signifi-

candam gratiam, quæ nos sanctificat, & Deo consecrat.

7 Secundo ex his patet quòd licet cruces, imagines Sanctorum, & alia multa sint signa sacræ rei, non tamen dicenda sunt Sacramenta, quia non significãt rem sacram, idest gratiam prout fórmaliter nos sanctificat; sed vel auctorem gratiæ idest Deum; vel caussam meritoriam gratiæ, idest passionem Christi; vel eos, in quibus est gratia, idest sanctos, & iustos homines.

8 Quæritur secundo vtrum Sacramentum sit signum alterius rei, quàm gratiæ gratum facientis? Ad hoc respondeo cũ D.Th. in 3.p. q.60. art. 3. quòd licet Sacramentum præcipuè sit signum gratiæ; cũ tamen gratia procedat ex merito passionis Christi, & detur in ordine ad vitã æternam, ideo fit vt Sacramentum non tantum significet gratiam gratum faciẽtem; sed etiam passionem Christi, & vitam æternam.

9 Vnde vt optimè dicit D. Thom. artic. cit. Sacramentum nouæ legis est signum rememoratiuum, demonstratiuũ, & prognosticum, Rememoratiuum quidẽ passionis Christi, quæ iam transijt; Demonstratiuum gratiæ, quæ confertur per ipsum Sacramentum, & Prognosticum vitæ æternæ, quæ expectatur.

Quòd si dicas Sacramenta nouæ legis, vt dictum est, efficiunt id, quod significant, igitur non significant passionem Christi, quia eã efficere minimè possunt. Ad hoc respondendum est quòd cùm dicimus Sacramenta nouæ legis efficere, quod significant, intelligendum est de ipsis, non vt sunt signa rememoratiua, sed principaliter vt sunt signa demonstratiua, & aliquo modo prout sunt signa prognostica; Efficiunt enim Sacramenta nouæ legis gratiam, quam principaliter significant; & aliquo modo gloriam æternam, quæ est per gratiam.

10 Atque ex dictis infertur quænam differentia sit inter Sacramenta veteris legis, & Sacramenta nouæ legis; nam primo illa tantùm significabãt gratiam, ista verò & gratiam significant, & efficiunt; Quare illa erant instituta tantùm vt signa, hæc verò sunt instituta, vt sint signa, & instrumenta gratiæ; Sunt enim Sacramenta nouæ legis à Deo instituta non tantùm ad significandum, sed & ad efficiendum id, quod significant.

Secundo Sacramẽta veteris legis erãt signa prognostica passionis Christi, quia eo tempore, quo durabant ea Sacramenta, passio Christi nondum facta erat; sed Sacramenta nouæ legis sunt signa rememoratiua passionis Christi, quia remanent post passionem Christi.

Tertio Sacramenta veteris legis non aperiebant cœlũ, quia passio Christi nõdum facta erat; sed Sacramẽta nouæ legis aperiunt cælum; statim enim ac aliquis mortuus est post passionem Christi, & eius Ascensionem, per quam apertum est regnum Cœlorum; per Sacramenta nouæ legis, si ea debitè suscepit, in cœlũ ingreditur; nisi obstet aliqua culpa mortalis, vel aliqua pœna in purgatorio purganda; sed ante passionẽ Christi qui moriebantur nõ poterant statim ad Cælum euolare. atque hæc de hoc capite.

CAPVT TERTIVM.

De materia, & forma Sacramentorum in communi.

1 *Quid materia, quid forma in Sacramentis.*

2 *Cur verba dicantur forma, & res materia in Sacramentis.*

3 *Cur in institutione Sacramentorũ addita sint verba rebus.*

4 *Sacramenta attingunt corpus, & animam.*

5 *Verba adduntur rebus ad determinationem effectus Sacramenti.*

6 *Qualis debeat esse materia Sacramentorum.*

7 *Duplex permixtio in materia, alia essentialis, alia accidentalis; prima tollit*

tollit idoneitatem materia, secunda non item.

8 *Idem accidit in variatione forma.*

9 *Variatio forma multipliciter contingit.*

10 *Per additionem vel in principio, vel in fine, vel in medio.*

11 *Variatio per mutationem, uel additionem littera, vel syllaba non tollit formam remanente sensu.*

12 *Variatio per diminutionem, interpositionem, mutationem verborũ, vel interpellationem quomodo tollant formam.*

13 *Qua variatio tollat formam Sacramenti.*

14 *Quanam simultas materia, & forma Sacramẽtis necessaria sit, vtrũ physica, an moralis.*

1 IN capite primo quęritur quid sit id, quod dicitur materia, & id, quod dicitur forma in Sacramentis? Respondeo quòd materia in Sacramentis dicitur illa res, ex qua simul cum verbis conflatur Sacramẽtum; verba vero sunt illa, quæ dicuntur forma, Et antiquitus apud priscos dd. materia Sacramentorũ dicebatur res, seu elementum; forma vero dicebantur verba, vnde ait D. August. tract. 80. super Euang. D. Ioan. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramẽtum; Sed apud DD. recentiores verba dicuntur forma, res verò, quibus verba adduntur, dicuntur materia ad similitudinem compositi naturalis; Nam sicut partes, quæ componunt aliquod tertiũ naturale, dicuntur materia, & forma, vt corpus in homine dicitur materia hominis, anima vero dicitur forma, ex quo corpore, & ex qua anima conflatur homo tamquam ex duabus partibus essentialibus: ita Sacramentum, cum constet rebus, & verbis tamquam ex duabus partibus essentialibus, inde fit vt altera earum partium dicatur materia; altera verò dicatur forma.

2 Quæritur secundo, quare potius verba dicantur forma Sacramentorum, quã res ipsæ; & quare res dicantur materia? Respõdeo quòd Sacramentũ potest considerari, vt est simile composito naturali; at in composito naturali materia pręcedit, forma accedit; ita in Sacramento accedit verbum ad elementum. Item in composito naturali materia est indeterminata; sed determinatur & coarctatur à forma; ita in Sacramento verba determinant indifferẽtiam significationis elementi; vt Aqua, quæ est materia Baptismi, sicut est habilis ad refrigerandam, ad abluẽdum, & ad multa alia, ita est habilis ad significandam ablutionem, & refrigerationem & alia, sed per verba Ego te baptizo, &c. determinatur ad significandam, & efficiẽdam ablutionem animæ à peccatis. Denique vt in composito physico materia est imperfecta, forma est perfecta; ita in Sacramento verba in ratione signi sunt rebus perfectiora, cum sint signa multo clariora, & perfectiora.

3 Quæritur tertio, quare Christus dominus in institutione Sacramentorũ voluerit addere verba rebus; videbantur enim res sufficientes ad Sacramentũ constituendum, pręcipue cũ in Testamento veteri haberentur Sacramenta, quæ nullam habebant formam, prout dicit Cathec. Rom. vbi de materia Sacram. in genere; & D. Tho. 3. p. q. 60. artic. 6. quibus Sacramentis Sacramenta nouæ legis successerunt? Respondeo cum D. Tho. art. 6. cit. quòd tribus de caussis voluit Christus dominus addenda esse verba rebus in Sacramentis nouæ legis; quarum prima est ex parte ipsius Christi instituentis ipsamet Sacramenta nouæ legis, qui Christus Dominus est caro verbo vnita; & caro est res materialis, verbum vero res spiritualis; ita & Sacramenta, quæ ab ipso instituenda erant, debuerunt habere res materiales verbis vnitas, vt esset aliqua proportio effectus, idest Sacramenti nouæ legis, ad suum institutorem, qui est Christus Dominus.

Se-

4 Secunda caussa est ex parte hominis, ad cuius sanctificationem Sacramenta fuerunt instituta; cum enim Sacramenta sint instituta ad hominem sanctificandum, & homo constet anima, & corpore, debuerunt & Sacramenta constare rebus, quibus tangitur corpus; & verbis, in quibus præcipuè consideratur sensus, quò anima afficeretur; nam verba secũdum sensum vsque ad animam penetrãt, & maximè prout illis est credendum.

5 Tertia caussa, quare in Sacramentis debuerunt verba addi rebus; quam etiã affert Cathe. Rom. vbi de materia Sacramentorum in genere; est ex ratione ipsius Sacramenti, vt videlicet magis significaretur effectus Sacramentorum; nam vt optimè ait D. Aug. lib. 2. de doctrina Christiana. cap. 3. Verba habent maiorẽ vim significandi, quàm res ipsæ; vnde obscura esset in Sacramẽtis significatio, nisi adderentur verba rebus; vt cum quis aqua corpus tingit; cũ aqua habeat vim & refrigerandi, & abluendi, dubium esset an in Baptismo adhiberetur aqua ad refrigerãdum hominem, an vero ad abluendum: Vt ergo intelligamus aquam in Baptismo adhiberi ad ablutionem spiritualem, adduntur verba, Ego te baptizo & cætera; quæ significant ablutionẽ, vt antea dictum est; Sacramentis autem veteris legis non adhibebantur verba, quia non erant Sacramenta perfecta, sicuti nostra; ea enim erant imperfecta, nostra verò perfectissima.

6 Quæritur quarto, an si materiæ alicuius Sacramenti permisceatur aliqua alia res alterius naturæ, Sacramentum sit validum, vt si aquæ permisceatur vinum, an sit illa aqua vino permixta idonea materia ad efficiendum Sacramentum Baptismi, seu an si vino permisceatũ aqua, vinum sit idonea materia ad perficiendũ Sanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtũ. Pro responsione notandum est quod duplex potest esse talis permixtio, altera, quę tollit naturam, seu speciem, aut essentiam, vel formam rei illius, quæ est materia Sacramenti; & quæ dicitur essentialis; altera vero permixtio est, quæ non tollit naturam, seu speciem, vel formam, aut essentiam rei, quæ est materia hoc notato Sacramenti quæ dicitur accidentalis. Dico primo quod si permixtio sit tanta, quæ tollat naturã rei illius, quæ est materia Sacramentorum, secundum communem DD. sententiam, res illa non potest amplius esse idonea materia illius Sacramenti, vt si multum vinum misceatur paucę aquæ, illa aqua nõ amplius potest esse materia Baptismi, quia non est amplius aqua, sed potius vinum; si multum est vinũ, & paucę aqua, quibus facta est mixtio; vel aliquod tertium conflatum ex vtroque, vt si permisceatur multa aqua multo vino, vel paucum vinum modica aqua. Simili modo si modico vino permisceatur multa aqua, tale vinum non est idonea materia ad efficiendum Eucharistiæ Sacramentum, quia non est amplius vinum, sed aqua. Et quod dicitur de aqua, & vino, intelligite de oleo in alijs Sacramentis, quorum oleum est materia; cui si immisceatur aliquis alius liquor, ita vt tollatur natura, seu species olei oliuarum; nõ erit amplius illud idonea materia ad Sacramentum conficiendum, vt si rudis sacerdos oleo oliuæ misceret multum olei nucum.

7 Dico secundo, quod secus esset, si mixtio non est tanta, quæ tollat naturam rei, vt si paucum vinum misceatur cum multa aqua, vel si multo oleo oliuæ immisceretur paulum olei nucum, quia tũc remaneret natura olei oliuarum.

8 Quæritur quinto vtrum variatio formæ tollat Sacramentum? Respondeo, quòd duplex potest esse variatio formæ Sacramentis alia, quæ tollit propriũ sensum verborum, & quæ dicitur essentialis: alia quæ non tollit proprium sensum verborum, & quæ dicitur accidentalis: prima variatio, in forma Sacramenti tollit Sacramentum; secunda non tollit.

9 Potest autem hæc variatio fieri multis

tis modis; primo vel per additionem in principio formæ, vel in medio, aut in fine: In principio, vt si quis diceret Ego Io. Baptista te Baptizo &c. In medio, vt si quis diceret, Ego baptizo te in nomine Patris, qui est prima persona Sãctissimæ Trinitatis &c. In fine, vt si quis diceret, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qui à Patre, Filioque procedit; Et in his tribus variationibus non tollitur forma Sacramenti, quia verborum sensus remanet perfectus: secus esset, si quis diceret, Ego baptizo te in nomine Patris, qui non est prima persona Sanctiss. Trinitatis, &c.

10 Secundo variatio potest fieri per mutationem, vel per additioné alicuius litteræ, vel syllabæ in aliqua dictione, vt si quis diceret Ego te baptizo in nomine Patrias, & Filias, & Spirituas sanctas; & tunc talis forma non tolleret Sacramentum, quia non est tanta variatio, quę tollat sensum verborũ; vnde Zacharias Papa dist. 4. cap. retulerunt, determinauit quòd ille, qui cum prædicta forma baptizauerat, verè baptizauit: Si verò mutatio litteræ, vel syllabæ fieret in principio dictionis, vt si diceretur baptizo te in nomine matris, &c. ponendo M. loco P. vitiaret formam, quia tolleretur eius sensus; Pater enim non significat idem, quòd mater. Idem dicendum est de diminutione, vt si quis diceret baptizo te in nomine tris, &c.

11

12 Tertio forma variari potest per diminutionem alicuius dictionis, vt si in forma baptismi omittatur Ego, vel Patris; & tunc si talis diminutio tollit sensũ verborum, tollitur Sacramentum; sin minus, non tollitur: Non tollitur autem sensus, si omittatur dictio, Ego, quia intelligitur in verbo, Baptizo, cum sit personæ primæ:

Quarta variatio potest fieri per interpositionem, vt si quis diceret, Ego te baptizo, interponendo hæc verba (caue ne tangas aquam) in nomine Patris, &c. tunc, quia seruatur sensus verborum, nõ tollitur forma; secus esset si lungam orationem interponeret.

Quinta variatio potest fieri per mutationem verborum, vt si quis lingua Italica, vel germanica, vel græca proferret formam Sacramenti; & tunc, modò seruetur sensus verborum, non tollitur Sacramentum.

Vltima variatio potest fieri per interpollationem, vt si quis diceret, ego te baptizo, deinde taceret per aliquod tẽpus; postea sequeretur: Tunc si tanta est interpollatio, quæ tollat sensum verborũ, tollitur etiam Sacramentum; si non est tanta, quæ tollat sensum verborum, nõ tollitur Sacramentum.

13 Sit ergo hæc regula generalis ꝙ omnis variatio formæ Sacramenti, quæ tollit sensum verborum formæ, tollit Sacramentum: illa verò, quæ non tollit sensũ verborum formæ, non tollit Sacramentum, siue fiat per diminutionem, siue per additionem, siue per interpollationem, siue per interpositionem, siue alio modo. Verum quidem est quòd omnis variatio formæ, etiamsi sit accidentalis, si fiat ex industria est peccatum, vt omnes Doctores dicunt.

Quæritur vltimo vtrum in Sacramẽtis materia, & forma necessario debeant esse simul? Resp. quòd dupliciter potest esse quòd materia, & forma in Sacramẽtis sint simul; vno modo punctuatim, ita quod dum profertur forma, simul & applicetur materia; & dum applicatur materia, simul & proferantur verba; & hæc simultas non est necessaria, licet sit laudabilis. Alio modo materia, & forma possunt esse simul moraliter, idest quod statim prolata forma, applicetur materia; vel applicata materia, statim proferantur verba; & hæc saltem simultas est necessaria: nam si post aliquod tempus proferantur verba postquam applicata est materia, vel è contrà, non erit Sacramentum, maximè si est notabilis mora: nam sicut, vt sit totum aliquod naturale in eodem tempore, requiritur naturalis

lis vnio materiæ cum forma; ita, vt fit totum Sacramentale; requiritur saltem moralis vnio materiæ illius Sacramenti cum forma.

CAPVT QVARTVM.

1 *Sacramentorum institutor quis.*
2 *Potestas instituendi Sacramenta vtrũ communicabilis alicui creaturæ.*
3 *Cur Christus hanc potestatem non communicauerit.*

1 IN hoc capite primo quęritur quis instituit Sacramentum? Resp. quòd Sacramenta nouæ legis solus Christus dominus instituit; & hoc est determinatum de fide; nam post Conc. Florent. sub Eugenio 4. Concilium Trid. sess. 7. c. 1. determinauit tamquam de fide solum Christum dominũ instituisse Sacramenta nouæ legis, sub his verbis: Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino Nostro instituta &c. anathema sit.

2 Quòd si dicas D. Cyprianus in lib. de ablutione pedum; Hugo li. 1. de Sacram. Alex. Alen. 4. p. suæ summæ. q. 24. Magist. sent. Marsil. & D. Bonau. in 4. sent. qui fuerunt Doctores Catholici, existimarũt non omnia Sacramenta fuisse à Christo Domino instituta, ergo non est de fide Sacramenta omnia fuisse à Christo Domino instituta. Resp. quòd errarunt prędicti Doctores; non tamen fuerunt hæretici, quia eorum temporibus nondum erat ab Ecclesia determinatum, quòd omnia Sacramenta nouæ legis essent à Christo instituta; & si sciuissent Ecclesiam fore determinaturam omnia Sacramenta fuisse à Christo instituta, contrarium non dixissent; Hæreticus autem est ille, qui credit errorem contra fidem Catholicam cum pertinacia, idest paratus eum credere, etiamsi sciret Ecclesiam Rom. contrarium determinare, vel credere.

3 Quęritur secundo, vtrum Christus potuerit dare facultatem instituẽdi Sacramenta alicui homini? Resp. quòd potuit Christus homini etiam priuato dare facultatem instituendi Sacramenta: Imò & potuit Christus dare potestatem alicui homini conferendi effectum Sacramentorum, idest gratiam, & characterẽ sine ipsis Sacramentis, ministerialiter tamen; vt dicit D. Tho. 3. p. q. 64. art. 4. sed id noluit facere Christus. Primò, quia fuisset periculum, ne homo in homine spem posuisset. Secundò, quia potuissent esse Sacramẽta diuersa. Tertio, quia alioquin in Ecclesia fuisset magna confusio, sicuti erat tempore Apostolorum, cum dicebant, Ego sum Pauli; Ego sum Cephę; Ego sum Apollo, vt habetur prima ad Chor. cap. 1.

CAPVT QVINTVM.

De effectu Sacramentorum.

1 *Gratia est generalis effectus Sacramentorum.*
2 *Quid sit Sacramenta conferre gratiã ex opere operato.*
3 *Vtrum omnia Sacramenta conferant eandem gratiam.*
4 *Character imprimitur in tribus Sacramentis nouæ legis non iterabilibus.*
5 *Quid sit character, vtrum signum, an potentia, & qualis.*
6 *Sine hac potestate actiua redditur quis impotens ad alia Sacramenta.*
7 *Cur non in omnibus Sacramentis imprimatur character.*

IN hoc capite primo quęritur. Quinã sit communis effectus Sacramentorum? Resp. secundum communem DD. opinionem, quòd est gratia gratum faciens: Omnia enim Sacramenta, vt diximus supra cap. 2. conferunt gratiam gratum facientem omni suscipienti ea, si nõ ponatur obex; & hoc est de fide, & determina-

minatum in Conc. Trid. seſſ. 7. can. 7. ſub his verbis, ſi quis dixerit non dari gratiã per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei; etiã ſi ea rite ſuſcipiant; ſed aliquando; & aliquibus; anathema ſit: & can. 8. habetur eadem determinatio ſub his verbis; Si quis dixerit per ipſa Sacramẽta nouę legis, ex opere operato, nõ conferri gratiam &c. anathema ſit.

2 Quæritur ſecundo, quid ſit conferre gratiam ex opere operato? Reſp. quòd Sacramenta nouæ legis dicuntur cõferre gratiam ex opere operato, ideſt propria virtute; hoc eſt quòd ipſa Sacramẽta nouæ legis, non tantùm ſignificant gratiam; ſed etiam eam conferunt, per modum inſtrumenti: Quare ipſamet Sacramenta, quæ ſunt opera operata, ideſt facta à miniſtro, conferunt gratiam: Secus erat in Sacramẽtis veteris legis; quę, quia tantum ſignificabant gratiam, & eam non conferebant propria virtute; non dicebantur cõferre gratiam ex opere operato; ſed tantum ex opere operantis, ideſt propter deuotionem, & fidem conferentis illa, vel ſuſcipientis; vel propter fidem Eccleſiæ, quæ tũc erat, in qua fide conferebantur Sacramenta.

3 Quæritur tertio, vtrum gratia, quę cõfertur per omnia Sacramenta, ſit eiuſdẽ naturæ, vel ſpeciei? Reſp. quòd gratia, quæ datur per Sacramenta, eſt eiuſdem naturæ in omnibus, vt ait D. Tho. 3. p. q. 62. art. 2. nam gratia, quæ datur in alijs Sacramentis, eſt eiuſdem naturæ cũ gratia, quæ datur in Baptiſmo. Datur tamen in diuerſis Sacramentis ad diuerſos effectus; nam in Baptiſmo datur gratia gratum faciens, vt homo expurgetur à peccato maximè originali; In confirmatione datur gratia gratum faciens, ſed ad alium effectum, ideſt ad corroborationẽ virium in vita ſpirituali. In Sanctiſſima Euchareſtia datur gratia ad alendã animam; In pœnitentia ad conſurgendum à peccato actuali, maximè mortali; In extrema vnctione ad tollendas peccati reliquias; In ordine ad animas dignè regendas, & Sacramenta dignè miniſtranda; Demũ in matrimonio ad dignè procreandos filios in Eccleſia introducendos, & inſtituendos.

4 Quæritur quarto, vtrum aliqua Sacramenta nouæ legis, præter gratiam, imprimant etiam characterem in anima? Reſp. quòd tria Sacramenta nouæ legis, præter gratiam, conferunt etiam characterem: Eſt autem character ſignũ quoddam ſpirituale, & indelebile, propter qđ illa Sacramenta, quæ illum imprimunt; iterari non poſſunt, & hoc eſt determinatum de fide in Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. ſub his verbis. Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpiritale, & indelebile; vnde ea iterari non poſſunt: anathema ſit. Dicitur autem character ſignũ quoddam, quia eo diſtinguntur Baptizati à non baptizatis, Confirmati à non confirmatis, & ordinati à non ordinatis.

5 Quæritur quinto vtrum dictus character ſit tantum ſignum, an verò ſit etiam quædam potentia? Reſp. cum D. Th. 3. p. q. 63. art. 2. quòd prædictus character, qui à dictis tribus Sacramentis imprimitur, non ſolum eſt ſignum quoddam, quo diſtinguuntur baptizati à non baptizatis, & cætera; ſed etiam eſt quædam poteſtas in Baptiſmo quidem paſſiua, ideſt ad ſuſcipienda alia Sacramenta; In confirmatione autem actiua, ideſt ad cõfitendum nomen Domini apertè, & conſtanter; In ordine etiam actiua, ideſt miniſtrandi Sacerdoti in Diaconatu; & Diacono in Subdiaconatu; & miniſtrandi Sacramenta populo in Sacerdotio: Niſi

6 enim Sacramentaliter quis baptizetur, ſed tantum per Baptiſmum flaminis, ſi tentet ſuſcipere alia Sacramenta, vt ordinem, Ille ordo neque eſt verè ordo, neque Sacramentũ; Et ratio huius eſt, quia, cùm non ſit baptizatus Sacramentaliter, deeſt illi character Baptiſmi, qui eſt

potestas suscipiendi alia Sacramenta. Pari modo si quisputat se esse ordinatum, & non est ordinatus vel propter defectum Ministri, aut eius intentionis, vel propter defectum materiæ, vel formæ; & tentet conferre Sacraméta, & Missam celebrare, talia non sunt vere Sacramenta, quia cùm verè nó susceperit ordiné, nó habuit characterem, qui est potestas actiua, sine qua nó potest confici Sacramentum Eucharestiæ, neque ministrari aliud Sacramentum, excepto baptismo, qui est Sacramentum maximæ necessitatis.

Quæritur vltimo, quare tantùm tria Sacramenta imprimunt characterem? Resp. ex D.Th.q.63. cit. a. 6. q tãtũ tria Sacramenta imprimunt characterem, quia solum per illa tria deputatur homo in Ecclesia ad aliquod officium; In Baptismo enim, vt dictum est, deputatur ad suscipienda Sacramenta; In Confirmatione ad confitendum sine timore nomé Domini; In Ordine ad ministranda Sacramenta: Per alia vero Sacramenta non deputatur homo ad aliquod officiũ in Ecclesia; & ideo per illa non imprimitur character.

CAPVT SEXTVM.

De necessitate Sacramentorum.

1 *Finis institutionis Sacramentorum, cum & sine illis potuerit conferri gratia.*

2.3.4.5. *Institutio Sacramentorum propter hominum instructionem, exercitationem, humiliationem, & significationem.*

6.7.8 9.10. *Necessitas Sacramentorum, & qua necessitate vnumquodq; eorum necessarium sit.*

11 *Sacramenta sunt onera alleuiantia.*

1 QVæritur primo, quare Christus dominus voluerit instituere Sacramenta, vt illis donet gratiam hominibus, & imponere illis hoc onus suscipiendi Sacramenta, cùm ipse possit sine Sacramentis, sola sua voluntate, hominibus conferre gratiam, vt fecit Magdalenæ, cui sine Sacramento remisit peccata, & dedit gratiam; tantùm dicens, Remittũtur tibi peccata, vt habetur Lucæ cap.7. Resp. cum D.Tho.3. p. q.61. art.1. quòd necessariò debuerunt institui Sacramenta, primo propter hominum instructionem, quia homo non potest cognoscere spiritualia aliter, quàm per res sensibiles, Omnis enim nostra cognitio à sensu pendet, vt ait Philosophus lib.1. methaphys. cap.1. Vt ergo homo posset cognoscere an detur gratia; quando detur; & quid operetur; necessaria fuerunt Sacramenta; vt ex Sacramentis, quæ sunt res sensibiles, hæc omnia cognosceret, quia gratia est res spiritualis; nisi enim Christus instituisset in Baptismo ablutionem cum verbis; non potuisset homo cognoscere quando daretur gratia ad remittendum peccatum originale; & quando remitteretur peccatum originale; &c.

3 Secundo necessario debuit Christus instituere Sacramenta, ratione exercitationis, nã homo non est natus vt semper in otio degat, sed vt operetur, & quantum ad animam, & quantũ ad corpus; Instituit ergo Christus Sacramenta, vt homo haberet aliqua, in quibus laudabiliter possit se exercere tã quoad corpus, quàm quoad animam, vt eo modo à superstitiosis, & noxijs exercitationibus auocaretur.

4 Tertio necessario debuit Christus instituere Sacramenta propter hominum humiliationem; nam homo peccauerat per superbiam, quia volebat esse Deus, dixerat enim ei Serpens Genesis 1. Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum: Et ita existimabat homo quòd per esum pomi prohibiti habiturus esset in rebus creatis eandem potestatem, quam habet Deus; Vt ergo Christus, qui tanquam Medicus venerat in hunc mundum; huic, peccato, seu morbo medicinam afferret

voluit

voluit ita hominem humiliari, vt sicut in creaturis plenum dominium habere volebat, infimis creaturis huius mundi se subijceret, & per elementa infima ex quibus Sacramenta constant, gratiam reciperet; Sunt enim dignitate longè inferiora homine Aqua, Vinum, Oleū, Panis, & similia; Et voluit Christus ad hominum humiliationem, vt in Sacramentis homo se subijceret Aquæ, Vino, Oleo, & cætera: Et quid vilius est verbo? quod est entitatis tam paruæ, vt statim, ac prolatum est, non amplius sit; Et tamen voluit Christus, vt homo, qui erat nobilissimæ naturæ, verbo se subijceret in Sacramentis, vt secundum regulam Medicorum, tamquam optimus medicus, contraria contrarijs curaret.

5 Quarto ex Cathechis. rom. vbi de Sacram. in gen. debuerunt Sacramenta institui à Christo ratione significationis, vt illis videlicet dignoscerentur fideles ab infidelibus: In hoc enim cognoscuntur fideles, quia Sacramenta suscipiunt, ab infidelibus, qui Sacramenta non suscipiunt; vnde in Ecclesia Germanica, Gallica, & Anglica in hoc dignoscuntur fideles ab infidelibus, quia fideles Sacramenta suscipiunt; Infideles non; vnde apud ipsos fideles dicuntur homines Missæ; Infideles verò dicuntur homines prædicationis.

6 Quæritur secundo, an omnia Sacramenta sint æqualiter necessaria omnibus hominibus? Ad hoc dico primo, quòd Baptismus est necessarius omnibus absolutè ad vitam æternam acquirendam, itaut sine ipso saltem in voto non possit aliquis ingredi regnum Cœlorum; Vnde generaliter dicitur Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, & cætera.

7 Dico secundo, quòd Sanctissima Eucharestia ex præcepto Ecclesiæ; quod est præceptum determinatiuum illius diuini, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & cætera; est necessaria vnicuiq; homini existenti in legitima ætate, vt recipiatur semel in anno tempore Paschatis: Quid autem sit tempus Paschatis dicetur in tertia p. huius tractatus, quæ erit de Sanctiss. Eucharistia: Et istud præceptum habetur Can. Omnis vtriusque sexus De Pœnitentia, & remissione.

8 Dico tertio, quòd Sacramentum Pœnitentiæ, saltem in voto, est simpliciter necessarium omnibus illis, qui post Baptismum peccauerunt mortaliter: Impossibile enim est, quod alicui remittatur peccatum mortale commissum post Baptismum, & ei detur gratia, absq; eo quòd suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ saltem in voto de lege ordinaria, vt omnes doctores dicunt.

9 Dico quarto, quòd reliqua Sacramenta (præter dicta tria) nulli priuatæ personæ sunt ad salutem necessaria simpliciter, sed tantum ad bene esse; vnusquisque enim, absque eo quòd confirmetur, vel suscipiat extremam vnctionem, aut ordinetur, aut matrimonium contrahat; saluari potest.

10 Dico quinto, quòd Matrimonium, & Ordo, licet non sint Sacramenta necessaria vnicuiq; particulari personæ; sunt tamen simpliciter necessaria toti Ecclesiæ, quia si non esset matrimonium, vel mundus deficeret, vel filij, qui generantur, generarentur per fornicationem: Et nisi esset ordo in Ecclesia, frustra instituta fuissent Sacramenta deficiente ministro.

11 Ad id verò, quod dicebatur in principio huius capitis, quòd Sacramenta sunt onera, dicendum est cum D. Bonauent. in 4. sent. quòd non sunt onera onerantia; sed alleuiantia, qualia sunt pennę in auibus, nam sicut pennis aues non aggrauantur, sed potius in aera tolluntur; ita & Sacramentis alleuiatur homo, & in cælum extollitur; & talia onera non sunt molesta, sed maxime vtilia, & necessaria: & propterea hominibus imposita à Christo Domino.

CAPVT SEPTIMVM.

De numero Sacramentorum.

1 *Septem sunt Sacramenta nouæ legis.*
2 *Conuenientia in determinato numero Sacramentorum.*
3 *Comparatio Sacramentorum inter se quoad dignitatem, excellentiam, & vsum.*

1 IN hoc capite primo quæritur quot sint Sacramenta nouæ legis? Resp. esse septem, prout determinatum est de de fide in Concil. Florent. sub Eugenio 4. & in Conc. Trid. sess. 7. can. 1. quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

2 Quæritur secundo, quare Christus voluerit Sacramenta nouæ legis esse septem, nec plura, nec pauciora? Resp. cum D. Tho. 3. p. q. 65. art. 1. Scoto, & Durando in 4. sent. d. 2. ac Cathe. Rom. vbi de Sacram. in genere, quòd Christus voluit septem esse Sacramenta nouæ legis, quia sicut in vita corporali septem sunt necessaria; ita & in vita spirituali, quæ vita dicitur per similitudinem, & analogiam ad vitam corporalem; debuerunt esse septem Sacramenta: Quæ autem sunt necessaria in vita corporali sunt hæc primo, vt homo in lucem edatur; quod in vita spirituali fit per Baptismum. Secundo, vt homo augeatur; quod in vita spirituali fit per Confirmationē. Tertio, vt homo alatur, quod in vita spirituali fit per Sanctissimam Eucharestiā. Quarto, vt si in morbum inciderit, per medicinam curetur; quod in vita spirituali fit per pænitentiam, Pœnitentia enim tollit peccatum, quod est animæ infirmitas. Quinto, vt reliquiæ infirmitatis tollantur; quod in vita spirituali fit per Extremam vnctionem, quæ tollit reliquias peccatorum. Sexto, necesse est in vita corporali, vt sint, qui regant; quod fit in vita spirituali per ordinem. Vltimo, vt sint, qui pueros generēt; quod fit in vita spirituali per matrimonium.

Secundo Sacramenta nouæ legis debuerunt esse septem, quia ordinantur ad septem virtutes principales, scilicet tres Theologicas, & quatuor Cardinales: Ad fidem enim ordinatur Baptismus; vnde à DD. dicitur Sacramentum fidei. Ad Spem ordinatur extrema vnctio; nam qui vngiter per extremam vnctionem habet spem consequendæ vitæ æternæ post hanc vitam. Ad charitatem ordinatur Sanctissima Eucharistia; vnde à DD. dicitur Sacramentum charitatis, & amoris. Ad prudentiam ordinatur ordo, quia ordinati debent esse prudentes cum alios regere debeant. Ad iustitiam ordinatur Pœnitentia, est enim Pœnitentia virtus iustitiæ annexa. Ad temperantiam ordinatur matrimonium. Et ad fortitudinem ordinatur Cōfirmatio.

3 Quæritur vltimo, vtrū ex Sacramentis nouæ legis vnum sit alio dignius? Ad hoc dico primo, quòd Baptismus; quantum adn ecessitatem, & efficaciam, seu virtutem; est dignior omnibus Sacramentis. Dixi quantum ad necessitatem, quia vt dictum est in capite antecedenti, sine Baptismo nullus potest saluari. Dixi quantum ad virtutem, seu efficaciā, quia Baptismus tollit peccatum originale, & omne actuale, & tollit omnem peccati pœnam semper; quod alia Sacramenta non efficiunt.

Dico secundo, quod quantum ad continentiam, Sanctissima Eucharistia est dignior cæteris Sacramentis, quia in ipsa sola continetur verè, & realiter verū corpus, verus sanguis, vera anima, & vera Christi diuinitas.

Dico tertio, quòd quantum ad dignitatem ministri, Confirmatio, & Ordo sunt digniora cæteris Sacramentis, quia eorum minister est Episcopus.

Dico quarto, quod quantum ad significationem, vniuersalitatē, & antiquitatem Matrimonium est dignius cæteris

Sacra-

Sacramentis. Dixi quantum ad significationem, quia in eo significatur vnio diuinæ naturę cum humana in Christo, seu vnio Christi sponsi cum Ecclesia sponsa, iuxta illud D. Pauli ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Dixi quantum ad vniuersalitatem, quia Matrimonium, etsi non quatenus Sacramentum, sed quatenus est contractus ciuilis, viget apud omnes nationes. Dixi quantum ad antiquitatem, quia solum Matrimonium, licèt non quatenus Sacramentum nouæ legis, institutum fuit à principio mundi, reliqua vero Sacramenta instituta fuerunt tẽpore Christi.

CAPVT OCTAVVM.

De ministro Sacramentorum.

DE ministro vniuscuiusque Sacramenti dicetur infrà suo loco, idest vbi de vnoquoq; Sacramento in particulari; nunc tantum quędam de ministro Sacramentorum in communi dicentur.

1 Et primo quæritur vtrum mali ministri, idest peccatores, Sacramenta conferre possint; hoc est vtrum Sacramenta collata à malis ministris sint vera, & valida? Resp. quòd de fide tenendum est Sacramenta collata à malis ministris esse vera Sacramenta, si materia, forma, & intentio ministrorum ipsorum, quæ requiritur, adhibeantur: Et ita determinatum est in Conc. Trid. sess. 7. can. 12. Et antea determinatum erat c. Romanus de consecrat. dist. 4. Ratio autẽ, cur mali ministri efficiant vera Sacramenta, affertur à D. Tho. 3. par. q. 64. art. 5. quia videlicet minister Sacramentorum non propria, sed Dei virtute operatur; sicuti vt medicus rectè possit infirmo conferre sanitatem per medicinam, non requiritur, vt habeat in se sanitatem, quia non virtute propria efficit sanitatem in infirmo, sed virtute artis medicinæ: ita vt quis ministret sacramenta alteri, & per illa conferat gratiam, non requiritur, vt in ipso sit gratia, quia operatur nõ in virtute propria, sed Dei, qui est agens principale in Sacramentis. Et in dicto articulo D. Tho. ad hoc propositum dat aliud pulcherrimum exemplum; Sicut, vt aqua prata irrigentur, nihil refert an canale, per quod transit, sit argenteum, vel ferreum, aut æneum; ita nihil refert, vt detur gratia per Sacramenta, quòd Sacramentorum minister sit peccator, an bonus.

2 Sed dices, antiquitus tempore D. Cypriani maxima inter Prælatos Africæ fuit controuersia, vtrum Baptismus collatus ab hæreticis esset validus; propter quam controuersiam D. Cyprianus in vnum redegit omnes Africæ Episcopos, qui simul Concilium facientes determinarunt Baptismum ab hæreticis collatum, non esse Sacramentum. Ad hoc resp.

quòd

quòd illud Concilium non faciebat rem de fide, quia erat tantum Prouinciale & Concilia Prouincialia non faciunt rem de fide, nisi accedat auctoritas Summi Pontificis: Vnde non post multum tempus celebratum fuit, vt dicit D. Aug. in lib. de Baptismo, aliud Concilium vniuersale, in quo contrarium determinatum fuit. Et ibidem de B. Cipriano dicit. D. Aug. quòd eius error purgatus fuit per martyrium.

Dices secundo. D. Ambros. in lib. de initiandis pueris dicit, quòd Baptismus collatus ab Arrianis non est verè Sacramentum. Ad hoc respondendum est, quod Baptismus collatus ab Arrianis non erat verè Sacramentum, non quia ministri essent mali; sed quia non vtebantur vera forma. dicebant enim hoc modo, Ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, qui non est filius, sed seruus Dei, & propterea D. Amb. dixit Baptismum ab Arrianis collatum non esse verè Sacramentum.

3 Quæritur secundo an mali ministri peccent ministrando Sacramenta? Resp. cum D. Tho. 3. p. q. 64. art. 6. & communi DD. opinione, quod ministri mali peccant mortaliter ministrando sacramenta in peccato mortali. Et ratio huius est, quia cùm sacramēta sint sancta, sanctè sunt tractanda.

Verum quidem est, secundum communem DD. opinionem, quòd ad ministranda Sacramenta sine nouo peccato mortali post peccatum mortale cōmissum non necessario requiritur præuia confessio; sed sufficit contritio, sicut etiam ad suscipienda Sacramenta sine nouo peccato mortali post peccatum mortale commissum non requiritur præuia confessio, sed sufficit vera contritio, præterquam ad sumendam Sanctissimā Eucharistiam, licet Caiet. in sum. verbo Cōmunio etiam de Sanctissima Eucharistia dixerit, quòd ad eam sumendam sine peccato mortali, non requiritur præuia confessio; contra cuius opinionem contrarium determinauit Concilium Trid. vt postea dicetur in quarta parte huius Tractatus.

Tutius tamen esset prius cōfiteri peccatum mortale comissum, quàm ministrare, vel suscipere Sacramenta; quia potest fieri, quòd minister Sacramentorum, vel Sacramenta suscepturus non habeat veram contritionem, sed solam attritionem: Et per Sacramentum Pœnitentiæ fiet de attrito contritus, ita ut postea dignè ministret Sacramenta, & cæt.

4 Quæritur tertio, an suscipere Sacramenta à malis ministris sit peccatum mortale? Pro responsione ad hoc quæsitum notandum est primo, quòd ministri possunt esse mali, quia sunt in peccato mortali, aut etiam excommunicati, sed tamen tolerati ab Ecclesia: vel quia non sunt tolerati ab ecclesia, vt nominatim excommunicati; vel publici Clericorum percussores, aut degradati.

Secundo notandū est, quod rursus ex malis ministris alij sunt, qui tenentur ministrare Sacramenta, vt Parochus, qui tenetur ministrare Sacramenta necessaria habitantibus in sua Parochia; Alij sunt, qui non tenentur ministrare Sacramenta, vt Canonici, quibus ex titulo non incumbit ministrare Sacramenta; Et Capellani simplices.

Tertio notandum est, quòd illi, qui non tenentur ministrare Sacramenta, vel sunt parati ea ministrare, vt sunt, qui cum stola, & superpelliceo in confessionali sedent, vt audiant confessiones accedentium; vel non sunt parati ministrare Sacramenta: Præmissis his tribus distinctionibus pro responsione ad quæsitum. Dico primo, quod a malis ministris, qui non sunt tolerati ab Ecclesia, quales sunt nominatim excommunicati, publici clericorum percussores, & degradati; peccatum mortale est suscipere Sacramenta, siue sint parati ea ministrare, siue non, & siue ex titulo teneantur ea ministrare, siue non; Et ratio huius est, quia communicare

cum

cum excommunicato ab Ecclesia non tolerato in Sacramentis est peccatum mortale, vt dicunt omnes DD. Excipiunt tamen casum Baptismi in necessitate, si enim aliquis in casu necessitatis susciperet Sacramentum Baptismi à talibus excommunicatis non peccaret mortaliter; & ratio, cur excipiatur Baptismus in dicto casu, est quia Baptismus, vt dictum est, Sacramentum est maximę necessitatis.

Dico secundo, quod peccatum mortale est recipere Sacramenta ab eo, qui creditur esse in peccato mortali, vel excommunicatus, & non tenetur ea ministrare, neque est paratus ministrare; & ratio huius est, quia sic induceretur homo ad peccandum, qui autem inducit alium ad peccandum peccat mortaliter, nam qui consentit peccato alterius & ipse peccat.

Dico tertio, quod non est peccatum mortale suscipere sacramenta à Parocho, etiamsi credatur esse in peccato mortali, vel cognoscatur excommunicatus, sed toleratus ab Ecclesia: Et ratio huius est, quia nullus peccat vtendo iure suo; & ille, qui petit sacramenta à proprio Parocho, vtitur iure suo; modò ille, qui petit Sacramenta, non intendat peccatum Parochi.

Dico quarto, quod à malo ministro parato ministrare Sacramenta possunt suscipi Sacramenta absq; peccato; quia cũ iam sit paratus ea ministrare, & ità peccaret non dicitur induci ad peccandum, quia iam est inductus. Atque hæc quatuor dicta desumpta sunt ex doctrina Dominici Soti in 4. sent. d. p. quæst. pr. art. 6. & ab alijs DD. quos ibi citat ipse Sotus.

5 Quæritur quarto, vtrum ad conficienda Sacramenta necessario necessitate Sacramenti requiratur intentio in ministro? Resp. secundum omnes DD. vt videre est ex D. Th. q. cit. 64. art. 8. & Caiet. ibidem, & Soto, ac alijs Scholasticis 4. sent. d. p. quòd ad conficienda Sacramenta necessario necessitate Sacramenti requiritur intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Et hoc determinatum est etiam in Concil. Florent. sub Euge. 4. & Trid. sess. 7. can. 11. & ratio huius affertur à D. Tho. art. 8. cit. quia videlicet id, quod est indifferens ad multa, debet determinari ad vnum per aliquod, vt ablutio, quæ fit in Baptismo, cũ ad multa ordinari possit, puta ad corporalem mundiciam, ad sanitatem, & cætera, opus est vt determinetur ad vnum illorum effectuum per intentionem ministri, intendendo scilicet saltem facere id, quod facit Ecclesia; vt idem per formam significetur, quæ est Ego te baptizo, & cętera.

6 Quæritur quinto, quę intentio requiratur ad Sacraméta conficienda, actualisne, ac virtualis? Resp. quòd intentio faciendi quod facit Ecclesia ad conficiẽda Sacramẽta requiritur vel actualis vel virtualis. Intentio actualis dicitur illa, quã quis habet in ipso actu, vel qua quis in ipso actu aduertit, & attẽdit ad ipsũ actũ quẽ facit, ut cũ qs, dũ actu baptizat, habet intentionẽ baptizandi; seu faciendi quod facit Ecclesia. Virtualis autem dicitur illa, quam quis habet quando à principio operis habuit intentionem actualem, puta faciendi, quod facit Ecclesia, sed postea in ipsa actione non aduertit ad id, quod facit; v. g. Sacerdos celebraturus accepit Hostias in Sacrario consecrandas ad communicandos homines, & eas collocat supra aram post calicem; postea tempore Cõsecrationis Hostię, quam habet præ manibus; de alijs non recordatur, quas posuit post calicem; in hoc casu illæ etiam Hostiæ sunt consecratæ propter intentionem virtualem; Secus esset si inter celebrandum mutasset intentionẽ, idest habuisset intentionem non consecrandi dictas Hostias, quas prius posuerat post calicem ad consecrandum eas; nam tunc si non recordatur earum Hostiarum tempore Cõsecrationis Hostię, quam

quam habet præ manibus intentio virtualis est non consecrandi, quia illa est, quæ immediatè sequitur intentionem actualem non consecrandi.

7 Notandum tamen est primo, quòd cum dicimus ministrum ad conficienda Sacramenta necessario debere habere intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; per Ecclesiam nõ intelligi Ecclesiam Romanam necessariò; nam Heretici, cum conficiunt Sacramenta, non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quia putant eam non esse veram Ecclesiam; & tamen, vt supra diximus, Hæretici conficiunt vera Sacramenta, putà verum Baptismum, si seruant debitam materiam, & debitam formam; sed per Ecclesiam intelligenda est Ecclesia orthodoxa, quæcumq; illa sit.

Notandum est secundo, quòd neq; necessario requiritur formalis intentio faciendi, quod facit Ecclesia in conficiendis Sacramentis; sed sufficit intentio faciendi quod instituit Christus, vel remittendi peccata, vt in Baptismo, & absolutione, vel conferendi gratiam, aut faciendi, quod faciunt alij Sacerdotes; nam habere huiusmodi intentionẽ est idem, ac habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vt dicit Dom. Sot. 4. sent. dist. pri. q. 5. art. 8. Vnde Concil. Trid. sess. 7. can. 11. non dicit absolutè ministrum debere habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sed dicit saltem faciendi, quod facit Ecclesia, quia habere vnam intentionem ex supradictis sufficit.

8 Sed dicet quis quamplurimi Sacerdotes, vt dicit Sotus loco cit. raró, cum ministrant Sacramenta, habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia; imò forsan aliqui nunquam habuerunt? Ad hoc dico primo, quòd est ferè impossibile quòd aliquis ministret Sacramenta, & non habeat intentionẽ ea ministrandi; seu faciendi saltem quod faciunt alij sacerdotes, saltem in principio operis, nisi esset ita peruersus, vt haberet contrariam opinionem: Deinde dico ex eodem Sot. quòd nec requiritur semper distincta intentio faciendi, quod facit Ecclesia; sed sufficit confusa, qualis esset in illo, qui ideo susciperet ordines maiores, vt postea ministraret Sacramenta à Christo instituta; & deinde Sacramenta ministraret, nam valida essent ea Sacramenta in virtute illius intentionis, quam habuit quando suscipiebat ordines maiores.

Notandum est tertio, quòd quamuis ad conficienda Sacramenta sufficiat, vt diximus intentio virtualis; maxime tamen laudabile est in actu, in quo applicatur forma materiæ in Sacramẽtis, seu quando conferuntur Sacramenta, vt minister, quantum in se est, procuret habere actualem intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, vt dicit D. Tho. 3. par. q. 64. art. 8.

9 Sed dicit hic aliquis, si minister, quando confert Sacramenta, nec haberet intentionem virtualem, nec actualem, quã diximus; imò haberet contrariam intentionem, idest non faciendi quod facit Ecclesia, vel non faciendi, quod instituit Christus; ille, qui crederet verè suscipere Sacramenta ab huiusmodi ministro, acquireret ne gratiam? Ad hoc resp. quòd si esset adultus, & non obstaret aliquod impedimẽtum, idest, si esset benè dispositus, susciperet rem Sacramenti, idest gratiam, non ex opere operato, idest virtute Sacramenti, quia non est Sacramentum ob defectum intentionis ministri; sed ex opere operantis, idest propter deuotionem ipsius, qui tentat suscipere Sacramentum. Similiter & si puerulus susciperet Sacramentum Baptismi à ministro, quod non haberet intentionem requisitam, & fieret deinde adultus, & si nesciret se baptizatum esse, baptizaretur si esset bene dispositus reciperet gratiam, quia diceretur baptizatus baptismo flaminis. Similiter si quis bene dispositus sumeret hostiam

hostiam non consecratam, quam putaret consecratam; haberet rem Sacramenti, idest gratiam, non Sacramentũ.

10 Atq; ex hoc quarto notandum est, quod in vnoquoq; Sacramẽto tria sunt, vnum, quod dicitur Sacramentum tantum, & hoc est materia, & forma Sacramenti simul, & quod nos propriè diffiniuimus supra in secundo cap. Aliud est quod dicitur res, & Sacramentum simul, & hoc in Sacramentis, quæ imprimunt characteres, est character ipse, in alijs verò est aliud, de quo dicemus suis locis; Et dicitur res, quia est effectus Sacramenti; Sacramentum verò, quia est signum Sacræ rei. Aliud est, quod dicitur res tantum, & hoc est gratia, quæ dicitur res, quia est effectus Sacramenti; non autem Sacramentum, quia non est signum Sacræ rei, sed ipsa res Sacra. Quando ergo aliquis existimat se suscipere Sacramentum, quod non suscipit ob defectum ministri, si est benè dispositus recipit tertium; non primum, neq; secundum.

11 Notandum est quinto, quod ex supradictis patet tria esse necessaria ad minimum ad quodlibet Sacramentum conficiendum, idest, materiam, & formam, de quibus diximus in 2. Capite, & intentionem ministri, de qua diximus in præsenti capite.

12 Quod si dicas necessarium esse etiam suscipientem Sacramenta, quia nisi sit q̃ baptizetur, confirmetur, absoluatur, &c. impossibile est, quòd sit Sacramentum baptismi Confirmationis, & Pœnitentię. Resp. quòd in sex Sacramentis, quæ consistunt in vsu (præter tria dicta) necessario requiritur etiam suscipiens, quod tamen non requiritur in omni Sacramento, quia ad hoc vt Sanctiss. Eucharistia fit Sacramentum non requiritur suscipiens eam.

Queritur sexto, vtrum ad conficiendum Sacramentum necessario necessitate Sacramenti requiratur Recta, idest bona intentio: idest vtrũ si quis v.g. consecraret hostiam intendendo alicui venenum afferrre eum cõmunicando conficeret Sacramentum? Resp. cum D. Tho. 3. par. q. 64. art. 10. & Caiet. ibidem, & Soto, & alijs DD. Scholastici in 4. sent d. pri. quod intentio ministri dupliciter potest esse peruersa; vno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis nõ intendit Sacramentum conferre, & talis peruersitas tollit veritatẽ Sacramenti. Alio modo quantum ad id, quod sequitur Sacramentum puta si Sacerdos intendat aliquam fæminam baptizare, vt ea deinde abutatur, vel si intendat conficere corpus Christi, vt eo abutatur ad veneficia, & talis peruersitas, non tollit Sacramentum; sed supponit. Verum quidem est, quòd minister ex tali intentione peruersa mortalissime peccat.

Sed dicet aliquis intentio mala facit totum opus vitiosum secundum illud Lucæ 11. Si oculus tuus fuerit nequam totum corpus tuum tenebrosum erit, sed Sacramenta Christi non possunt coinquinari per malos ministros, ergo videtur, quod si in ministro sit mala intentio, non possit confici verum Sacramentum. Resp. cum Sot. in 4. dist. pri. q. 5. art. vlt. quod peruersa intentio secundo modo peruertit opus intendentis, non autem opus alterius, & ideo ex peruersa intentione ministrantis Sacramenta peruertitur id, quod agitur in Sacramentis, inquantum est opus eius; non autẽ in quantum est opus Christi, cuius est minister: Et est simile, Si minister alicuius hominis praua intentione deferret eleemosinam, quam dominus recta intentione mandauit dari pauperibus.

Quæritur septimo, vtrum ad ministranda Sacramenta requiratur fides ministro idest, quod credat Sacramenta esse instituta à Christo, vel conferre gratiam? Resp. cum D. Tho. & Caiet. 3. par. q. 64. art. 9. quòd sicut supra dictum est, quia minister in Sacramentis non operatur in virtute propria, ideo

non requiritur in eo bonitas, vel charitas, vt Sacramentum fit validum, ita non requiritur fides in ministro, potest enim minister infidelis conficere Sacramenta, modò adhibeat veram materiã, & veram formam, & habeat debitam intentionem, idest saltem faciendi, quod facit Ecclesia.

Quodsi dicas, D. Cyprianus in Epistola contra Hæreticos, dixit omnia Sacramenta, quæ faciunt hæretici esse carnalia, inania, & falsa; & Leo Papa dixit in Epist. quam mittit ad Leonem Augustum, quòd Sacramentorum, quæ ministrantur in Alexandrina Ecclesia, lumen est extinctum? Resp. cum D. Th. art. cit. quòd quidam Hæreticorum in collatione Sacramentorum non seruabant formam veram, & tales non conficiebant Sacramenta; Illi verò, qui seruant veram materiam, veram formã, & habent debitã intentionem; conficiunt Sacramenta: Et D. Cyprianus errauit, cuius error purgatus fuit, vt dictum est ex D. Aug. per martyrium, vel vt dicit Caiet. art. 9. cit. D. Cyprian. non peccauit mortaliter, eo quod dixit Sacramenta Hæreticorum esse inania, quia Ecclesia nondum contrarium determinauerat; nec credebat Ecclesiam credere contrarium; & illud non dixisset si sciuisset Ecclesiam determinaturã contrarium. Ad illud de Leone Papa, per lumen intelligendus est decor Sacramentorum, vt dicit Dom. Sot. 4. sent. dist. prima, q. 5. art. 9.

Quæritur octauo, vtrũ Angeli possint conferre Sacramenta?

Hoc quæsitum tractatur à D. Tho. 3. p. q. 64. art. 7. & Caiet. ibid. & à Dom. Soto, & alijs Scholasticis in 4. sent. Ex quorum doctrina.

Dico primo, quòd via ordinaria non nisi homines sunt ministri Sacramentorum, quia ipsos solos Christus instituit ministros Sacramentorum; Quod probatur primo auctoritate D. Pau. ad hæb. 1. in illis verbis, Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum; Angeli verò non sunt ex hominibus. Secundo, quia Christus Mat. vlt. solis hominibus dixit, Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Tertio, quia Christus non assumpsit Angelum, in quo humanum genus redimeret, sed hominem; Quare & hominibus decuit eum cõmittere sua ministeria, quibus nobis applicarentur merita passionis suæ.

Dico secũdo, quod nihilominus Christus potest, si vult, Angelis tribuere virtutem ministrandi Sacramenta, quia sicuti non alligauit suam virtutem Sacramentis, quin possit sine illis eorum effectum largiri; ita neque alligauit eã ministris, vt non possit eandem functionem alijs tribuere.

Dico tertio, quòd si constaret aliquod Sacramentum ab Angelis bonis conferri, esset illud habendum pro valido, quia constaret subinde Angelos bonos id nõ perfecisse sine voluntate diuina: sicut constat templa quædam angelico ministerio fuisse consecrata, legitur enim de Sãcto Michaele, quod prohibuit ne homines in monte Gargano Ecclesiã consecrarent, quia ei illud officium diuinitus esset commissum.

Dico quarto, quod si Angeli mali ministrarent aliquod Sacramentum, illud non esset habendum pro valido; quia, cum sint spiritus mendaces, timendum esset, ne intenderent decipere; Neque credendum est Deum dæmonijs esse vsurum, tamquam ministris Sacramentorũ, quibus homines sanctificarentur.

Quæritur vltimò, vtrum peccatori, qui creditur esse in peccato mortali, sint conferenda Sacramenta, si ea petit? Pro responsione.

Notandum est primo, quod peccator alius est publicus, alius occultus. Rursus peccator occultus alius est, cuius peccatum minister Sacramẽtorum tantum cognoscit per confessionem sacramentalem; Alius est, cuius peccatum cognoscit

cognoscit, alia via, quam per confessionem sacramentalem.

Notandum secundo, quod duplex est minister; Alius, qui tenetur ministrare Sacramenta, vt Parochus; Alius, qui non tenetur: vt simplices Sacerdotes ab ordinario expositi; & Regulares.

His notatis dico primo, quòd peccatori publico petenti Sacramēta publicè, vel occultè, debent negari, nisi prius dederit publica signa emendationis, quia per suorum delictorum publicitatem amisit ius exigendi ipsa Sacramenta quousq; publicè eum pœniteat. Ita Nauar. in Man. cap. 21. nu 55.

Dico secundo, quòd Parochus subdito exigenti Sacramenta publicè, vel secretò non potest ea negare propter mortale peccatum occultum, quod tantum in Sacramentali confessione audiuit, à quo aliqua de caussa eum non absoluit, quia sic esset frangere sigillum Confessionis, vt ait Nau. nu. 55. cit. Secus si sciret extra confessionem.

Dico tertio, quod Parochus sciens alicuius peccatum occultum extra confessionem non debet ministrare Sacramenta tali peccatori ea exigenti in secretò; secus si peteret publicè, ita Dom. Sot. in 4. d. 12. q. pri. art. 6. & ratio huius est propter scandalum.

Dico quarto, quòd quomodocunque publicè, vel occultè Sacramenta petantur ab illo, qui non est Parochus (secluso tamen casu necessitatis) peccatori existenti in p. m. neganda sunt Sacramenta, nisi talis esset paratus alijs ea ministrare, In quo casu occulto peccatori non essent neganda propter scandalum. Et si non est paratus ministrare Sacramenta alijs, potest peccatori ea negare dicendo, quòd vadat ad suum Parochū, quia ipse non vult tunc ministrare Sacramenta, vide Siluest. verbo Eucharistia 3. §. 7.

CAPVT VLTIMVM.

De Cæremonijs, quæ adhibentur in administratione Sacramentorum.

1 *Ceremonia Sacramentorum omittenda non sunt.*

2 *Cur ceremonia adiungantur Sacramentis.*

IN hoc cap. primo quæritur, an sit peccatum ministrare Sacramenta sine cæremonijs, quæ continentur in Ritualibus vniuscuiusq; Ecclesiæ? Resp. ex Catech. Rom. vbi de Sacram. in genere quòd cęremonię tales sine peccato prætermitti non possunt, nisi aliud facere ipsa necessitas cogat; tamen si quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramēti ratione imminuitur. 1

Quæritur secundo, quare Sacramenta ministrentur cum cæremonijs? Resp. cum Cath. vbi supra, Quòd meritò quidem à primis vsq; Ecclesiæ temporibus illud semper seruatum est, vt Sacramenta solemnibus quibusdam cæremonijs ministrarentur; primo quia maximè decuit Sacramentis tribuere eum religionis cultum, vt sancta sanctè tractare viderentur. Secundo, quia ea, quæ Sacramentis efficiuntur, cæremoniæ ipsæ magis declarant; ac veluti ante oculos ponunt; & earum rerum sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Vltimo, quia mentes illorum, qui eos intuentur, & diligenter obseruant ad sublimiū rerum cogitationē erigunt, fidemq; in eis, & charitatem excitant, atque hæc de Sacramentis in communi. 2

Tractationis huius

PARS SECVNDA DE BAPTISMO.

HAec pars diuiditur in nouem capita, In quorum primo agitur de nomine, & deffinitione Baptismi. In secundo, de materia Baptismi. In tertio, de forma. In quarto, de institutione. In quinto, de ministro Baptismi. In sexto, de Patrinis baptizandorum. In septimo, de suscipientibus Baptismum. In octauo, de modo ministrandi Baptismum. Et in nono, de effectibus Baptismi.

CAPVT PRIMVM.

De Nomine, & Deffinitione Baptismi.

1 *Nomen Baptismi quid importet.*
2 *Deffinitio Baptismi.*
3 *Alia deffinitiones excluduntur.*
4 *Quotuplex sit Baptismus, & quid vnusquisq; eorum.*
5 *Licèt tria baptismata, vnus tamen baptismus statuitur in Ecclesia.*
6 *Ex tribus baptismi generibus, quod nobilius, & in quo differant quoad effectum. & catera accidentia.*
7 *Tria hac Baptismata, cui conueniant singula.*

1 IN hoc capite primo quæritur quid significet nomen Baptismi? Resp. quòd Baptismus significat idem, quòd ablutio; Baptizare enim græcè idem est, ac abluere, vel lauare latinè: vnde in Euangelio, cùm legimus Baptismata calicum, intelligimus ablutiones calicũ; & in libro Iudith. cap. 12. cùm legimus, quòd de nocte ibat in vallem, & baptizabat se; intelligimus, quod abluebat se.

2 Quæritur secũdo, quid sit Baptismus? Magist. sent. lib. 4. dist. 3. in principio, vbi & Dom. Sot. & alij DD. Scholastici, & D. Tho. 3. par. q. 66. art. 1. ita deffiniunt Baptismum. Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum: sed melius Baptismum deffinit Catechis. Rom. vbi agit de Baptismo, hoc modo. Baptismus est Sacramentũ regenerationis per aquã in verbo. Quæ deffinitio habet genus, idest (Sacramẽtũ) & pro differẽtia habet proprium effectum Baptismi, idest (regenerationis) & propriam materiam, idest (Per aquam) Et additur forma (In verbo) Regeneratio enim est proprius effectus Baptismi. Aqua est propria materia Baptismi, cui & accedit verbum, quod est forma.

3 Sed dicet aliquis, primo D. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 10. dicit Baptismum esse illuminationem, & regenerationem, & expurgationem à peccatis, item D. Io. Chrisost. in oratione, quam facit ad baptizatos, dicit baptismũ esse resurrectionẽ à peccatis.

Secũdo dicet aliquis, D. Damascenus c. 10. cit. dicit Baptismũ esse sigillũ, idest signum quo distinguuntur baptizati à non baptizatis; Et alij DD. dicunt Baptismum esse ianuam Sacramentorum, ergo Baptismus non videtur esse ablutio exterior facta sub præscripta forma verborum, vt dicit Magister, & alij; vel Sacramentum regenerationis per aquam in verbo, vt dicit Catechis. Rom.

Pro responsione recolendum est id, quod in antecedenti parte diximus cap. 8. quæsito 5. notabili 4. Quòd in Baptismo, sicut & in alijs Sacramentis, tria sunt

sunt: vnum, quod dicitur Sacramentũ tantum; Aliud, quod dicitur res, & Sacramentum simul; & aliud, quod dicitur res tantum. Pro primo accipit Magist. sent. & Catechis. Rom. Baptismum, cum dicit esse ablutionem exteriorem, vel Sacramentum regenerationis, &c. Pro secundo accipiunt Baptismum illi, qui dicunt eum esse sigillum, quia character, vt supra diximus in prima parte cap. 5. quæsito quarto, est sigillum, seu signum, quo distinguuntur baptizati à non baptizatis. Et illi qui dicunt Baptismum esse ianuam Sacramentorum, quia character Baptismi, vt diximus supra; est potentia passiua recipiendi alia Sacramenta, & propterea Baptismus dicitur ianua Sacramentorum. Pro tertio accipiunt Baptismum illi, qui dicunt eum esse illuminationem, vel regenerationem, aut expurgationem, seu resurrectionem à peccatis, quia per gratiam, quæ datur in Baptismo, fit illuminatio, regeneratio, resurrectio, seu expurgatio à peccatis.

Quæritur tertio, quotuplex sit Baptismus? Resp. quòd cõmuniter apud DD. triplex assignatur Baptismus, idest fluminis, flaminis, & sanguinis; quorum primus tantum est Sacramentum, quia in eo tantum est materia, & forma, hoc est ablutio exterior sub præscripta forma verborum: Reliqui verò duo dicuntur Baptismi propter effectum, quia scilicet eundem effectum faciunt in anima nostra, quem facit Baptismus fluminis, idest gratiã, qua regeneramur: Primus Baptismus, qui est Sacramentum, dicitur fluminis à flumine, idest aqua, quia fit per aquam in verbo. Secundus dicitur flaminis à flamine, idest Spiritu sancto, per quem homines inspirati de peccatis dolorem concipiunt, & ardent desiderio suscipiẽdi Baptismum fluminis; Tertius dicitur sanguinis, idest martirij; Est enim martyrium ipsum, per quod pro Christo effunditur sanguis. De primo dicitur Io. 3. Quod Christus ibat per terram Iudæam, & baptizabat. De secundo dicitur Esaiæ 4. Si abluerit Dominus Sordes filiarum Sion, & sanguinẽ Hyerusalem lauerit in medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. De tertio dicitur Apocalipsis 7. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.

Sed dicit aliquis primo D. Paul. ad ephes. 4. dicit vna fides, vnũ Baptisma, ergo inconuenienter videntur poni tria baptismata fluminis, flaminis, & sanguinis. Resp. quod tria Baptismata enumerata, sunt tantum vnum Baptisma, quantum ad effectum, quia in omnibus tribus est idem gratiæ effectus, vel dicendum est D. Paul. locutum fuisse de eo Baptismo, qui est Sacramentum, qui apud omnes est tantum vnus.

Secundo dicet quis, D. Damascenus lib. 4. de fide ortodoxa cap. 10. ponit alia plura Baptismatum genera, ergo non tantum sunt tria supradicta. Ad hoc resp. D. Thom. 3. par. quæst. 66. an. 11. in resp. ad tertium argumentũ, quod D. Damascenus vocat Baptismata etiam figuras Baptismi nostri, quæ præcesserunt in testamento veteri; Et primo ponit diluuium, quod fuit signum, & figura nostri Baptismi, quia sicut in diluuio saluatæ sunt tantum paucæ illæ animæ, quæ erant in arca Noè, ita in mundo, licèt magnus sit, saluantur tantum paucæ aliquæ animæ, quæ in arca, idest Ecclesia, baptizantur. Secundo ponit transitum maris rubri, qui significabat nostrum Baptismum, quantùm ad liberationem à peccato, quia sicut per transitum maris rubri à seruitute Pharaonis liberati sunt viri Israelitici; ita per Baptismum liberantur viri à seruitute peccati, vnde D. Pau. ad cor. cap. 10. dicit, Quod omnes baptizati sumus in nube, & in mari. Tertio ponit diuersas ablutiones, quæ fiebant in lege veteri configurantes nostrum Baptisma, quantũ ad expurgationẽ pec.

Quarto

Quarto ponit Baptismum Ioannis, qui fuit præparatorius ad nostrum baptisma, sed nec fuit Sacramentum, nec conferebat gratiam.

6 Quæritur quarto, quinam sit nobilior ex dictis tribus Baptismis. D. Tho. 3. par. q. 66. art. vlt. & Dom. Sot. 4. sent. dist. 3. q. vnica, art. vlt. dicunt, Quòd Baptismus sanguinis absolutè loquendo est potior, & nobilior cæteris duobus, quia in eo ostenditur maior charitas, dicitur enim Io. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt ponat quis animam pro amicis suis. Dicendum tamen est primò quòd quantũ ad rationem culpæ originalis, & mortalis, & pœnæ æternæ sunt omnes æquales, quia omnes æquè remittũt culpam originalem, mortalem, & pænam æternam.

Dicendum est secundo, quòd quantũ ad remissionem pœnæ temporalis Baptismus flaminis est inferior alijs duobus, quia in eo non semper remittitur tota pœna temporalis, sicut in cæteris duobus, sed plus minusuè pœnę temporalis in eo remittitur, prout maior, vel minor est contritio, vel deuotio illius, qui illum habet. Ex quo fit quòd si quis statim moreretur post Baptismum fluminis ritè susceptum statim euolaret in cælũ, sicut & martyres statim post martirium euolant in cælum, quia per Baptismum fluminis, & sanguinis tota pœna temporalis remittitur. Si verò quis post Baptismũ flaminis moreretur, potest fieri, quod non statim volaret ad cælum, sed potius in purgatorium, vt expurgetur à residua pœna? Quod autem martyr statim volet ad cælum, probatur, quia c. cum Martæ de celebratione Missarum, dicitur, quòd iniuriã martyri facit, qui pro martyre orat.

Dicendum est tertio, quòd qui habet tantum Baptismũ flaminis, si moriatur, priuatur ecclesiastica sepultura; sicut & cathecumeni, quamuis Ecclesia pro eis oret; Et in hoc etiam Baptismus flaminis est inferior cæteris, vt ait Sylu. ver. Baptismus 1. §. 3.

Dicendum est quarto, quòd quantũ ad characterem Baptismus fluminis est alijs duobus nobilior, quia in eo solo imprimitur, nam & ipse solus est sacramentum; vnde si quis cum Baptismo flaminis tantum susciperet aliud Sacramentum, quàm Baptismum, puta existimans se baptizatum Baptismo fluminis, cum non sit, illud Sacramentum non esset validum, vt dictum est supra in parte antecedenti cap. 5. quæsito item quinto.

Dicendũ est quinto, quòd in baptismo sanguinis, post pec. mort. sufficit contritio virtualis, vt ait Nauar. in man. cap. pri. n. 10. nam si aliquis amore Christi, seu pro fide catholica exponeret periculo vitam suam, & fieret martyr, si prius peccasset mortaliter, & eum non pæniteret peccati, quia tunc non recordaretur eius, vel non aduerteret ad delendum illud peccatum necessarium esse dolorem, saluus esset; quia in illa charitate propter quam exponit vitam suam propter amorem Dei, seu fidem catholicam; continetur virtualiter perfecta contritio peccatorum, quorum si recordaretur, absque dubio ea detestaretur, quia illa charitas, quæ mouet eũ ad moriendum pro Christo, etiam moueret eum ad dolendum de peccato pro Christo, si recordaretur. In Baptismo verò fluminis sufficit attritio; nam qui baptizatur, & est tantum attritus sufficienti attritione, efficitur contritus, idest tantùm valet illa attritio cum Baptismo fluminis ad acquirendam gratiam, & ad delenda peccata, quantùm illi valeret formalis, & perfecta contritio sine Sacramento Baptismi; At in Baptismo flaminis requiritur perfecta contritio.

Dicendum est sexto, quòd Baptismus flaminis, saltem virtualiter, semper includitur in Baptismo sanguinis, si sit in adulto, maxime post peccatum mortale,

non

non autem è contrario Baptismus sanguinis includitur in Baptismo flaminis, vt ait D. Tho. 3. par. q. 66. art. 12. in respons. ad 2. arg.

Dicendum est septimo, quòd Baptismus flaminis, & sanguinis non absolutè sufficiunt ad salutem, sed secundũ quid, idest non habita copia Baptismi fluminis; Imò absolutè est fatendum Baptismum aquæ esse simpliciter necessarium ad remittendum peccatum originale, iuxta illud Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & cæt. nam si alia Baptismata aliquo modo sufficiunt, hoc est, quia includunt voluntatem Baptismi, qui nequit haberi: Hæc Sotus dist. 3. q. vnica, art. vndecimo in quarto.

Dicendum est vltimo, quod quantum ad præmium accidentale (quod est aureola) & quoad præmium essentiale (quod est visio Dei) Baptismus sanguinis est potior alijs duobus, quia per eum tantùm datur aureola in cælo; & maius præmium essentiale; nam in eo confertur maior gratia, & ad quantitatem gratię datur etiam quantitas præmij.

7 Quæritur vltimo, quibus conueniant isti tres Baptismi? Dico cum Sylu. verbo Baptismus primo, §. secundo quòd Baptismus fluminis, & sanguinis est cõmunis paruulis, & adultis, quia si paruuli nondum baptizati occidantur pro Christo, puta in detestationem fidei christianæ, quam habent parentes; saluantur secundum Theologos, vt loco citato, etiam infert Syluester, & Sot. in 4. dist. 3. q. vnica. art. penult. Quare communiter aiunt Theologi, quòd si mulier prægnãs occidatur pro Christo, etiam fœtus erit Baptizatus Baptismo sanguinis, quia & ipse moritur propter Christum; & simile fuit de innocentibus: licet aliqui dicant, quòd illis fuit acceleratus vsus rationis, sicut & Beato Io. Baptistæ fuit acceleratus vsus rationis in visitatione B. Mariæ; per quam exultauit in vtero Matris. at Baptismus flaminis competit solum habẽtibus vsum rationis, vt habetur de consecratione dist. 4. c. Baptismi & ratio huius est, quia est dolor de peccatis, & propositũ suscipiendi Sacramentũ Baptismi, quod non potest esse in paruulis.

CAPVT SECVNDVM.

De materia Sacramenti Baptismi.

1 *Statuitur vera baptismi materia.*
2 *Cur aqua potius quam alia elementa sit instituta à Christo materia baptismi.*
3 *Qualitates aquæ requisitæ in baptismo*
4 *Ritè ne possit quis baptizari in aqua sulfurea, & lixiuio.*
5 *Essentnè quis legitimè baptizatus in niue, aut humoribus arboreis, aut aqua rosacea.*
6 *Aqua quæ fluxit de latere Christi fuisset materia sufficiens baptismi*
7 *Requiraturnè ad baptismum aqua benedicta.*

1 IN hoc capite primo quæritur quænã sit materia Sacramenti baptismi? Resp. secundum omnes DD. quod est aqua simplex, vt habetur Io. 3. in illis verbis, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest ingredi in regnum Cœlorum. Per nomen autem Aquæ, cùm simpliciter profertur, semper intelligimus aquam naturalem, seu simplicem, aut elementalem; iuxta regulam Philosophorum, qui dicunt, quòd cùm vox, quæ plura significat, simpliciter profertur, intelligenda est de principaliori significato, vt etiam de materia Sanctiss. Eucharistiæ cùm legimus, quòd Christus accepit panem, benedixit, ac fregit; intelligimus illum panẽ, qui principaliter, & communiter dicitur panis absque vlla additione; Et hic est panis triticeus.

2 Quod autem Aqua naturalis sit materia Sacramenti Baptismi; & non alia, deffinitur in Concil. Florent. sub Eug. 4. &

& Trident. sess. 7. c. 2. de Sacramento Baptismi sub his verbis; Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Sacramenti Baptismi; atq; ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto; ad metaphoram aliquã detorserit: anathema sit.

Quæritur secundo, quare Christus voluerit potius aquam naturalem esse materiam Sacramenti Baptismi, quàm alium liquorem magis pretiosum? Resp. quia ita maximè conueniebat, vt dicunt Theol. præcipuè D. Tho. 3. par. q. 66. art. 3. Primo, quia Sacramentum omnibus necessarium debebat habere materiam, quæ ab omnibus, & vbique facilè haberi posset, qualis est aqua naturalis. Secundo, quia Sacramentũ, cùm sit signum eius rei, quam efficit, vt dictum est in antecedenti parte cap. 2. quæsito primo, materia Baptismi debuit esse talis, quæ haberet proprietates, quibus possent significari effectus ipsius, & huiusmodi est aqua; Primo quia aqua habet humiditatem, ex quo fit, vt significetur generatio spiritualis, quæ est effectus Baptismi, vt dictum est in antecedenti parte capite 6. quæsito, primo & dicetur infra, vbi de effectibus baptismi; generatio enim, & plantarũ, & animalium, vt dicunt Philosophi, & vt experiẽtia docet, incipit ab humido, vnde & semina vt generent necessariò humida esse debent. Secundo, quia aqua abluit sordes magis, & purius, quam alius liquor, imò alijs liquoribus non conuenit ablutio, nisi prout participant naturam aquæ, & ferè semper aliquo modo lotum inficiunt; & per hoc aqua significat purgationem peccatorum, quàm facit Baptismus. Tertio, quia aqua est refrigeratiua, & Baptismus refrigerat fomitem, idest inclinationem ad malum. Vltimò, quia aqua est corpus diaphanum, per quod visio fieri potest, & Baptismus illuminat, & facit nos cognoscere, & videre ea, quæ sunt fidei.

3 Quæritur tertio, vtrũ aqua naturalis sit materia proxima Sacramẽti Baptismi, an remota? Resp. quòd sicut in Sacramento Pœnitentiæ est duplex materia, altera proxima, idest actus pœnitentis, vt dicetur parte quinta istius tractationis: & remota, idest peccata; ita in Sacramento Baptismi duplex est materia, altera proxima, & hęc est ablutio facta cum aqua naturali: & altera remota, & hæc est ipsamet aqua naturalis, siue elementalis.

Ex his, quæ diximus in hoc capite de materia Sacramenti Baptismi, & in capite tertio partis antecedentis de materia Sacramentorũ in cõi, primo infertur, quod Baptismus fieri potest in aqua elementali qualibet, siue sit terrestris, vt maris, stagni, fontis; fluminis, vel putei, siue sit cælestis, idest immediatè generata ex vaporibus, vt pluuialis, vel non generata ex his immediatè, sed resoluta ex immediatè generato, puta ex glacie, rore, pruina, niue, vel grandine, quia omnes istæ sunt veræ aquæ, & sunt eiusdem speciei; & elementalis, vt ait D. Tho. art. citato, non tamen potest fieri in niue, gelu, grandine, & glacie, dum sunt condensata.

4 Infertur secundo, quod Baptismus potest fieri in aqua sulphurea, & lixiuio, quia aqua sulphurea, & lixiuium, licet habeant diuersum saporẽ, & odorem ab eo, quem habet aqua elementalis pura; sunt tamen eiusdem speciei cũ aqua elementali, & dicit Palud. quod aqua elementalis non est susceptiua saporis; sed sapor, qui percipitur in huiusmodi aquis, quibus vtimur; non est in ipsa aqua, sed in vaporibus ei cõmixtis. Verum D. Tho. 3. par. q. 66. art. 4. in resp. ad 4. argum. dicit, quod licet aqua elementalis de sua natura non sit saporosa, potest tamen suscipere saporem à corpore, per quod transit; per quem saporem nõ corrumpitur species aquæ sed tantùm alteratur, idest ex aqua elementali per saporem non fit, non aqua non

non aqua elementalis; sed ex aqua elementali non saporosa fit aqua elementalis saporosa, sicut per calorem ignis introductum in aqua elemẽtali ex aqua elementali non fit non aqua elementalis, sed ex aqua elementali frigida fit aqua elementalis calida.

5 Infertur tertio responsio ad id, quod à nonnullis quæri solet, an videlicet in iure, seu brodio possit fieri Baptismus; de hoc enim fuit dubium etiã apud DD. aliquos, dicentibus quibusdam eorum non posse fieri Baptismum in brodio, eo quod non stet in eo species aquæ naturalis; alijs contrarium dicentibus cum D. Tho. 3. par. q. 66. art. 4. in resp. ad 1. arg. ex hoc, quod in brodio stet species aquæ naturalis: Veritas tamen est ea, quam docet D. Tho. loc. cit. cum dicit, Commixtio chrismatum non soluit speciem aquæ, sicut etiam nec decoctio carnium, aut aliorum nisi, inquit, forte facta sit tanta corporum lixatorum resolutio in aqua, quòd liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua, quod ex spissitudine percipi potest.

Infertur quarto, baptismũ non posse fieri in aliquibus humoribus, qui ex natura deducuntur, vt est humor stillans de planta cum tempore veris inciditur, maxime de viti. Item vrina, sudor, saliua, lachrymæ, & aqua, quæ est super cruorem cum aperitur vena, quia illa aqua non est elementalis, sed cholera, & flema; Ratio autem cur dicti humores non sint idonea materia ad Baptismum conficiendũ est, quia non sunt verè aqua naturalis, sed ab ea specie differunt.

Infertur quinto, Baptismum nõ posse fieri in aliquo humore producto ab arte, vt est aqua rosacea, sycera, ceruisia, & vt sunt aquæ lambicatæ ex aliquo mixto, & vt sunt succi herbarum; & ratio etiam hujus est, quia omnes isti humores specie differũt ab aqua naturali.

6 Infertur sexto, vt & dicunt DD. maxime D. Thom. 3. par. q. 66. art. 4. in resp. ad 3. arg. quòd si Baptismus factus fuisset in aqua, quę fluxit de latere Christi pendentis in Cruce, verus fuisset Baptismus, quia illa aqua erat naturalis, & simplex.

Dicendum igitur est, pro conclusione, quòd materia Baptismi est tantùm aqua naturalis, seu elementalis, & omnis aqua naturalis; nec refert ad valorem Baptismi, an aqua, quæ ad eum adhibetur, sit calida, an frigida; turbida, an clara; dulcis, an amara; recens an vetus; bene olens, an male olens; modò sit aqua naturalis.

7 Quòd si dicatur debetne esse benedicta aqua naturalis, vt sit materia Baptismi? Resp. quòd nõ est necessariũ ad conficiendũ Baptismũ, vt aqua naturalis sit benedicta, & sanctificata quantũ ad necessitatem Sacramenti, sed est necessariũ quãtũ ad necessitatẽ præcepti, quòd talis aqua sit benedicta, & sanctificata per orationem Sacerdotis. Et quod adhibeatur chrisma nouum, ita vt extra necessitatem peccaret Sacerdos ministrans Baptismum sine aqua sanctificata, aut benedicta, & chrismate nouo, idest facto, vel consecrato in illo anno, vt habetur de consecrat. d. 4. c. Si quis de alio. & ita refert Syluest. in summa, verbo Baptismus secundo.

CAPVT TERTIVM.

De forma Sacramenti Baptismi.

1 *Vera forma Baptismi à Christo instituta.*

2 *Quid de forma hæreticorũ sentiendum.*

3 *Quæ verba necessaria sint ad constituendum verum baptismum.*

4 *Non est necessariò exprimenda persona baptizans.*

5 *Si quis dicat, nos te baptizamus, vtrùm teneat baptismus.*

6 *De alijs mutationibus occurrentibus in forma baptismi.*

7 *Baptismus collatus in nomine Christi utrum validus.*
8 *Succurritur rationibus probantibus baptismum collatum in nomine Christi esse validum.*
9 *Explicatur textus Canonis, A quodã Iudæo &c.*
10 *Sacra Scriptura, & Canones, in quo differant.*

1 IN hoc capite quæritur, quæ sit forma Sacramenti Baptismi? Resp. secundum communissimam DD. opinionem, formam Baptismi esse hanc, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Licèt in Ecclesia Græca Sacerdotes, & alij ad baptizandum vtantur his verbis, Baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen; quæ 2 Græcorum forma quãuis aliquantulum differat à nostra, quam antea diximus; est tamen vera forma Sacramenti Baptismi, vt determinauit Conc. Florent. sub Eugen. 4. de vnione Armenorum, tamen nostra forma est melior, & potior, quia in ea significatur minister, in dictione (Ego,) actus baptizandi, in dictione (baptizo,) persona baptizata in dictione (te,) causa principalis baptismi in alijs dictionib⁹ (in nomine Patris &c.

3 In qua forma quædam sunt tantùm de congruitate, vt hæc dictio (Ego) quæ virtute includitur in verbo (Baptizo) cum sit primæ personæ, & dictio (Amen) quæ tantum ponitur vt confirmatio, & in aliquibus Ecclesijs omittitur. Aliqua verò in prædicta nostra forma, & in forma Græcorum sunt ita de necessitate Sacramenti Baptismi, vt sine illis minimè possit consistere Sacramentum baptismi; vt est actus baptizandi sub verbo (baptizo) vel baptizetur, vel sub alio eiusdem significationis; Persona baptizata sub pronomine (te) vel sub nomine seruus Dei, aut sub alio nomine significante personam baptizandam; & expressa inuocatio Sanctissimæ Trinitatis.

4 Ex his, quæ dicta sunt in hoc capite; & his quę diximus in antecedenti parte cap. 3. de forma Sacramentorum in communi; multa inferuntur.

Infertur primo, quod ad essentiã formæ Baptismi nõ est necessarium necessitate Sacramenti exprimere personam baptizantis sub pronomine (Ego) quia persona baptizãtis, quando non exprimitur per nomen (Ego,) virtualiter, & necessariò intelligitur sub verbo (Baptizo,) tum etiam quia Græci baptizant nulla facta mentione, expressa personæ baptizantis, & tamen apud Græcos Sacramentum Baptismi est verum, & validum, vt diximus supra ex concil. Florent. sub Eugen. 4. de vnione Armenorum, & ita tenent omnes Doctores.

Infertur secũdo, quòd si quis grauitatis caussa diceret Nos te baptizamus; & esset persona alicuius magnæ dignitatis, verus esset Baptismus, nam licet variarentur verba suprascriptæ formę, remaneret tamen idem verborum sensus; cum enim persona alicuius magnæ dignitatis dicit, nos facimus, nos baptizamus, ex vsu, & accommodatione idem verba significant, ac ego facio, Ego baptizo: & ita tenent omnes DD. maximè Sylu. in summa v. Baptismus primo §. 6. S. Bonauent. lib. 4. sent. d. 5. Si verò duo Baptizarent, & dicerent. Nos te baptizamus, non esset verus Baptismus, vt dicit D. Tho. 3. par. q. 66. art. 5. in responsione ad quartum argumentum, quia tunc (Nos) non significaret idem quòd ego tantùm, sed idem quòd ego, & tu; & sic variaretur sensus formæ. Sed de hoc, & vtrùm duo possint baptizare vnum, & eundem dicetur in capite 5. vbi de ministro Baptismi.

5 Infertur tertio, quod si quis diceret, ego abluo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, esset verus baptismus, quia abluo, & baptizo, vt diximus in primo cap. hujus partis, quæsito primo, habent eandem significatio-

nem

nem; similiter si quis diceret, Ego te immergo, vt dicit Dom. Sot. 4. sent. d. 7. q. vnica art. 5. & alij DD.

Infertur quarto, quod ad constituendum Sacramentum Baptismi necessariò est nominãda persona, quæ baptizatur, vel sub pronomine (te) vel sub nomine proprio, vt Ego baptizo Petrum, in nomine Patris, &c. ita Dom. Sot. art. 5. cit. & omnes DD. Sufficeret tamen virtualiter, & implicitè exprimere personam, quæ baptizatur; cum necessario intelligitur sub verbo passiuo, vt si quis diceret Baptizaris à me in nomine Patris &c. nam in verbo passiuo (Baptizaris) virtualiter, & necessariò intelligitur pronomen (Tu) si non exprimatur; sicut & antea dicebamus, quòd sub verbo Baptizo virtualiter, & necessariò subintelligitur pronomen (Ego) Quòd autem forma prolatã sub verbo passiuo sit sufficiens ad baptizandum, patet ex regula generali, quã posuimus in antecedenti parte, cap. 3. quia videlicet in ea non variatur sensus formæ; sed tantùm variantur verba formæ: Non esset tamen cõueniens, quod aliquis Latinus baptizaret sub verbo passiuo, quia recederet à communi vsu suæ Ecclesiæ.

Infertur quinto, quòd si quis baptizando diceret, Ego te baptizo in nominibus Patris, & filij, &c. non verè baptizaret, quia cùm dicimus in nomine, in singulari; intelligimus vnam esse virtutem, & essentiam, & potestatem in Sanctiss. Trinitate; quòd si diceremus in nominibus Patris, & filij, &c. videremur dicere in Deo esse tres virtutes, & essẽtias, & potestates, quod falsissimũ est: & ita dicit D. Thó. 3. par. q. 66. art. 5. ad sextum, & omnes Doctores. esset tamen verè Baptismus si quis baptizando diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti, vt testatur Dom. Sot. 4. sent. dist. 3. q. vnica art. 5. sicuti possumus dicere Deus Pater, De' filius, De' Spiritus Sãctus, nõ tamen tres Dij.

Infertur sexto, quòd si quis baptizandó diceret, Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroq;, verè non baptizaret, vt apertissimè ait D. Th. 3. par. q. 66. art. 5. D. Bonauent. Scot. Riccard. Tho. de Argentina, Palud. Gabriel Biel. Marsil. Dom. Sot. & alij quamplurimi DD. lib. 4. sent. dist. 3. & Dom. Sot. dicta dist. q. vnica art. 5. dicit hanc opinionem esse communem, Contra quam opinionem tenuit Caiet. de quo infra dicetur, & Francis. à Victoria, in summa Sacram. nu. 14. & ratio D. Tho. est, quia variatur sensus verborum formæ; nam non est idem dicere, quantum ad sensũ, In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti: ac dicere, In nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque, quia prima verba, scilicet Patris, Filij, & Spiritus Sancti, significant personas Sanctissimæ Trinitatis connotando relationes, quæ sunt Paternitas, Filiatio, & passiua spiratio: Secunda vero verba, idest, Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque; significant quidem personas Sanctissimæ Trinitatis, sed connotando actiones; cùm enim dicimus Genitorem, connotamus actum generandi; sed cum dicimus Patrem, connotamus paternitatẽ, quæ est relatio proueniens ex generatione; qua relatione Pater constituitur Pater, & prima persona; & hæc ratio D. Tho. quam ponit art. 5. supra citato in resp. ad vltimum arg. amplificatur à Soto in quæst. vnica cit. art. 5. Secunda ratio potest addi, quam afferunt alij DD. quòd videlicet non esset verus Baptismus si quis diceret, Ego te baptizo, in nomine Genitoris &c. quia Christus Dominus, quando instituit formam Baptismi, seu quando dixit Apostolis, vt baptizarent Matth. vlt. & Marci item vltimo, apertè dixit, Baptizantes eos in nomine Patris, &c. non autem in nomine Genitoris &c.

Infertur septimo, quòd non verè ba

ptizaret, si quis baptizaret in nomine Sanctiss. Trinitatis, sine distincta expressione personarum ; & ita tenent omnes DD citati in præcedenti illatione, præter Caiet. & maximè D. Tho. 3. par. q. 66. art. 5. à cuius sententia deuiauit Caiet. in hoc propter cap. à quodam Iudæo, qui habetur de consac. dist. 4. de quo can. infra dicetur: Interim probatur opinio D. Th. primo quia Christus Matth. vlt. dixit Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ideo in forma Baptismi debent exprimi personæ Sanctiss. Trinitatis. Secundo, quia Pelagius Papa de consec. d. 4. c. si reuera, dicit Baptismum esse reiterandum, si in eius forma non est expressa Sanctiss. Trinitas; Idem dicit Glos. in c. A quodam Iudæo de consec. d. 4. nec aliter inquit ibi gl. voluit significare Nicol. Papa in d. c. & ita tenendū est, vt patet legenti dictū capitulū; Dicit enim ibi Nicol. Papa, quòd Baptis. à Iudęo, vel Pagano collatus est validus, si collatus est in nomine SS. Trinitatis, vel in nomine Christi tantum, illa enim particula (tantum) significat, quòd cùm dicit Nicol. in nomine Sanctiss. Trinitatis, intelligit de expressione personarum SS. Trinitatis.

7 Infertur octauo, quòd Baptismus collatus in nomine Christi, non est verum Sacramentū, vt tenent omnes DD. citati excepto Caiet. & Victoria; & ratio huius est, quam affert D. Tho. q. cit. art. 6. quia Christus, Mat. vlt. dixit Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Secundo, quia nomine Christi non exprimit totam Trinitatē; & licèt in eo nomine, quia significat vnctū, intelligatur vngens, idest Pater; vnctus, idest Filius; & vnctio, idest Spiritus Sanctus; non sufficit tamen hoc ad formam Sacramenti Baptismi, in qua debet exprimi tota Sanctiss. Trinitas, prout eam expressit Christus, Matt. vlt. cùm dixit Baptizantes eos in nomine Patris &c. Tertio, quia Pelagius Papa de consecr. dist. 4. c. si re vera; Scribens Gaudentio Episcopo, ita ait, Si ij, qui in locis dilectionis tuę vicinis commorari dicuntur, solùm in nomine Domini baptizant, sine cuiusq; dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes, in nomine Sanctiss. Trinitatis, baptizabis: & Didym. lib. 2. de Spiritu Sancto, paulò post principiū ait, licet quis possit existere ita mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnum de prædictis nominibus, scilicet trium personarum, prætermittat, tamen sine perfectione baptizabit.

Sed dices primo in actis Apost. c. 8. dicitur, quòd Apostoli baptizabant in nomine Christi viros, & mulieres, ergo & nunc potest fieri baptismus in nomine Christi, quia sicut semper fuit vna fides, ita & semper fuit post Christum vnum Baptisma, vt dicitur ad Ephes. 4. vnus Deus, vna Fides, & vnū Baptisma.

Secundo dices D. Amb. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. dicit, si Christum dicas, & Patrem, à quo vnctus est; & ipsum, qui vnctus est, Filium; & Spiritū Sanctum; à quo vnctus est, designasti. Igitur si in nomine Patris, & Filij &c. potest fieri baptismus, ita & poterit fieri in nōie Christi; vnū .n. atq; idē videtur esse dicere in nomine Christi, ac dicere, In nomine Patris, & Filij, & Sps Sancti.

Tertio dices Nicol. Papa de consec. d. 4. cap. à quodam Iudæo, dicit, quòd à Iudæo, vel Pagano Baptismus collatus est validus, si tamen sit collatus in nomine Christi; sicuti in actis Apost. dicitur, vnum enim, & idem est (inquit Nicolaus) in nomine Christi, ac in nomine Sanctiss. Trinitatis, ex sententia D. Ambrosij. Propter has tres rationes Caiet. 2. 2. q. 66. art. 5. & 6. tenuit Baptismum collatum in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroq; vel in nomine Christi, vel in nomine Sanctiss. Trinitatis esse validum; Dicit enim, qđ si Baptismus in nomine Trinitatis, & in nomine Christi secundū indi-

cium

cium Pontificis iudicatur verus, multo magis iudicabitur verus Baptismus si fiat in nomine genitoris, & geniti, & procedētis ab vtroq; & affert Caiet. simul auctoritatē Act. Apost. & D. Amb. ad confirmandā suam opinionem. Verum ad dictas rationes respondetur.

8 Ad primam respondeo cum D. Tho. 3. par. q. 66. art. 6. in resp. ad primū arg. quòd ex inspiratione diuina Apostoli in primitiua Ecclesia fuit concessum, vt baptizarent in nomine Christi, vt nomen Christi quod apud Iudæos, & Gentiles erat odiosum, haberetur in veneratione; Non tamen inde sequitur, quòd priuilegium Apostolorum adhuc duret; Rursus dico cum Cat. Rom. & quamplurimis alijs DD. Apostolos nunquam baptizasse in nomine Christi, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; & quod dicitur in actis Apost. esse intelligendum, quòd Apostoli baptizabant in nomine Christi, idest non baptismo Ioannis, sed Baptismo instituto à Christo; vel quod baptizabant in nomine Christi, idest in virtute Christi eo modo, quo ad Galat. 3. dicitur, quotquot baptizati estis Christū induistis, idest in virtute Christi baptizati estis: & Cat. Rom. dicit ita tenuisse D. Amb lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 3. & D. Basyl. lib. 6. de Spiritu Sācto cap. 10. ex quo desūpsit D. Amb. Rubert. Bellar. tom. 2. lib. 3. de controuersijs Christianæ fidei, dicit Apostolos dici baptizasse in nomine Christi, non quia excluderent à forma Baptis. Patrē, & Spiritum Sanctum, sed quia ita dicebant, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti, atq; omnes hæ tres responsiones D. Thom. Cat. & Rubber. sunt bonæ, & eas admittunt quamplurimi alij Doctores.

Ad secundam rationem resp. cum D. Tho. art 6. cit. in resp. ad secundū arg. quòd D. Amb. non dixit Baptismū nunc in nomine Christi collatum esse Sacramentum, sed quòd conuenienter fuit facta Apostolis dispensatio, vt baptizarent In nomine Christi (si tamen talis dispensatio facta fuit) quia in nomine Christi intelligitur vngens, vnctus, & quo fit vnctio, idest Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Rubert. Bellar. lib. cit. dicit D. Ambrosium non existimasse Apostolos baptizasse in nomine Christi tantùm, sed in nomine Patris &c. & dixisse rectè à D. Luca in actis Apost. dictum fuisse Apostolos baptizasse in nomine Christi, quia in nomine Christi intelligitur vngens, vnctus, & vnctio, idest Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & probat Bellar. quia hoc idem sensit apertè D. Basyl. cuius doctrinam maximoperè sequutus est D. Ambrosius, qui multoties sententias ipsius D. Basylij sibi appropriat.

9 Ad tertiam rationem, resp. primo, cum D. Thom. art. 6. cit. & Sot. lib. 4. sent. dist. 3. quæst. vnica. art. 6. quòd textus ille Nicol. Summi Pontif. non facit argumentum de fide, quia Sum. Pont. in eo loco nō intendebat determinare rem de fide, sed tanquam particularis Doctor attulit suam opinionem; Et hoc probatur, quia pro sua opinione citat D. Ambrosium, si enim voluisset determinare rem de fide non videtur verisimile, quòd citasset opinionem alicuius Doctoris. Sed melius (meo iudicio) secundo resp. aliqui DD. ad textum Sum. Pontif. in cap. A quodam Iudæo: quòd videlicèt non omnia, quæ dicuntur à Sum. Pontif. in aliquo canone, sunt de fide, sed ea tantùm, quæ in eo dicuntur per modum determinationis: Quæsitum ergo fuerat à Nicolaus Pontifice tantùm vtrum Baptismus collatus à Iudæo esset verus Baptismus, & non quæsitum fuerat ab eo, vtrum Baptismus collatus in nomine Christi esset validus; & respondit, quòd Baptismus collatus à Iudæo, vel etiam Pagano est verus, & hæc sola fuit vera determinatio

correspon-

correspondens quæsito, quod fiebat. Quod verò dixerit, si baptizauit in nomime Sanctiss. Trinitatis, vel in nomine Christi, non erat determinatio de fide, nam hoc ab ipso non quærebatur; sicut in quodam concilio, vniuersali cùm esset controuersia, An Angeli essent pingendi, determinauit Conciliũ hoc modo, Angeli sunt pingendi; & subdidit, quoniam corpora sunt; Illud (Angeli sunt pingendi) tantùm erat determinatio de fide; nam de hoc tantùm quærebatur à Concilio; sed ratio allata, quoniam corpora sunt, non fuit de fide, sed tantum erat probabilis, quoniam D. Aug. non nunquam dixit Angelos esse corporeos, & habere quædã corpora aerea.

10 Atq; hinc patet hanc esse differentiã inter Sacram scripturam, & Concilia, aut Canones Pontificum; quòd in Sacra scriptura omnia sunt de fide, & in Concilijs, & Canonibus Pontificum non omnia sunt de fide, sed tantùm determinationes ipsorum Conciliorum, & Pontificum, & non rationes, vel alia quæ afferuntur ad probandam determinationem, semper sunt de fide.

CAPVT QVARTVM.

De institutione Sacramenti Baptismi.

1 *Baptismus quando institutus.*
2 *Institutio baptismi, ex quo loco scripturæ probetur.*
3 *Præceptum baptismi suscipiendi, vnde habeatur, & quãdo obligare capit.*
4 *Hoc præceptum vtrum obligaret omnes.*
5 *Cur Christus non promulgauerit præceptũ baptismi ante resurrectionẽ.*
6 *Vtrum sanctificati in vtero teneretur lege baptismi.*

1 IN hoc capite quæritur, quando Baptismus fuerit institutus? De hoc quæsito fuerunt tres opiniones inter catholicos DD. nam aliqui dixerunt Sacramentum Baptismi fuisse institutum post Christi resurrectionem, Marci, & Matth. vlt. cùm Christus dixit, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Alij dixerunt Sacramentum Baptismi fuisse institutum ante Christi resurrectionem Io. 3. cùm Christus dixit Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c. & alij dixerunt Sacramentum Baptismi fuisse institutum ante Christi resurrectionem, Io. 1. quando Christus ipse Baptizatus fuit.

Ego in hac DD. controuersia, vt breuissimè procedam, dico primo Baptismum fuisse institutum ante passionem Christi, vt dicit Cathechis. Rom. vbi agit de Sacramento Baptis. D. Tho. 3. par. q. 66. art. 2. Dom. Sot. in 4. sent. d. 3. q. vnica, art. 2. Caiet. supra art. 2. cit. D. Tho. Francis. à Victoria in Sum. Sacram. num. 9. Durand. Riccard. & multi alij Scholast. 4. sent. d. 3. & probatur, quia Io. 3. dicitur, quod Christus baptizabat, idest, per Apostolos, nã Io. 4 dicitur, quòd Apostoli Christi baptizabant, & non ipse Christus; sed non est probabile, quòd Christus, vel Apostoli eius baptizarent Baptismo Ioãnis, quia baptizãtibus Apostolis Christi Baptismo Ioannis non diceretur baptizasse Christus per Apostolos, sed Ioannes: Deinde D. Io. Baptista loquens de Christo dixit, Io. 1. Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto; Ego autem baptizo vos in aqua; ergo Baptismus quo baptizabat Christus, vel eius Apostoli, non erat Baptismus Ioannis, vt dicunt illi, qui tenent Baptismum fuisse institutum post resurrectionem Christi.

2 Dico secundo, Sacramentum Baptismi fuisse institutum, Io. 1. cùm ipse Saluator noster baptizatus fuit, & ita tenent omnes DD. supra citati, licèt Franciscus à Victoria nu. 8. in Sum. Sacram.

videatur

videatur dicere Baptismum fuisse institutum, Io. 3. cujus contrarium apertè docet nu. sequenti, atquè nostrum dictum probat Catechis. Rom. primo auctoritate D. Aug. ser. 18. de tempore, & D. Greg. Nazianz. in sermone quẽ habuit de Natiuitate Domini, vbi hi DD. dicunt, quòd Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Secundo probat idem Catechis. Rom. quia sicut baptismus confertur in virtute Sanctiss. Trinitatis, & in nomine ipsius, ita quando Christus baptizatus fuit apertissimis signis apparuit Sanctiss. Trinitas, Pater quidem in ea voce, quæ fuit audita, Hic est filius meus dilectus. &c. Filius in persona, quia ibi aderat, & baptizabatur, & Spiritus Sanctus in specie Columbę. Et reuera, quod maius argumentum institutionis Baptismi, qui fit in virtute, & nomine Sanctiss. Trinitatis poteramus habere, quàm tàm expressam ipsius Sáctiss. Trinitatis repræsentationem, & manifestationem?

3 Dico tertio, quòd licèt baptismus fuerit institutus ante Christi passionẽ, quando Christus ipse baptizatus fuit; eius tamen præceptum non fuit datum eo tempore, sed Io. 3. cùm dixit ipse Christus, Nisi quis renatus fuerit, &c. & ratio huius est, quia quando Christus baptizatus fuit, Io. 1. nulla habentur verba, quæ Baptismũ præcipiant, sed ea habentur, Io. 3.

4 Dico quarto, quòd licet Baptismus fuerit institutus ante Christi passionẽ, quando Christus Baptizatus fuit, & fuerit de eo datum pręceptum, Io. 3. nó tamen tenebãtur homines baptizari sub pæna pec. mort. ante Christi resurrectionem; sed post eam, & hoc est, quod dicitur Marci, & Matt. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ita tenent omnes supracitati DD. & ratio huius est, quia licet aliqua lex sit à Principe condita, illa tamen non obligat ad sui obseruationem, nisi postquam est promulgata; & lex baptismi fuit quidem data, Io. 3. sed fuit promulgata tantùm post passionem Christi, Marci, & Matth. vltimo.

Dico quinto, quod neque etiam post promulgationem legis Baptismi factã, Mar. & Matth. vlt. omnes tenebantur baptizari; sed ab hoc præcepto de suscipiendo Baptis. exempti erant omnes illi, qui hanc legem, & promulgationẽ ignorabant ignorantia inuincibili, & ita dicit Syluest. in Sum. verb. Baptis. 4. §. 1. & Riccard. in 4. sent. dist. 3. ignórantia autem inuincibilis est illa, quam habet ille, qui non cognoscit legem, quia non potuit eam cognoscere, & ipse non fuit in caussa quare eam non cognoscat.

5 Dico sexto, quòd Christus conuenienter non promulgauit legem Baptis. ante suam resurrectionem, quia vt ait D. Tho. art. supra cit. in primo dicto, homines in Baptismo configurantur passioni, & resurrectioni Christi; moriuntur enim omnes peccato in Baptismo, & resurgunt in vitam æternam; Deinde quia baptismus succedit Sacramentis veteris legis, & cæręmonijs, atq; alijs legalibus, veteris testamenti; quæ cæremoniæ, & legalia quantùm ad præceptũ cessauerunt in passione Christi, cùm Christus in Cruce pendens dixit, Consumatum est; & propterеà de necessitate post passionem, & nó antea debuerunt omnes baptizari, quia antea legalia, vt Circuncisio, erant in præcepto; quę Circuncisio erat figura Baptismi; Conuenienter autem debuit prius cessare præceptũ figuræ, antequã adesset præceptum figurati.

6 Sed hic est vna dubitatio vtrum sanctificati in vtero (si qui essent) tenerentur suscipere Baptismum? & vtrum tenerentur suscipere Baptismum post passionem Christi, illi qui erant circuncisi ante eius passionem? Resp. affirmatiuè ex Syluest. in sum. verb. Baptis. 4. §. 1.

§. 1. vbi, & citat D. Tho. primo ad acquirendum characterem, quo possent alia Sacramenta percipere. Secundo propter præceptum obedientiæ, quia preceptum de Baptismo est datum omnibus, dicitur enim vniuersaliter Io. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. & Matt. vlt. Docete omnes gentes Baptizantes eos &c.

CAPVT QVINTVM.

De ministro Sacramenti Baptismi.

1 *Minister Baptismi quis.*
2 *Si quis alius à proprio Episcopo, aut Parocho Baptizet extra casum necessitatis, peccat mortaliter.*
3 *Diaconus vtrum possit baptizare.*
4 *Num item subdiaconus, vel alius clericus.*
5 *An Laicus possit baptizare.*
6 *Laicus nullo modo potest absoluere à peccatis, & cur.*
7 *Possitnè minor baptizare maiore presente sine peccato.*
8 *Obstetrices tenentur sub peccato mortali scire formam baptismi.*
9 *Possitnè quis seipsum baptizare.*
10 *Possintnè plures simul eundem baptizare, & quomodò detur contingentia casus.*
11 *Baptizare semel baptizatum sitnè peccatum.*
12 *Possitnè quis simul plures baptizare.*

1 IN hoc capite primo queritur quinā sit proprius minister sacramenti Baptismi? Resp. proprium ministrum Sacramenti Baptismi ex officio extra casum necessitatis, esse tantùm proprium Episcopum, vel Parochum, vel alium Sacerdotem de licentia proprij Episcopi, vel Parochi; ita tenent omnes DD. vt videre est apud D. Tho. 3. par. q. 67. art. 1. Caiet. ibidem, Sot. & alios Scholast. DD. in 4. sent. dist. 4. Cat. Rom. vbi tractat de ministro Baptismi, Nauar. in Man. cap. 22. nu. 7. & rationem istius afferunt D. Tho. & Cat. Rom. locis citatis.

2 Quòd si dicas, quid si extra casum necessitatis Sacerdos non Episcopus, vel non Parochus proprius sine licentia ipsius proprij Episcopi, vel Parochi baptizaret? Resp. quod peccaret mortaliter, vt probat Syluest. in sum. verbo Baptis. 3. nu. 1, Non tamen fieret irregularis, quamuis Armil. in sum. verb. Baptis. nu. 39. dicat, quòd fieret irregularis; sed id nullo iure cauetur; & ideo aliter, & benè docet Syluest. vbi supra.

3 Quæritur secundo, vtrum aliquādo Diaconus possit baptizare extra casum necessitatis, & solemniter? D. Tho. 3. p. q. 67. art. 1. dicit duo, primo Diaconū non posse esse ministrum Sacramenti Baptismi baptizando, sed tantùm ministrando Sacerdoti, qui baptizat. Secundo Diaconū in absentia Curati, quando videlicet ipse Curatus esset alijs detentus negocijs, nec posset ipse baptizare, posse baptizare de licentia ipsius Curati. Primum dictum probat D. Tho. 1. auctoritate D. Dyonys. Areopag. qui cap. 7. de ecclesiastica Hierar. dicit, quod ex nominibus ordinum facilè intelliguntur officia ordinatorum: Diaconus dicitur Diaconus, quia est minister Sacerdotis ministrantis Sacramenta, ergo ad ipsum non pertinebit ministrare Sacramentum Baptis. nisi in casu dicto, Secundo quia Gelas. Papa dist. 93. cap. Diaconos, ait Diaconi ministrare Sacramentum Baptismi absq; Episcopo, vel Parocho non audeant &c. Secundū dictum D. Tho. potest probari primo ex Cat. Rom. vbi agit de ministro Baptismi, ibi enim dicit Diaconum posse ministrare Sacramentum Baptismi de licentia proprij Sacerdotis, quod intelligendum est in casu dicto, quando videlicet proprius Sacerdos est absens, vel etiam præsens, sed ita impeditus, vt non possit ipse baptizare, nec adsit alius Sacerdos

sacerdos cui posit imponi munus baptizandi. Secundo probatur ex Caiet. qui in comment. supra q.67. cit. d.35. ar. primo, dicit quòd quando ordinatur Diaconus illi expresè dicitur Diaconos oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare. Dom. Sot. in 3. d 4. q. vnica. ar. 1. dicit verum esse quod dicit. D. Th. & quod innuit Caiet. id est quòd ad Diaconum spectat baptizare, sicut & prædicare si hoc illi ab episcopo imponatur, aut à sacerdote proprio; quod intelligẽdum est in illis locis, in quibus non reperitur Sacerdos, cui possit tale munus imponi.

4 Quæritur tertio vtrũ Subdiaconus, vel alius clericus, qui sit constitutus in minoribus ordinibus posit baptizare solemniter, vel extra casũ necessitatis? Respondeo secundum communem dd. opinionẽ, quòd non sine peccato mortali, sicut & laicus etiam de licentia Episcopi, vel proprij sacerdotis. Et si tales solemniter baptizarent efficerentur irregulares vt habetur De clerico non ordinato minist. c. 1. quod etiam intelligit de Diacono Nauarr. in manu. cap. 22. n.7. & Syluest. in sum. ver. baptis. 3. §. 1. qui sunt intelligendi quando Diaconus baptizat sine licentia episcopi, vel proprij sacerdotis, & extra casum, de quo dictũ est in quæsito antecedẽti.

5 Quæritur quarto vtrum laicus possit baptizare? Resp. cum communi dd. opinione, & sententia, quòd in casu necessitati, sine solemnitate vnusquisque potest baptizare siue sit clericus, siue laicus, siue masculus, siue fœmina, siue fidelis, siue infidelis, modò adhibeat debitam materiam, & debitam formam, & habeat debitam intentionem, de quibus supra dictum est. Et hoc probatur primo ex c. A quodam Iudæo de consecr. d. 4. vbi interrogatus Nicol. Papa an baptizati à Iudæo, siuè pagano essent verè baptizati respondit affirmatiuè, & dixit eos non esse rebaptizandos. Secundo probatur ex D. Th. qui in 3. p. q.67. ar. 5. dicit quod sicuti ex parte materiæ in Baptismo, quantùm ad necessitatem sacramenti Baptismi, sufficit quæcunq; aqua modò sit naturalis, ita ẽt ex parte ministri sufficit quicunque homo, modò habeat debitam intentionem; & ideo etiam non baptizatus potest baptizare, non tamen sine peccato extra casum necessitatis. Vnde si in casu necessitatis duo non baptizati se inuicem baptizarent, Baptismus eorum esset validus; & si extra casum necessitatis hoc fieret, Baptismus etiam esset sacramentum verum, vterque tamen grauiter peccaret; & propter hoc impediretur effectus Baptismi quantũ ad gratiã, non tamen quantum ad characterẽ.

Sed dicet aliquis, laicus non potest cathechizare, & exorcizare, quæ sunt minora, quàm baptizare; ergo non potest baptizare? Resp. quòd laicus non potest catechizare, & exorcizare, quia hæc non pertinent ad necessitatẽ Baptismi, sed tantùm sacerdos, ad quem tantum spectat baptizare extra casum necessitatis.

6 Dicet quis secundo, Laicus nõ potest absoluere à peccatis per sacramentum Pœnitentiæ, quòd tamen sacramentum est necessarium habenti peccatũ mortale, sicut & Baptismus habenti peccatũ originale; ergo nec potest ministrare sacramentum Baptismi, etiam in casu necessitatis. Ad hoc dico primo quòd sacramentum Pœnitentiæ non est ita necessarium vt Baptismus, nam sufficit contritio cum voto sacramenti Pœnitentiæ ad delendum peccatum mortale, quando non adest sacerdos, qui tempore debito absoluat; & licet sufficiat Baptismus in voto ad delendum peccatum originale, & alia quando nõ adest baptizans; tamen pœnitentia non tollit totam peccati pœnam, sicuti Baptismus. Deinde dico quòd Pœnitentia non adhibetur pueris; quibus tamen debet adhiberi Baptismus cùm non possint eum habere in voto.

Dicet quis tertio nemo dat quod nõ habet: ergo non baptizatus non potest baptizare. Resp. quòd nõ requiritur de necessitate sacramenti vt baptizans sit baptizatus, quia nõ cõfert Baptismũ in vi Baptismi, quẽ habet; sed tãtũ ĩ virtu te Christi, q est ille; q interiꝰ baptizat.

7 Quæritur quinto vtrum præsente sacerdote in casu necessitatis possit baptizare Diaconus; & præsente Diacono Subdiaconus, & præsente Subdiacono alius inferioris ordinis? Resp. quòd non sine peccato, vt ait Nau. in man. cap. 22. & Cat. Rom. vbi de ministro baptismi; & omnes doctores: sed debet baptizare Sacerdos, si adest, & si non adest, Diaconus; & si non adest Diaconus, Subdiaconus; & si nõ adest Subdiaconus, alius Clericus, & si nõ adest Clericus, Laicus masculus baptizatus; & si non adest Laicus masculus baptizatus, fœmina baptizata; & si non adest fœmina baptizata, laicus nõ baptizatꝰ; & si non adest laicus non baptizatus, laica non baptizata & si infidelis.

Quòd si dicas essetne pecc. mor. peruertere dictum ordinem? Ad hoc resp. Dom. Sot. in 4. sent. d. 4. q. vnica ar. 2. quòd peruertere dictum ordinem sine caussa esset peccatum veniale, & fortassis mortale si adesset sacerdos; & ratio huius est quia esset tantùm quædam indecentia si fœmina baptizaret præsente masculo; vel masculus laicus præsente Diacono, vel subdiacono; maxima tamen si præsente sacerdote, qui est proprius minister.

Secundo. Dicendum est quòd baptizare peruertendo dictum ordinem cũ caussa legitima, vt quando ille, qui est maioris dignitatis vel nollet vel nõ posset baptizare, vel nesciret, nõ esset peccatum veniale, imò bonum esset, imò necessarium, quia peccaret mortaliter ille, qui in casu necessitatis nollet baptizare præsente aliquo maioris dignitatis, qui vel nollet, vel non posset baptizare.

8 Atquè hinc colligitur quòd obstetrices tenentur sub pœna peccati mortalis scire formã baptismi propter frequentes casus necessitatis Baptismi, qui illis occurrũt, vt dicit Nau. in man. cap. 22. nu. 6. in fine, & Syluest. in sum. verbo Baptismus. §. 1.

9 Quæritur sexto vtrum sit Baptismus si aliquis non baptizatus seipsum baptizaret; præcipuè in casu necessitatis? Resp. secundum communem dd. opinionem quòd non, quia vel talis diceret Ego me baptizo; vel Ego baptizo; Si primum, variaret sensum veræ formæ Batismi; Si secundum, mendaciũ diceret.

Sed dicet quis Innoc. 3. vt habetur in cap. Debitum De Baptis. excusat etiam à peccato veniali quendam qui seipsũ baptizauit in articulo mortis; Imò, & dicit quòd si continuò post Baptismum decessisset, ad cœlestem patriã protinus euolasset. Resp. quòd talis excusatur à peccato ab Innocentio propter ignorãtiam inuincibilem; & euolasset ad cœlum si continuò decessisset, non quidem propter Baptismum, quo ipse a seipso baptizatus erat; quia non erat sacramentum: sed propter Baptismum Flaminis, idest propter deuotionem, quã habebat; & magnum propositum suscipiendi Baptismum fluminis; & hoc est quod dicit Innoc. loco cit. quòd talis protinus ad patriã cœlestem euolasset non propter fidei sacramentum; sed propter fidem sacramenti.

10 Quæritur septimo vtrũ plures vnũ, & eundem baptizare possint? Hanc quæstionem tractant Scholast. in 4. sent. maxime Sot. fusè q. vnica ar. 4. Sũmistæ in ver. Bap. summa Sacram. num. 16. & D. Th. 3. p. q. 67. ar. 7. simul & Caiet. fuse ibidem: Et pro resolutione dicendum est breuiter quòd plures baptizare vnum, potest contingere pluribus modis. Primo potest contingere quòd ambo eodem tempore dicant Ego te baptizo in singulari in nomine Patris &c. & tunc verè fit Baptismus si in illis duobus est intentio faciendi quod facit Ecclesia,

clesia, & vterque baptizat si vterque adhibet debitam materiam dum verba dicta profert; Et probatur primo quia sicut plures sacerdotes possūt vnam, & eandem hostiam consecrare, si omnes eodem tempore proferunt verba formæ cum debita intentione, vt fit quando consecratur episcopus, & ordinantur sacerdotes; ita plures possunt vnum, & eundem baptizare; & ita tenēt omnes Doctores supracitati, & quidē quòd plures sacerdotes possint eandem hostiam consecrare asserit D. Th. 3. p. q.82. ar.2. & de hoc dicetur infrà Parte quarta huius Traactatus, vbi de santissima Eucharistia. Secundo probatur quia si daretur prædictus casus, vel vterque verè baptizaret, vel neuter, vel alter tantum; non secundum quia posita materia debita, & debita forma cum debita ministri intentione fit necessario sacramentum; non tertium, quia non est maior ratio cur de vno dicatur quòd baptizauerit, quam de alio, ergo dicendum est primum.

Secūdo potest cōtingere casus quòd ex his duobus, qui baptizāt, prius vnus proferat verba, & abluat baptizādum; & alter postea, itaut in eodem temporis puncto vterque non proferat vltimā formæ dictionem, sed vnus post alium, & in tali casu primus solus baptizat. Secundus verò si sciebat primum baptizasse, peccat mortaliter, & fit irregularis vt dicetur in quæsito sequenti, quia rebaptizat.

Tertio potest contingere casus, quòd ambo baptizantes vnum simul abluāt, & dicant Nos te baptizamus in plurali in nomine Patris &c. & de hoc est maxima inter Doctores controuersia, nam D. Th. ar.7. supracit. dicit Baptis. non esse validum in tali casu, primo quia non seruatur sensus formæ, nam dictio Nos, significat idem quòd Ego, & Tu, cum duo baptizant. Secundo quia cū ille, qui baptizat nō baptizet in propria virtute, sed in virtute Christi, & Christus est vnus: ergo & baptismi minister debet esse vnus. Durand. in 4. d.4. q.4. dicit quòd in tali casu Baptismus esset validus, & probat primo quia quando Christus Mat. & Mar. vlt. præcepit Apostolis vt baptizarent, dixit in plurali baptizantes eos in nomine Patris &c. Secūdo quia expressio baptizantis in forma Baptismi non est necessaria, nam Græci uere baptizant ex sentētia Concil. Fiorent. dicētes Baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris &c. Tertio quia ratio, quàm afferet D. Th. ad probandum quòd vnus tantū debet esse baptizans, nihil valet, quia secundū D. Th. plures possunt baptizare vnū, & eundem si singuli dicūt, Ego te baptizo. Caie. ar.7. cit. propter rationes Durādi tenet cū ipso. Do. Sot. in 4. se. d.4. q. vnica ar.4. conatur deffēdere. D. Th. & quia videt rationes supradictas D. Th. non esse multum concludentes, dicit D. Th. non fuisse locutum determinatiuè, sed probabiliter. Syl. in ver. Bap.3. Armil. in sum. ver. Bap. & alij Thomistæ tenent cum D. Thoma.

Ego certè propter auctoritatem D. Th. libenter dicerē cum ipso; sed maximè vrgent argumenta Durandi, præsertim cum videam sequaces D. Thomæ maximè esse dubios circa determinationem istius casus, nam Caiet. qui semper ferè D. Th. deffendit, in hoc casu discedit ab eo. Dom. Sot. qui fuit eiusdē familiæ cum D. Thoma, & eius doctrinam ferè semper sequitur, eum potius excusat dicens probabiliter loquutum fuisse; propterea dico quòd talis, qui hoc modo esset baptizatus, esset rebaptizandus cum conditione, & si nō posset rebaptizari, quia mortuus esset, potius esset iudicandus baptizatus quàm non, vt in Ecclesia sepeliri posset.

Quarto potest accidere casus quòd duo baptizent vnum hoc modo, quod detur vnus, qui non possit loqui, vt mutus, & alter manibus, brachijsquè carens, qui possit loqui, & inter ipsos ali-

quis puer vel alius non baptizatus, qui deberet baptizari, & mutus ablueret dum ille, qui caret manibus, & brachijs, pferret formã Baptismi, ambo intẽdẽtes baptizare nõ baptizatũ. De hoc casu D. Th. ar. 7. cit. dicit quòd non esset verè Baptism⁹, nã ille, qui profert formã, vel dicit Ego te baptizo in nomine Patris &c. vel dicit, nos te baptizamus in nomine Patris &c. vel dicit tu baptizas in nomine Patris &c.; si primũ, falsũ dicit, qa nõ ille, sed mutus baptizat idest abluit: Si secundũ, etiam falsum dicit quia Nos significat idem quòd ego, & tu, & ipse non baptizat, idest abluit, sed mutus; si tertium, variatur sensus formæ. Cum D. Thoma tenent omnes supracitati. DD. Sot. Caiet. & Summistæ locis supracit. præter Paludanum, qui in hoc contradicit D. Thomæ, sed sine ratione; nisi Palud. intelligeret cùm proferens formam diceret baptizetur Seruus Christi N. in nomine Patris &c. in quo casu esset maior dubitatio, tamẽ adhuc dicendum esset cum D. Th. quòd non esset verus Baptismus, quia ille, qui profert formã, debet esse Baptismi minister necessariò; sed ille, qui in hoc casu profert formam, nõ est minister Baptismi; nam Baptismus est ablutio, & qui profert formam non abluit, sed alius.

11 Quæritur octauo vtrum minister, qui bis aliquem baptizat, vel ab alio baptizatum iterũ baptizat, peccet mortaliter? Resp. quòd talis, si scienter id facit, peccat peccato sacrilegij, imò & est excommunicatus, & irregularis, & deponendus ab officio, & benefitio, vt habetur cap. finali de baptis. & in institutione canonica lib. 2. §. & illi quoquè. Quare qui baptizare volunt debent animaduertere ne aliquem baptizent sine præuia diligenti indagine an puer sit baptizatus nec ne, ne ob ignorantiam crassam peccẽt mortaliter rebaptizantes, cum periculo incurrendi in censuras, & pœnas ecclesiasticas.

12 Quæritur nono, & vltimo vtrum aliquis possit vnico actu plures baptizare proferendo tantum semel formam? Ad hoc communiter resp. omnes DD. quòd aliquis potest plures baptizare, & in casu necessitatis etiam sine peccato dicendo hoc modo, Ego vos baptizo in nomine Patris, &c. puta si ijs immineret ruina, aut gladius, aut nauis submersio, vel huiusmodi quidpiam, quod moram non pateretur; ita vt possent omnes singillatim baptizari; & hoc modo dicuntur Apostoli aliquando baptizasse: Nec variatur sensus formæ Baptismi propter dictionem Vos, nam Vos idem est quòd te, & te.

CAPVT SEXTVM.

De patrinis baptizandorum.

1. *Patrini origo vndè.*
2. *Cur Christus sine patrino baptizatus.*
3. *Ad quid patrinus requiratur in baptismo.*
4. *Vtrum etiam in baptismo adultorum.*
5. *Patrini cura qualis circa baptizatum.*
6. *Patrinus qualis esse debeat.*
7. *Qualis cognatio oriatur in baptismo.*
8. *An baptizans, vel suscipiens proprium filium, contrahat cognationem cum matre baptizati.*
9. *Non baptizatus baptizans non contrahit cognationem.*
10. *Ex cathechismo vtrum oriatur cognatio spiritualis.*
11. *In baptismo sub conditione oriaturnè cognatio.*

1 IN hoc capite primo quæritur quare in Baptismo, præter ministrum sacramenti, adhibeantur patrini, qui leuent baptizatum de sacro fonte? Ad hoc resp. ex D. Th. 3. p. q. 67. ar. 7. Dom. Sot. in 4. sent. d. 4. q. vnica ar. vlt. & Cat.

Rom.

Rom. vbi agit de Patrinis baptizandorum, quòd ratio huius est quia spiritualis generatio, quæ fit per Baptismum assimilatur quodammodo generationi naturali; Quare sicut in generatione naturali postquàm aliquis in hanc lucem est editus indiget nutrice, & pedagogo, quorum ope, atque opera educetur, & bonis artibus erudiatur; ita etiam necesse est vt qui ex fonte Baptismi vitã spiritualem viuere incipiunt alicuius fidei, & prudentiæ committantur, à quo Christianæ Religionis præcepta hauri re possint: cùm præsertim illi, qui generaliter curationi Parochiarum præpositi sunt, tãtùm temporis non habeant vt priuatam illam curam pueros in fide erudiendi suscipere possint: & hoc est, quod D. Dionys. Areop. cap. vlt. de ecclesiast. Hyerar. dicit sub his verbis: Diuinis nostris ducibus (idest Apostolis) ad mentem venit, & visum est suscipere infantes secundum istum sanctũ modum, quòd naturales pueri parentes puerum ipsum cuidã docto in diuinis, veluti pedagogo, traderent; sub quo, sicut sub diuino Patre, & saluationis sanctæ susceptore, reliquum vitæ puer degeret.

2 Sed dicet quis primò, Christus Dñs quando baptizatus fuit non habuit patrinum, seu susceptorem: ergo in Baptismo nostro non est adhibẽdus patrinus, nam omnis Christi actio debet esse nostra instructio. Ad hoc resp. D. Th. & Sotus. l. cit. Primò quòd Christus non habuit patrinum in Baptismo, quia nõ fuit baptizatus Baptismo, qui esset sacramentum; non enim erat sacramentum Baptismus Ioannis, quo Christus baptizatus fuit. Secundò resp. dicti DD. quòd Christus non habuit patrinum in Baptismo, quia nõ indigebat instructione, ipse enim erat via, veritas, & vita.

3 Dicet quis secundò, in generatione naturali sufficit Pater, & Mater, ergo & in Baptismo sufficit ille, qui baptizat, qui habet locum Patris; & Aqua ipsa, quæ habet locum Matris, vt dicit D. Aug. in sermone primo Dominicæ infra octauam Epiphaniæ. Resp. ex D. Th. & Soto locis cit. quòd in generatione naturali requiritur Pater, & Mater necessariò: ad benè autem esse requiritur etiã nutrix, & pedagogus, ita in Baptismo, qui est generatio spiritualis, de necessitate requiritur minister cũ debita forma, & intentione, & requiritur aqua; sed ad benè esse requiritur etiam patrinus, sine quo posset fieri Baptismus.

4 Dicet quis tertio, adulti non indigẽt pedagogo, aut nutrice; ergo saltem quã do baptizatur adultus non debent adhiberi patrini. Ad hoc resp. cum D. Th. & Sot. locis cit. quòd adulti non indigent pedagogo, aut nutrice quantùm ad imbecillitatẽ corporis, sed quantum ad imbecillitatem spiritualem: statim enim ut quis baptizatus est, est sicuti infans modo genitus vt dicit D. Petrus cap. 2. primæ epist. suæ canonicæ, & propterea debet sine dolo lac concupiscere idest sanctam doctrinam.

5 Quæritur secundò quæ debeant patrini, seu susceptores tradere filijs spiritualibus? Ad hoc resp. Cat. Rom. ex D. Aug. loc. cit. quòd debent eos admonere vt castitatem custodiant, iustitiã diligant, charitatem habeant, & ante omnia simbolum, & orationem dominicam eos doceant, Decalogum etiam, & quæ sunt prima Christianæ religionis rudimenta.

Quòd si dicas teneturne sub pœna peccati mortalis patrinus docere filium ab eo susceptum ea, quæ dicta sunt? Ad hoc resp. cum Dom. Soto vbi supra quòd saltem in casu necessitatis tenetur sub pœna peccati mortalis, puta quando Pater, & Mater naturalis eum non docet, nec est alius, qui talia doceat, vt si aliquis (inquit Sotus) inter infideles baptizaretur, nec esset alius, qui eum erudiret.

6 Quæritur tertiò vtrum omnes pos-

sint

sint admitti ad suscipiendos eos qui baptizātur? Ad hoc dico primò quòd nō deberent admitti illi, qui ignorant rudimenta Christianæ Religionis, quia nullus potest aliū docere quod ipse nescit.

Secundò, non sunt admittendi Abbates, Monaci, & Religiosi, vt habetur de consec. d.4. c. non licet. quia tales non possunt instruere pueros cùm teneantur manere in suis claustris; dicuntur enim Monaci quia solitarij esse debent; monacus enim idem est ac solitarius.

Tertio, non sunt admittendi ad hoc munus Hæretici, Iudæi, & infideles, quia tales in ea cura, & cogitatiōne sēper versantur vt veritatem fidei mendacijs obscurent, atque omnem christianā pietatem euertant.

Quartò, nec sunt admitttendi illi, qui non sunt baptizati, vt habetur de consec. d. 4. c. In baptismate. & ratio huius est quia sicuti qui nondum natus est non potest esse pedagogus nati, ita qui nondum generatus spiritualiter per Baptismum non debet esse patrinus generati.

Quintò, Pater, & Mater non debent esse patrini filij naturalis vt habetur 30. q. prima, cap. Ad limina, & Cat. Rom. vbi agit de patrinis baptizandorum dicit patrem, & matrem non debere suscipere filiū naturalē in Baptismo, quia cùm in Baptismo sit generatio spiritualis, quæ est diuersa à generatione naturali, debent etiam patrini in Baptismo esse diuersi à parentibus naturalibus.

Sextò, patrini debent esse ad summū vnus, & vna; vel vnus tantùm, vel vna tantùm, vt habetur de consec. d.4. cap. in Cathechismo; quòd ante Cōc. Trid. non seruabatur; nunc autem per nouā constitutionem ipsiusmet Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. Seruatur: Rationē huius determinationis etiā affert Cat. Rom. vbi supra, quoniam multitudo pedagogorum potius generat confusionem, quàm doctrinam, & etiam ne nimis extendatur cognatio spiritualis, quæ per Baptismum contrahitur, de qua cognatione mox dicetur.

7 Quæritur quartò, vtrum ex Baptismo oriatur cognatio spiritualis inter aliquas personas? Resp. quòd ante Cōc. Trid. ex Baptismo inter plures personas oriebatur cognatio spiritualis, puta inter baptizantem, & personam baptizatā, & eius fratres, ac sorores, & eius patrem, & matrem, inter patrinos, & filios susceptos, & eorum parentes, inter filios baptizantis, ac patrinorum, & filios baptizatos, vel susceptos &c. Vnde dabatur ex Baptismo paternitas, cōpaternitas, & fraternitas, paternitas quidem respectu baptizantis, & patrinorum ad baptizatum: Compaternitas respectu baptizantis, & patrinorū ad parentes baptizati; Et fraternitas respectu filiorum baptizantis, & patrinorum ad baptizatū, & ad fratres baptizati: & etiam magis diffundebatur talis cognatio spiritualis; Nunc autem per nouam constitutionē Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. cit. ex Baptismo tantùm contrahitur talis cognatio à baptizante, & patrinis cum baptizata persona, & eius patre, ac matre, neque inter patrinos ipsos, & baptizantem oritur aliqua cognatio spiritualis ex Baptismo: quare, & duo coniuges possunt admitti ad suscipiendum de Baptismo aliquem filiū, non tamen proprium; neque pater, & mater baptizati ex Baptismo cōtrahūt aliquam cognationem spiritualem inter se nisi alter eorum filiū ipsum baptizet extra casū necessitatis, uel ad Baptismum scienter teneat vt mox dicetur. Notādum hic est quod in nostro rituali prohibetur admittere simul virū, & vxorem ad leuandum.

8 Quæritur quintò, vtrum pater, qui baptizat, vel tenet ad Baptismum filiū naturalem, contrahat cognationem spiritualem cùm matre baptizati, vel suscepti? Ad hoc dico primò, quod si baptizet in casu necessitatis, & baptizati

si mater est vxor sua non contrahit cognationem spiritualem cum matre, vt dicit cap. Ad limina cit.

Dico secundò, quòd si baptizat filiũ proprium in casu necessitatis, & mater filij non est sua vxor contrahit cognationem cum ipsa matre: itant non possit cum ea matrimonium contrahere absque dispensatione Summi Pontificis, Ita Nauar. in man. cap. 22. num. 40. in fine.

Dico tertio, quòd si baptizat filium proprium extra casum necessitatis, contrahit cognationem spiritualem cũ matre baptizati siue sit vxor, siue non, & ratio huius est, quia qñ baptizat filium propriũ in casu necessitatis, nõ videtur æquum, vt priuetur iure petendi debitum ab vxore ex eo, quod faciat id, quod tenetur facere sub pœna peccati mortalis; secus quando baptizat extra casum necessitatis, quia facit tunc id, quod tenetur non facere.

Dico quartò, quòd si quis ad Baptismum teneat filium proprium scienter, siuè baptizetur in casu necessitatis, siuè extra casum necessitatis, contrahit cognationem spiritualem cum matre filij; nam nullus datur casus necessitatis ad tenendum puerum ad Baptismum; sed tantùm ad baptizandum: ad Baptismum enim non necessariò requiritur patrinus, vt dictum est.

Dico quintò, quòd si quis ignoranter teneret ad Baptismum proprium filiũ nõ contraheret cognationem cum matre filij, quæ esset vxor propter ignorantiam.

Dico sextò, quòd si quis baptizaret filium vxoris suæ legitimum, vel illegitimum, sed non suum, in casu necessitatis, non contraheret cognationem spiritualem cum vxore; & ideò posset petere debitum: secus si extra casũ necessitatis propter rationem dictam: Similiter si ignoranter teneret ad Baptismum filium vxoris suæ non proprium non cõtraheret cognationem spiritualem cũ vxore: secus si scienter: & hæc omnia habentur ex communi doctorum opinione. Idem quod dixi de patre intelligite & de matre baptizante, vel tenente ad Baptismum proprium filium, vel filium mariti. Sed de his plura dicentur in vltima parte huius tractatus, vbi de impedimentis Matrimonij.

9 Quæritur sexto, vtrum non baptizatus, si baptizat, vel aliquem tenet ad Baptismum, contrahat cognationem spiritualem cum eo, quem baptizat vel tenet ad Baptismum, & eius parentibus? Resp. quòd non: vt dicit Sylu. Bap. 5. §. vlt. vnde si talis ad fidẽ cõuerteretur & baptizaretur posset cõtrahere matrimoniũ cũ filia, quã tenuit ad Baptismũ, vt dicunt omnes DD. & cum filia, quam baptizauit antequàm ipse baptizaretur, vt communiter tenent Canonistæ; licet non omnes.

10 Quæritur vltimò utrum ex Catechismo oriatur cognatio spiritualis, sicut ex Baptismo; Resp. quòd non, ex communi DD. opinione; sed tantùm oritur impedimentum quoddam, quod impedit matrimonium contrahendum inter tenentes ad catechismum, & catechizatos: sed non dirimit matrimonium si postea contrahitur; & propterea, vt dicit Nau. in man. cap. 22. num. 40. parochus quando catechizat puerum domi baptizatum, in libro baptizatorũ describere debet seorsim baptizantem; & patrinos, si qui fuerunt, qui baptizatum tenuerunt ad Baptismum; à seipso, qui catechizauit, & patrinis, qui tenuerunt ad cathecismum.

11 Quòd si dicas, si quis baptizauit cũ conditione, ipse & patrini censendi ne contraxisse cognationem spiritualem cum baptizato, & parentibus baptizati? Resp. quòd si ille, qui baptizatus est cum conditione, cognoscitur antea baptizatus nulla contrahitur cognatio spiritualis; si cognoscitur non baptizatus contrahitur, si dubitatur durante dubio præsumendum est quòd sit

con-

contracta cognatio spiritualis, quia hoc est tutius: sed de cognatione spirituali, quæ contrahitur per Baptismum, plura dicentur in octaua parte huius tractatus.

CAPVT SEPTIMVM.

De suscipientibus Baptismum.

1 *Qui teneantur lege baptismi suscipiendi.*
2 *Sintnè in materno vtero pueri baptizandi.*
3 *Sitnè baptizãdus puer egressus quoad aliquam partem, & quomodo.*
4 *Differendus nè baptismus baptizandis; quare, & quo in casu.*
5 *Peccatoribus possitne denegari baptismus.*
6 *Prærequiraturnè baptismo peccatorum detestatio in adultis.*
7 *Adultis dum baptizantur, imponenda nũ sint opera satisfactoria.*
8 *An obligandi ad restitutionem malè ablatorum.*
9 *Inuito num baptismus conferendus, vbi quotuplex coactio.*
10 *Pueri num baptizandi parentibus inuitis.*
11 *Nomine parentum qui veniant.*
12 *Num vtriusque parentis consensus expectandus.*
13 *Quid de filijs Iudæorum adultis.*
14 *Amentes num baptizandi.*
15 *Quid si lucida patiantur interualla.*
16 *Quid si amens sit peccator publicus.*
17 *An dormientes baptizandi.*
18 *Quid de eo, de quo dubitatur an sit baptizatus, vbi quotuplex dubium.*
19 *Prærequiraturnè baptismo fides.*
20 *Num possit quis recipere sacramentum baptismi sinè re sacramenti.*

1 IN hoc capite primò quæritur quinã teneantur suscipere Baptismum? Resp. quòd vt constat ex his, quæ diximus in antecedenti parte de necessitate Sacram. & in præsenti parte de necessitate Baptismi, in cap. 4. & in cap. 1. de Triplici Baptismo fluminis, flaminis, & sanguinis: Omnes, vt saluentur, tenẽtur suscipere Baptismum vel in re, vel in voto, nisi pro Christo baptizentur Baptismo sanguinis: & propterea, vt supra dictum est, etiam sanctificati in vtero matris, (si qui darẽtur) tenerentur suscipere Baptismum: Et ex hoc dicut quàm plurimi DD. vt Viguerius vbi agit de Baptismo, & Sot. in 4. d. 5. q. vnica ar. 2. Apostolos fuisse baptizatos; & licet. D. Chrys. quem etiam citat Sot. loc. cit. super illa verba Act. 1. vos autẽ baptizabimini in Spiritu Sancto; dicat Apostolos fuisse dispẽsatos à præcepto Baptismi; tamen hoc non est credendum, quia talis dispensatio non erat in vtilitate Apostolorum, aut Ecclesiæ: Quare dicendum est potius, Apostolos fuisse baptizatos vel à Christo, vel à se inuicem: Idem tenet Sot. loc. cit. de Beata Virgine Maria.

2 Quæritur secundò, vtrum pueri in maternis vteris sint baptizandi? Resp. secundum communem DD. opinionẽ, quòd non sunt baptizandi, quia non possunt baptizari: nam de necessitate Baptismi est vt corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cùm Baptismus sit quædam ablutio, corpus autem infantis, antequam appareat ex vtero, non potest aqua ablui.

Sed dicet aliquis debetne aperiri mater quando est prægnans, & est proxima morti, vt puer eductus ex vtero baptizetur? Ad hoc resp. cum communi DD. opinione quòd quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona; vt habetur ad Rom. 3. ideò homo non debet occidere matrem, vt baptizetur puer: si tamen mater fuerit mortua, & sciatur, vel dubitetur an proles in vtero sit viua, tunc mater debet aperiri, vt puer baptizatur.

3 Dicet quis secundò an sit baptizandus

dus puer, quando aliqua eius pars egreditur de ventre matris, vt habetur Genes. 38. quòd pariente Tamar in ipsa effusione infantum unus protulit manum? Ad hoc resp. vt communiter dicunt DD. quòd expectanda est eius totalis egressio ex utero, vt baptizetur, nisi mors immineat; & si mors immineat, & pars, quæ egressa est, est caput, debet baptizari, quia in capite fundantur omnes sensus; nec est postea rebaptizandus si contigerit vt perfectè nascatur; & idem faciendum est si egrediatur alia pars imminente periculo mortis. An autem postea si perfectè nascatur, sit rebaptizandus cum conditione ille, qui in alia parte, quã in capite, est baptizatus, est controuersia inter DD. D. Th. ar. cit. in 3. p. q. 68. ar. 11. dicit in resp. ad 4. arg. quòd est rebaptizandus cum conditione; et eum sequitur Armilla in sum. ver. Baptis. Syluester & alij: sed multi alij DD. dicut talem non esse rebaptizandum, neque cum conditione, vt Panor. & Innoc. cap. debitum, De Baptismo: Palud. in 4. Viguer. vbi de Baptis. versic. 8. Gotfred. in sum. de Baptismo §. Item quæritur. & hoc reputo esse uerius: nam nusquam habetur apud antiquos DD. aut sacros Scriptores quòd Baptismus necessario debeat fieri in capite; nec est probabile quòd D. Petrus, qui aspersione plures personas vnico actu baptizauit; aqua tetigerit caput omnium eorum hominum; sed uel caput, vel aliam partem hominis: & D. Th. contrarium non dicit ex sua sententia, sed ex aliorum probabilitate.

Quæritur tertiò an Baptismus sit differendus? Resp. quod circa hoc est distinguendum, utrum sint baptizandi pueri; an uero adulti; nam si pueri sunt baptizandi, Baptismus non est differendus. Primò quia in eis non expectatur maior instructio, aut maior deuotio. Secundò propter periculum mortis, quia pueris non potest alio modo subueniri; ut habeant viam ad uitam æternam, quàm per sacramentum Baptismi; & propter has duas rationes pueri, postquàm nati sunt, quanto citius sunt baptizandi, vt ait D. Th. 3. p. q. 68. ar. 3. in corpore: & in Concilio 1. Prouinciali Mediol. in titulo de Baptis. in principio, ipso facto excommunicatur Ille, per quem aliquis puer detinetur, ut non baptizetur, vel qui non curat eum baptizari, cùm ad ipsũ spectat antequam transeat nonus dies à natiuitate. Adultis verò subueniri potest per solum desiderium Baptismi, ut supra dictũ est in primo cap. huius partis: & ideo non statim cùm conuertitur est ei Sacramentum Baptismi cõferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus, primo quidem propter cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur conferens Sacramentum accedentibus fictè, secundum illud primæ Io. 4. Nolite omni spiritui credere; sed probate an spiritus ex Deo sit. Secundo hoc est necessarium propter utilitatem eorum, qui baptizantur, quia aliquo temporis spacio indigent ad hoc, ut plenè instruantur de fide, vt exerceatur in his, quæ pertinent ad vitam christianam; & ut habeant maiorem deuotionem, Tertio hoc est necessarium ad quandam reuerentiam sacramenti; dum in solemnitatibus præcipuis, scilicet Paschæ, & Penthecostes, homines ad Baptismum admittuntur. Hæc tamen dilatio est prætermittenda duplici ratione, primò quãdo illi, qui sunt baptizandi, ostendunt se perfectos esse in fide; & ad Baptismum idoneos; sicuti Philippus Apostolus statim baptizauit Eunuchum, vt habetur Actor. 8. & D. Petrus Corneliũ, vt habetur Actor. 10. Secundò propter infirmitatem; aut aliud periculum mortis, Vnde Leo Papa de consec. d. 4. cap. Si quis. Dixit, ij, qui necessitate mortis, ægritudinis, persequutionis, &

naufragij vrgentur; omni tempore debent baptizari.

Sed dicet aliquis, quid si aliquis moreretur dum Episcopi differunt eum baptizare, postquàm petijt Baptismum? Resp. ex D.Thom.art.cit. quòd saluatur per Baptismum flaminis si habet Baptismum in voto, & veram contritionem, vt & supra dictum est.

5 Quæritur quarto, an sint baptizandi peccatores? Resp. quòd illi, qui sunt in voluntate peccãdi in posterum; vel qui nullũ habent dolorem de peccatis commissis; non sunt baptizandi, quia sicut si tales essent baptizati, non esset eis ministrandum sacramentum Pœnitẽtiæ; ita nec sunt baptizandi, si non sunt baptizati. ita Sot. in 4.d.5. q.vnica, art.4. Palud.eadem dist.q.prima Riccard.ea. d.q.2. Scot.d.4.ar.4. Viguer.vbi de Baptismo vers.9. sum, sacram.num.23. & alij Doctores.

Sed dicet aliquis, quid si Parochus scienter baptizaret talem peccatorem, qui haberet animum peccandi; vel non haberet dolorem de peccatis? Resp. ꝙ talis; seu quilibet alius baptizans peccaret mortaliter.

Secundò dico quòd etiam qui sic baptizaretur peccaret mortaliter, quia indignè susciperet sacramentum.

Tertiò dico quòd talis, qui baptizaretur, reciperet characterẽ Baptismi; sed non gratiam gratũ facientem, quia ea non potest esse cum peccato mortali.

Dico quartò ꝙ cum talis baptizatus habuerit dolorem de peccatis actualibus, quæ commisit ante Baptismum cũ baptizaretur, & post Baptismum, tunc incipit valere Baptismus quantùm ad gratiam; vt habetur in capitulo Tunc valeret. De consecrat. distinc.4. & vt dicit Viguer. versiculo nono, & 12. de Baptismo. Sot. art. supracit. Summistæ in verbo Baptismus, & omnes Doctores.

6 Quæritur quinto, an ante Baptismũ requiratur peccatorũ confessio? Resp. quòd non: si intelligatur de sacramentali; nam ante Baptismum (vt antea diximus) nõ põt. quis suscipere aliud sacramẽtum, quia Baptismus est ianua cæterorum sacramentorum: sed ante Baptismum requiritur tantùm interioris Pœnitentiæ virtus, idest contritio de peccatis actualibus, seu attritio; vt dicit Nauar. in Manuali, cap. primo, numero 38. & Diu. Thom. quæst. supracit. art.6. in respon. ad tertium argumentum.

7 Quæritur sextò vtrum baptizatis sint imponenda opera satisfactoria; seu pœnitentia aliqua pro peccatis, quæ commiserunt ante Baptismum? Resp. secundum communem Doctorum opinionẽ quòd non, quia Baptismus, (vt infra dicetur cap.vlt.) non tantùm tollit culpam; sed & totam pœnam æternam; & temporalem.

8 Quod si dicas numquid baptizatus saltem debet restituere, si furatus est, antequàm baptizaretur; & satisfacere proximo pro iniurijs illatis? Respond. quòd debet baptizatus restituere malè ablata; & satisfacere proximo de iniurijs illatis ante Baptismum, & ratio huius est, quia restituere male ablata proximis; & illis satisfacere de iniurijs illatis est cessare à peccando, quia aliena detinere, & proximo læso non satisfacere est peccare.

9 Quæritur septimo, an aliquis possit inuitus baptizari? Resp. ex Syluestr. in summa ver. Baptismus 4. n. 10. & alijs DD. quòd duplex est coactiò, alia simplex, quæ tollit omne voluntarium; & alia secundum quid, quæ non tollit omne voluntarium, sed illud minuit: vt cũ quis ad euitandum naufragium proicit proprias merces in mare, dicitur quidem

dem

dem inuitus, & coactus proiecisse merces in mare; sed non simpliciter, sed secundum quid; quia poterat non proijcere merces in mare, & naufragium pati: Si quis baptizatus omninò coactus non verè baptizatur, quia ad Baptismũ verè suscipiendum in adulto requiritur voluntas, & intentio illum suscipiendi, vt ait D. Thom. quæst. supracit. ar. 7. & huiusmodi casus esset, sicut si quis ligaretur funibus, & ipso contradicente, & dicente, nolo baptizari, baptizaretur: in hoc enim casu non esset verũ sacramentum: si verò quis baptizaretur coactè per coactionem secundum quid, verè esset Baptismus, & huiusmodi casus esset si infidelis ad euitandum mortem, quam illi minatur aliquis, permitteret se baptizari, quia in hoc casu remaneret voluntas, & intentio suscipiendi Baptismi: & ita tenent omnes Doctores.

10 Quæritur octauò, an pueri Iudæorum sint baptizandi inuitis parentibus? Respon. ex D. Thom. quæst. cit. ar. 10. quòd pueri Iudæorum, vel aliorum infidelium nõ sunt baptizandi inuitis parentibus, quia esset periculosum ne redirent ad infidelitatem facti adulti, propter naturalem affectum parentum; & & quia Ecclesia non consueuit aliter facere: vt Romæ vbi sunt plurimi Iudæi, & in alijs locis non baptizantur pueri infidelium sine consensu parentum eorum.

11 Notandum est autem primò, per parentes hic non solum intelligimus Patrem, & Matrem; sed omnem eum, sub cuius cura est puer: vnde si fugientibus Iudæis in aliam regionem relinquerent pueros in aliqua ciuitate Christiana, non esset expectandus consensus Patris vel matris eorum, vt baptizentur, quia non essent amplius sub cura eorum. Simili modo si quis Constantinopolis venderet puerum Iudæũ Christiano, qui Christianus cũ transferret Venetias, posset eum baptizare per Parochum sine licentia, & consensu parentum, qui sunt Constantinopoli.

12 Notandum est secundò, quòd si quis filius infidelium esset sub cura matris infidelis, & patris pariter infidelis, vt baptizetur, non esset expectandus consensus vtriusque parentis, sed sufficeret consensus alterius eorum etiam altero renitente. Vt baptizandus esset filius Iudæorum consentiente eius matre, etiamsi pater eius dissentiat, imò si alter parentum conuertatur ad fidem, filij paruuli illi debent dari per Principem, etiam contradicente altero.

13 Notandum est vltimo, quòd cum Doct. disputant, an filij Iudæorum sint baptizandi inuitis parentibus, intelligendi sunt de pueris, qui nondũ peruenerunt ad vsum rationis: nam qui peruenerunt ad vsum rationis, non modo possunt baptizari inuitis parentibus; sed sunt maximoperè hortandi, & inducendi ad Baptismum, & ratio huius est, quoniam qui habent vsum rationis, quantùm ad ea, quæ sunt diuini iuris, non subijciuntur suis parentibus.

14 Quæritur nonò, an furiosi, & amentes sint baptizandi? Respon. cum communi Doctorum sententia. Primò, quòd amentes, qui à natiuite sunt amentes, & numquam habuerunt lucida interualla, aut aliquem rationis vsum, sunt baptizandi sicut & pueri & si sint filij Iudæorũ, vt diximus de pueris quoadusq. sunt sub cura parentum, expectandus est consensus alterius eorum.

Dico secundò, quòd si sunt amentes, qui ante amentiam fuerunt sanæ mentis, & habuerunt vsum rationis semper, vel aliquando perlucida interualla, sunt baptizandi, si quando erant sanæ mentis, habebant intentionem

suscipiendi Baptismum: Imò & etiam sunt baptizandi coactè si dum sunt in amentia nolint baptizari; sed si quando erant sanæ mentis non habebant intentionem recipiendi Baptismum non sunt baptizandi, etiamsi quando sunt in amentia uelint baptizare: quia intentio, quam habet quis immediatè antequam fiat amens; interpretatiuè etiam dicitur durare in amentia.

15 Sed dicet quis si aliquis, qui habet lucida interualla, petijt Baptismum & postea fit amens, estne expectanda mẽtis sanitas ut baptizetur? Resp. quòd est expectanda ubi non est periculum mortis, & non est expectãda vbi nõ est periculũ mortis, melius est enim ut talis moriatur cum Baptismo fluminis, quàm sine Baptismo fluminis: qa p Baptismũ fluminis primò habebit maiorẽ gratiã; Secũdò erit remissa illi tota peccatoru pœna. Tertiò qa nescitur an uerè habuerit contritionẽ peccatorũ: an uerò solam attritionem: Et si habuisset tantùm attritionem per Baptismũ fluminis fieret contritus.

16 Dicet quis secundò an sit baptizandus amens ille, qui cùm esset sanæ mentis, habebat quidem intentionem suscipiendi Baptismum: sed etiam habebat animum perseuerandi in peccato mortali? uel qui non erat sufficienter attritus? Resp. quòd non est baptizãdus; & si baptizetur baptizans peccat mortaliter, si cognoscebat eius intentionem; quia dat sacramenta indignis scienter; & amens baptizatus suscipit quidem sacramẽtum Baptismi; & eius characterem propter uoluntatem, quã habebat suscipiendi Baptismum; sed non gratiam propter peccatum; quod obiecit inter gratiam, & Sacramentũ: quod est uoluntas peccandi, seu intentio suscipiendi Baptismum sine attritione sufficienti.

17 Quæritur decimò an sint baptizandi dormientes? Resp. ex D. Th. 3. p. q. 68. ar. 12. ad 3. argum. quòd si sunt in periculo mortis; & antequam dormirent habuerunt intentionem suscipiẽdi Baptismũ sunt baptizandi; & ita D. Aug. lib. 4. Confessionum cap. 4. quem etiã citat. D. Th. ar. cit. dicit se baptizasse quendam suum amicum. Si uerò antequàm dormirent non habebant intentionem suscipiendi Baptismum, non sunt baptizandi.

An autem sit baptizandus si quis antequam dormiret habebat animũ peccandi, vt non erat attritus, & est in periculo mortis: dicendum est ut supra dixi de amentibus.

18 Quæritur undecimò an sit baptizandus ille, de quo dubitatur an sit baptizatus, nec ne? Resp. secundum communem DD. opinionem quòd siue sit dubium iuris, siue facti (modo sit probabile) talis est baptizandus, sed cùm conditione hoc modo: Si non es baptizatus Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Per dubium autem iuris intelligunt Doctores in hoc loco quando de aliquo scitur, quòd est baptizatus, sed dubitatur an forma sit iuridica idest vera, & idonea, vt si quis baptizatus esset in nomine Christi; de qua forma dubitatur apud DD. an sit uera: aut si duo baptizassent unum dicentes, Nos te baptizamus &c. Per dubium uero facti intelligunt Doctores quãdo nescitur an quis sit baptizatus, vt si reperiretur puerulus sine scripto Baptismi, in rumore, aut in foribus Ecclesiæ, vel in alio loco.

19 Quæritur ultimò an ad suscipiendum Baptismum requiratur fides; ut videlicet qui illum suscipit credat eum esse a Christo institutum; & conferre gratiam? Respond. cùm communi Doctorum opinione, quòd ad habendam gratiam Baptismi, & characterem in paruulis sufficit fides parentum, vel Ecclesiæ: In adultis verò ad habendam gratiam necessariò requiritur fides; quia sine fide impossibile est placere

Deo

Deo: Verùm ad habendum characterem non requiritur fides in adultis; sed sufficit uoluntas suscipiendi Baptismũ; Quare si aliquis Iudæus, uel alius infidelis suscipit Baptismum ob lucrum, & non vt habeat gratiam; suscipit quidẽ sacramentum Baptismi, sed non gratiam per tale sacramentum.

Et exinde Doctores dicunt quòd etiam circa Baptismum contingit quòd aliquis suscipiat sacramentum, & nõ rem sacramenti; Vt in casu dicto; & quando quis sine dolore peccatorum, vel cùm animo peccandi Baptismum suscipit; sicut & contingit, quòd aliquis accipiat rem Sacramenti Baptismi, & non Sacramentum, vt ille, qui habet desiderium suscipiendi Baptismum dignè, sed non adest, qui Baptismum ministret; & est alius, qui suscipit Sacramentum, & rem: & hic est, qui dignè accedit ad Sacramentum Baptismi.

CAPVT OCTAVVM.

De modo ministrandi Sacram. Baptismi.

1 *Quot modis possit ministrari Baptismus, & quis eorum magis in vsu.*
2 *Cui se modo debeat quis confirmare, & quis eorum accomodatior.*
3 *Necesse est ut aqua tangat corpus.*
4 *Dubium de filio in puteum proiecto.*
5 *An requiratur trina immersio, & quid significet.*
6 *Quomodo se gerat baptizans cum monstris.*
7 *Solemnitates requisita ad baptismũ, & quid significent.*
8 *Vtrum omnes necessaria.*

1 IN hoc capite primò quæritur quibus modis possit ministrari Sacramentum Baptismi? Resp. prout resp. omnes Doct. quòd tribus modis potest ministrari Sacramentum Baptismi; scilicet per immersionem pueri in aquam. Per infusionem, vel per aspersionem aquæ super eum, qui baptizatur.

Sed dicet quis primò quis nam horũ modorum est magis usitatus? Resp. quòd ille, qui est per immersionem; quo vtitur nostra Mediolanensis Ecclesia, quantùm ad pueros; Modus verò; qui est per infusionem, est communiter usitatus in Baptismo adultorum, quia de facili non possunt adulti tolli à baptizante, & in aquam immergi; sed facilius aqua super eos infunditur.

2 Dicet quis secundò, quonam ex tribus modis tenetur quis baptizare? Resp. quòd vnusquisque debet seruare ritum suæ Ecclesiæ; Quare vbi Baptismus solet fieri per infusionem ibi debet fieri per infusionem, & vbi solet fieri per immersionem, ibi debet fieri per immersionem; nisi sit aliqua iusta caussa aliter baptizãdi, vt si tam pauca adesset aqua, quæ non sufficeret ad immersionẽ; vel si timeretur de morte pueri; tunc posset puer baptizari per infusionem etiã in illis locis vbi solent pueri baptizari per immersionem: simili modo si aqua esset in amphora, & non daretur vas, in quo posset infundi ad faciendam immersionem, deberet puer baptizari per infusionem.

Dicet quis tertiò qui nam horum modorum magis significat effectum Baptismi? Resp. quod est ille, qui fit per immersionem, quia in Baptismo consepelimur Christo, & immersio maximè ualet ad significandam sepulturam: Deinde ab immersione eleuatur puer a baptizante, & a patrinis; in quo significatur quòd puer est regeneratus ad nouam uitam per Baptismum. Christus autẽ (prout videre est in imaginibus, quæ de ipso baptizando pinguntur) creditur quòd baptizatus fuerit per infusionem.

3 Quæritur secundò vtrum quomodo

cunque fiat Baptismus, siuè per aspersionem; siuè per infusionem; siuè per immersioné, de necessitate sacramenti sit vt aqua tangat corpus baptizati? Ratio dubitandi est quia legitur de D. Petro Act. 2. & 4. quòd baptizauit tria millia hominum; nec verisimile est, quòd omnes tetigerit aqua quãtùm ad corpus. Dom. Sot. in 4. sent. d. 3. dubitauit de hoc casu; sed tandem concludit cum communi Doct. opinione quòd de necessitate sacramenti Baptismi est, quòd aqua tangat corpus baptizati, seu aliquid corporis, puta capillos, quia capilli, etiamsi sint excrementa quædam, taman faciunt ad integritatem hominis, quantùm ad ornatum saltem. Et ad illud, quod dicitur de D. Petro, dicit Sotus non esse existimandum quòd D. Petrus vnica aspersione tot homines baptizarit, sed pluribus aspersionibus; credendum enim est (inquit Sotus) quòd per modum cuiusdam processionis transirent homines conuersi ad Christum in illa die bini, uel terni; & eos D. Petrus baptizaret diuersis aspersionibus prout ante illum bini, vel terni procedebant: Et re uera si quis baptizaretur inclusus in vtro bouino, ita ut aqua non posset eum tangere, non esset verè baptizatus, vt ait Sot. loco citato.

4 Quæritur tertiò, vtrum sit Baptismus si propter penuriam aquæ proiceretur filius in puteum ab aliquo, qui formam Baptismi proferret, intendendo eum baptizare? Ad hoc resp. quãplurimi DD. quòd non esset Baptismus; quia talis actus potius tendit ad interitum, quàm ad vitam; & ita tenent D. Th. & Sot. & est communior opinio. Armilla in sum. ver. Baptismus dicit talem non esse baptizatum, quia necessario baptizans debet tangere corpus baptizandi aliquo modo; sed hæc ratio nihil ualet, quia sequeretur non posse fieri Baptismum per infusionem, vel per aspersionem nisi baptizans manu, vel alia parte corporis tangeret baptizatum. Non defuerunt tamen aliqui, qui dixeruut in tali casu esse Baptismum, primò quia concurrunt omnia, quæ ad Baptismum requiruntur, idest materia, forma, & ministri intentio. Secundò, quia rationes, quæ afferuntur in contrarium, parum aut nihil ualent: tamen ego crederem dicendum esse cum communi; quia, vt dicit Sot. in 4. sent. Baptismus est ablutio quædam, sed res, quæ abluuntur non abluuntur propriè per earum proiectionem in aquã, sed uel per infusionem, vel per immersionem &c.

Sed dicet aliquis utrum si quis teneret opinionem eorum, qui censent in tali casu fore uerum Baptismnm, benefaceret proiciendo puerum in puteũ maximè si sit morti proximus? Respo. quòd deberet talis fune dimittere pallium, uel pileum in puteum, & illud madefacere; deinde ex illo aquam exprimere, & ita baptizare, vel deberet puerum ponere in canistro, fune alligata, & illum in puteum dimittere: Quod si neque hoc fieri possit, quia non esset funis, nulla ratione proiciendus esset puer in puteum, quia non sunt facienda mala vt eueniant bona; neque occidendus est puer vt baptizetur: sicut non est occidenda mater (ut supra diximus) quamuis sit morti proxima, vt baptizetur puer, qui est in eius vtero.

5 Quæritur quartò, vtrum si baptizandus sit puer per immersionem sit facienda trina immersio an vero sufficiat una? Respond. cum D. Th. 3. p. quæst. 66. art. octauo, & Syluest. in sum. verb. Baptismus 5. §. secundo, quòd de necessitate Baptismi sufficit vna immersio, modo in illa, vel statim post illam proferatur tota forma: Debet tamen fieri trina immersio, vbi fieri solet, ad significandum triduũ sepul-

ſepulturæ Chriſti; & ad ſignificandam ſanctiſſimam Trinitatem; in uirtute cuius confertur, Baptiſmus vt, benè dicit D. Th. & Syluest. locis citatis.

Sed dicet aliquis, quid ſi puer moreretur poſt primam immerſionem? Reſpond. quòd ſi prolata eſſet tota forma ante mortē pueri, eſſet baptizatus; Si vero eſſet tantum prolata vna perſona ſanctiſſ. Trinitatis vel duæ ante mortem pueri; dicit Syl. in ſum. ver. Baptiſmus 1. §. 5. & nonnulli alij Doctores, quos ibi ipſe citat, piè credendum eſſe Summum Sacerdotem; ideſt Chriſtum, in tali caſu ſupplere, ſed de hoc nihil eſt certum.

Dicet quis ſecundò, quid ſi moreretur Sacerdos poſt prolationem primæ perſonæ Sanctiſſ. Trinitatis ante prolationem aliarum perſonarum? Reſpond. quòd ſi ſuperuixerit puer eſt iterum baptizandus ab alio Sacerdote ſine conditione: Si uero dubium eſſet an primus Sacerdos finiuerit formam, baptizandus eſt puer cum conditione.

Dicet quis tertiò quid ſi Sacerdos intenderet baptizare per trinam immerſionem, & non per unam tantum? Reſp. quòd puer non eſſet baptizatus in prima immerſione, quia Sacerdos intendit non baptizare per illam tantùm, ſed malefaceret Sacerdos, qui cum tali intentione baptizaret; debet enim intēdere baptizare abſolute per ablutionem ſiue velit illam facere per vnam, ſiue per tres immerſiones.

6 Quæritur quintò, quomodo baptizandum ſit monſtrum? Reſpond. ex Syluest. in ſumm. verb. Baptiſmus 3. §. decimo, quòd ſi in monſtro ſunt duo capita, & duo pectora, ita ut ſint duo corda; debet tale monſtrum baptizari in uno capite, deinde in alio ſine conditione, quia cùm in illo ſint duo capita, & duo pectora ſignum manifeſtiſſimum eſt, quod etiam ſunt duæ animæ rationales: Sed ſi in uno monſtro non perfectè apparent duo capita, neque duo pectora, ſed tantùm eſſent ueſtigia duorum capitum, uel duorum pectorum; ita ut dubium ceſſet, an in illo ſint duæ animæ rationales, nec ne; baptizandum eſſet monſtrum abſolutè primò in capite; deinde cum conditione in alia parte, in qua dubitatur an ſit diſtincta anima.

Sed dicet quis, quid ſi dubitatur an monſtrum ſit mortuum quantum ad vnam partem, in qua parte eſt organizatio diſtinctæ animæ, ideſt in qua apparet cor, vel caput diſtinctum? Reſpond. quòd eſt conferendus Baptiſmus cum iſta conditione, Si es uiuus ego te baptizo &c. Et ſi dubitatur an etiam ſit pars in qua ſit diſtincta anima, addenda eſt & alia conditio hoc modo; Si es uiuus, & ſi non es baptizatus ego te baptizo & cætera. Et hæc omnia, quæ dicta ſunt de monſtro, ſunt ſecundum communem Doctorum ſententiam.

7 Quæritur ſextò, quæ ſine ſolemnitates, quæ adhiberi debent in Baptiſmo? Reſpondeo, quod ante Baptiſmum adhibetur Catechiſmus, qui eſt inſtructio eorum, quæ credi debent a baptizato; adhibetur etiam exorciſmus, in quo fugatur Dæmonis poteſtas, ne per ipſum aliquomodo impediatur Baptiſmi effectus. Linitur ſaliua baptizandus in naribus, & auribus ad ſignificandum quòd aperiendi ſunt ſenſus baptizandi ad res ſpirituales; Vngitur puer in pectore, & in ſcapulis ad ſignificandum amorem Dei, & ad ſignificandum quod baptizandus libenter ſe ſubijcit legi diuinæ, & euangelicæ: Datur ſal in ore ad ſignificandum præſeruationem a putredine peccatorum, & ad ſignificandam ſapientiam.

Dein-

Deinde post Baptismum vngitur puer in vertice capitis ad significandũ gratiam, quæ desuper idest à Deo illi data est.

Vltimò datur vestis alba ad significandum puritatem, & innocentiam.

Deinde datur cereus ardens ad significandum viuam fidem.

8 Quæritur vltimò utrum prædictæ solemnitates sint necessariæ. Resp. secundum communem DD. catholicorum opinionem quòd sunt necessariæ necessitate præcepti: non autē necessitate Sacramenti: Quare si quis omitteret eas, extra casum necessitatis, peccaret mortaliter: Valeret tamen Baptismus sine eis collatus; Vnde dicitur in Conc. Trid. sess. 7. de Sacram. in genere c. 13. Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato à ministris pro libito omitti posse: anathema sit. Imo adhibendæ sunt dictæ solemnitates post Baptismum si Baptismus fuisset sine illis collatus.

CAPVT VLTIMVM.

De effectibus Baptismi.

1 *Quinam effectus Baptismi, & enumerantur.*

2 *Num eundem effectum in omnibus faciat Baptismus.*

3 *Confertur Baptismus Christi Baptismo Ioannis.*

1 IN hoc capite quæritur quinam sint effectus Baptismi? Resp. quòd sunt multi; & eorum præcipui apparent ex ijs, quæ diximus de effectibus Sacramentorum in communi; in prima parte huius Tractatus; & ex ijs, quæ diximus in primo capite huius secundæ partis: Octo tamen connumerantur à DD. effectus Baptismi ex multis alijs, quorum pars est, quòd tollit omne peccatum originale, & mortale; ut asserunt Concil. Florent. & Trid. & nos diximus in primo cap. huius secundæ partis. Tollit etiam ueniale, de quo nō est actualis delectatio.

Secundò, Baptismus delet omnem pœnam æternam, & temporalem, quā tum ad forum conscientiæ: vt asserunt prædicta Concilia, & nos diximus in primo capite de Baptismo aquæ: Vnde Conc. Florent. dicit quòd si quis post Baptismum moreretur statim ad cœlum euolaret; & hoc etiam habetur de consec. d. 4. cap. Ambrosius, & ita dicit Mag. sent. in 4. d. 4. vbi & alij Doctores; & dixi (in foro conscientiæ) quia ut dicit D. Th. in foro exteriori si quis homicidium ante Baptismum, vel aliud delictum capitale perpetrasset post Baptismum posset suspendi, vel castigari ab hominibus: ita 3. p. q. 69. ar. 2. ad. 3. quia per Baptismum liberatur homo à pœna penali quoad Deū, non quoad homines; quos iustum est, ædificari de pœna, sicut scandalizati sunt de culpa. Bonum tamen esset si Princeps etiam condonaret pœnam temporalem quando probabiliter cognoscit talem non fictè accessisse ad Baptismum.

Tertiò, Baptismus confert gratiam gratum facientem: vt diximus in prima parte huius tractatus, vbi de effectu Sacramentorum: & Franciscus à Victoria in sua summa num. 20. dicit quòd Baptismus contulit gratiam etiam Beatæ Virgini.

Quartò, Baptismus confert characterem, qui est potestas suscipiendi alia Sacramenta, vt dictum est in prima parte huius Tractatus, vbi de effectu Sacramentorum, & in primo capite huius secundæ partis.

Quintò, Baptismus remittit in parte fomitem peccati; idest inclinationem ad peccandum; ut habetur de consec. d. 4. cap. ex quo.

Quin-

Sextò, Baptiſmus tollit omnem irregularitatem: excepta ea, quæ oritur ex bigamia, & ex defectu natalium: vt ait Sylueſ. Baptiſmus ſexto. §. 2.

Septimò, Baptiſmus aperit regnum cęlorum, ut habetur cap. Maiores, de Baptiſmo.

Vltimò, per Baptiſmũ tollitur infamia: ut ait Sylu. lo. cit. & ratio huius eſt, quia per Baptiſmum tollitur peccatum: ex conſequenti & infamia, quæ oritur ex peccato.

2 Sed dicet quis, confertne Baptiſmus æqualẽ effectum omnibus? Reſp. quòd quantum ad deletionem peccati originalis, & mortalis Baptiſmus confert omnibus eundem effectum, quãtũ verò ad collationem gratiæ paruulis Baptiſmus confert eundem effectum, quãtùm eſt ex parte ipſius Sacramenti, & paruulorum, quia Sacramentũ eſt idẽ, & paruuli ſunt omnes, æquè diſpoſiti. In adultis verò Baptiſmus non confert eundem effectum quantùm ad gratiam ratione ipſorum adultorum; nam quò maiori deuotione quis accedit ad Baptiſmum, eò maiorem recipit gratiam: ſicuti quantò magis quis accedit ad ignem, tantò magis calefit: Ita & Sylu. in ſum. Baptiſmus. 6. §. 4. & alij Doctores.

3 Demum dicet quis, vtrum Baptiſmus Ioannis conferret eundem effectum, quem confert Baptiſmus Christi? Reſp. cum D. Th. 3. p. q. 38. ar. 3. quòd Baptiſmus Ioannis non erat Sacramentum, ut & dictum fuit ſupra, neque dabat gratiam, neque characterem; ſed tantùm erat præparatio quædam ad Baptiſmum Chriſti. Et in Concil Trid. ſeſſ. 7. de Baptiſmo anathematizatur ille, qui dixerit Baptiſmum Ioannis fuiſſe tantæ uirtutis, quantæ eſt Baptiſmus Chriſti.

PARS TERTIA DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

HAEC pars diuiditur in septem capita, In quorum primo agitur de sacramento Confirmationis secundum se. In secundo de institutione sacramenti Confirmationis. In tertio de eius materia. In quarto de eius forma. In quintò de eius effectu. In sextò de suscipientibus Sacramentum Confirmationis. Et in ultimò de ministro Sacramenti Confirmationis; ac de patrinis, qui adhibentur ad suscipiendum tale Sacramentum.

CAPVT PRIMVM.

De Sacramento Confirmationis secundum se.

1 Connexio tractationis.
2 Quid nomine confirmationis significetur, & quot nomina habeat.
3 Definitio Confirmationis.
4 An sit Sacramentum.

1 IN hoc capite primò quæritur, quare scholastici cum Mag. Sent. vt videre est in 4. prius post Baptismum tractent de Sacramento Confirmationis, quàm de Sanctissima Eucharistia? Nam uidebatur contrarium esse faciédum, primò, quia in uita corporali nutrimentum (cui in uita spirituali correspondet sanctiss. Eucharistia, vt dictum est in prima Parte huius tractatus, vbi de numero Sacramentorum nouæ legis) præcedit augmétationem, cui correspondet in vita spirituali Sacramentum Confirmationis.

Secundò, quia D. Dionys. Areop. numerãs Sacramenta nouæ legis, vt ét refert D.Th. 3. p.q. 65. ar. 2. in resp. ad 3. arg. anteponit Confirmationi Sacramẽtũ Eucharistiæ. Resp. cum D. Th. l. cit. & cum Dom. Sot. in 4. sent. d. 1 q. 6. ar. 2. in resp. ad 3. arg. quòd nutrimentũ præcedit quidem augmentationem tãquam caussa effectum, (est enim nutrimentum caussa augmentationis) sed etiam subsequitur, vt conseruans id, quod augmentatum est, nutrimento enim homines, & alia animalia augmen-

mentantur, sed etiam post augmentationem necesse est vt nutriantur, ne deficiant; Cùm ergo nutrimentum non tantùm præcedat augmentationē, sed eam etiam subsequatur; inde fit, ut sacramentum Confirmationis possit anteponi, & postponi sacramento sanctissimæ Eucharistiæ. Quare & benè fecit, D. Dionys. Areopag. anteponendo Sacramentum Eucharistiæ Confirmationi; & benè fecit Mag. sent. in 4. d.4. cum Scholasticis postponendo sanctissimam Encharistiam Confirmationi. Et addit D.Th.l.supra cit. & Sot. in 4. quòd D. Dionys. Areop. enumerādo Sacramenta, postposuit Confirmationem Sanctiss. Eucharistiæ sequens ordinem dispensationis Sacramentorum, qui suo tempore seruabatur; Tūc enim, vt dicunt prædicti DD. D.Th. & Sot. statim post Baptismum dabatur Eucharistia; nunc uerò (saltē in paruulis) contrarium fit; & ideo Mag. & Scholastici Confirmationem anteposuerunt Sanctissimæ Eucharistiæ.

Quæritur 2. quid sit Sacramentum Confirmationis? Resp. quòd quantùm ad significationem nominis confirmatio est idē quòd corroboratio; Nam in Confirmatione datur augmentum gratiæ diuinę, quod est quoddam robur ad facilius pugnandum contra Carnem, Diabolū, & Mūdum; &, si opus est, cum omnibus tyrannis huiusmodi, qui Christum in fidelibus persequuntur.

Dicitur etiam hoc Sacramentū manuū impositio, vt uidere est in Act. Apostol. pluribus in locis, vbi habetur quòd Apostoli manus imponebāt, & Spiritum sanctum dabant: Atque in primitiua Ecclesia magnifaciebāt Christiani hanc manuum impositionē, idest hoc Sacramentum Confirmationis; quia tunc temporis maximè necessarium erat robur, & uis animi spiritualis, & ingenij ad pugnandum contra diuersissimas persequutiones, quæ tūc temporis contra Ecclesiam erant.

Dicitur 3. hoc Sacramentum Chrisma ratione materiæ; materia enim Sacramenti Confirmationis est chrisma, idest unguentum quoddam, ut postea dicetur in cap.3. ex oleo oliuæ, & balsamo confectum.

3 Quantùm uerò ad rem, Sacramentum Confirmationis optimè deffinitur a Nauarr. in Man. cap. 22. num. octauo, hoc modo, Confirmatio est Sacramentum vnctionis chrismatis cōsecrati; quo Episcopus frontem baptizati ungit sub certa forma verborum. Quæ deffinitio est optima, quia in ea continetur genus, materia, minister, & forma ipsius Confirmationis; & pars corporis, in qua conferri debet, de quibus omnibus infra dicitur.

4 Quæritur 3. an Cōfirmatio sit verè Sacramentum? Resp. de fide esse Confirmationem esse uerè Sacramentum, ut probatum fuit ex Conc. Trid. in prima parte huius Tractatus, vbi egimus de numero Sacrament. nouæ legis; & ex Conc. Florent. & idem probatur ex eodem Conc. Trid. sess.7. vbi de Confir. can.1. cuius uerba sunt hæc: Si quis dixerit Confirmationem baptizatorū otiosam cæremoniam; & non potius uerum, & proprium sacramentum &c. anathema sit.

CAPVT SECVNDVM.

De institutione Sacramenti Confirmationis.

1 Sacramenti Confirmationis quis institutor.

2 De tempore institutionis huius Sacramenti.

IN hoc cap. 1. quæritur a quo fuerit institutum Sacramentum Confirmationis? Respondeo, quòd licet quidam DD. dixerint, ut Alexand. de Ales in quarta parte suæ summæ q.23. & S. Bonauent. in 4. dist. in.7. quòd Sacramentum

mentum Confirmationis fuit institutum ab Apostolis, vel per Concil. Meldense: Veritas tamen catholica est, Sacramentum Cõfirmationis, sicut, & alia Sacramenta nouæ legis, fuisse institutum a Christo Domino; qui solus habuit potestatem excellentiæ instituendi sacramenta in noua lege; vt dictum fuit in prima parte istius Tractatus, vbi de institutione sacramentorum nouæ legis & probatum fuit ibidem omnia Sacramenta nouæ legis esse instituta a Christo Domino, vt refert Concil. Trid. sess. 7. Imò Franciscus a Victoria in summa Sacram. num. 39. optimè probat Concil. Meldense non instituisse Sacram. Confirmationis, quia ante dictum Conc. Melchiades, Vrbanus, & Fabianus Summi Pontifices, vt patet de consec. d. 5. per multos canones; de hoc Sacramento mentionem faciunt.

2 Quæritur secundò, quando fuit hoc Sacramentum institutum à Christo? Resp. quòd aliqui existimarunt Sacramentum Confirmationis fuisse institutum quando Christus dixit, Sinite paruulos uenire ad me. Sed D. Th. 3. p. q. 72. ar. 1. in resp. ad 1. arg. dicit quòd Christus instituit Sacramentum Confirmationis ante Ascensionem suam in cęlum, non illud exhibendo, sed promittendo iuxta illud Io. 16. Si non abiero, paracletus non ueniet ad vos; Si autem abiero mittam eum ad vos; abijt Christus per ascensionem; & missus fuit paracletus in Dominica Pentecostes: Et verè non debebat exhiberi Confirmatio ante passionẽ, & resurrectionem; Imò nec ante ascẽsionem Christi in cœlum, quia plenitudo Spiritus sancti debebat dari post resurrectionem Christi; imò & post ascensionem in cælum, in qua fuit plenè glorificatus; iuxta illud Io. 7. Nondum erat spiritus datus, quia Christus nondum ęrat glorificatus.

CAPVT TERTIVM.

De materia Sacramenti Confirmationis.

1 *Materia Confirmationis quæ.*
2 *Quod oleum sit materia propria sacramenti, & curtale.*
3 *Debeatnè oleum misceri balsamo, & qua necessitate, præcepti, an Sacramenti.*
4 *Vtrum de necessitate Sacramenti oleũ debeat esse consecratum.*
5 *Cur hoc non accidat in aqua baptismali.*
6 *A quo consecranda materia Confirmationis.*
7 *Essetne usus Chrismatis apud Apostolos.*

IN hoc capite. 1. quæritur quę sit materia Sacram. Cõfirmationis? Resp. quòd est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum: ita dicit Mag. sent. & schol. omnes in 4. d. 7. D. Th. 3. p. q. 72. ar. 2. Caie. ibid. in Commẽt. Nauar. in Man. c. 22. n. 8. Catechis. Rom. vbi de hoc Sacramento. Et ita tenent omnes DD. & ita deffinitũ est ex Conc. Flor. sub Euge. 4. & ratio, cur Chrisma ex oleo, & balsamo confectum sit materia istius Sacramenti, affertur à D. Th. ar. supracit. & a Catech. Rom. quæ desumitur ex proprietatibus olei, & balsami: Vos apud eos illam uidete. 1

2 Quęritur 2. quod genus olei sit necessariũ ad cõstituendũ materiã Sacram. Confirmationis? Resp. ex D. Th. ar. cit. in resp. ad 3. arg. quòd est oleũ oliuarũ, quia oleũ oliuarũ habet proprietates quibus significantur Spiritus sancti, seu gratiæ, quæ datur per Spiritum sanctum; ut videre est apud D. Th. & Cat. Rom. locis supracitatis. Atque ex hoc colligitur quòd quando oleum dicitur materia sacramenti Cõfirmationis intelligendũ est oleum oliuarũ, tũ quia per nomẽ, quod simpliciter profertur, intelligẽdũ est principale analogatũ; & oleũ oli-

oliuarum est principale analogatum inter genera olei, quia alia olei genera adinuenta sunt tantùm ad supplementum olei oliuarum. Atq; ex his patet quòd si chrisma fieret ex oleo nucum, vel lini, vel amigdalarum; & non ex oleo oliuarum non esset apta materia ad cóficiendú sacramentú Cófirmationis.

Sed dicet aliquis Christus Dominus, vt dictum est in antecedenti parte, voluit aquam naturalem esse materiam Baptismi, quia vbique facillimè inuenitur; ergo & pro materia Confirmationis debebat Christus Dominus instituere rem aliquam, quę vbique inueniretur; sed oleum oliuarum non inuenitur facilè vbiquè; quia sunt nonnullæ regiones, in quibus non nascuntur oliuæ. Ad hoc resp. D. Thom. 3. p. q. 72. art. 2. in resp. ad 4. argum. quòd cùm sacramentum Confirmationis non sit omnibus necessarium simpliciter, sicuti Baptismus, non requirebatur vt pro eo constitueretur aliqua materia, quæ vbiquè esset; sed quæ de facili transportari posset de regione in regionem, vt est oleum oliuarum.

3 Quæritur tertiò vtrum de necessitate sacramenti Cófirmationis requirat, vt oleum sit mixtum cum balsamo?

D. Thom. 3. p. q. 72. nequè in art. 2. vbi agit ex professo de materia istius sacramenti, neq; in alio art. dictæ quæst. de hoc quęsito aliquid dicit; sed Caiet. in comment. dictæ quæst. dicit balsamum non requiri in Confirmatione de necessitate sacramenti; sed tantùm de necessitate præcepti: Et quòd vera materia sacraméti Confirmationis est tantùm oleum oliuarum ab Episcopo consecratum; Et quod Apostoli non vtebátur balsamo in ministratione sacramenti Confirmationis; Et quòd Ecclesia post Apostolos ordinauit, vt oleo commisceretur balsamum in materia Confirmationis; neque credendum est, inquit, Caiet. quòd Apostoli in primitiua Ecclesia, qui erant pauperrimi, vterentur balsamo, quod carissimè vendebatur, sicut & nunc. Dominicus Sot. lib. 4. sent. d. 7. q. vnica. ar. 2. etiam dicit balsamú esse tantùm de necessitate præcepti in sacramento Confirmationis, quia non est verisimile, quòd Christus Dominus voluerit pro materia alicui⁹ sacramenti instituere balsamum, quod ferè nusquã reperitur; nam vt ait Plin. balsamum nascebatur in India, tãtùm in aliquibus hortis, vbi fuerunt quàmplurima bella, & horti illi probabiliter fuerunt deuastati; sed nunc defertur ad nos, inquit Sotus, quoddam balsamú ex orbe Occidétali, quod licet habeat speciem balsami, non est tamen balsamum verum.

Victoria etiam in sum. sacram. vbi agit de Confirmatione, & ipse ait balsamum esse tantùm de necessitate pręcepti; quoniam balsamum, inquit, nascitur tantum in Syria regione Paganorú, nec hucusque transportatur; sed mercatores alium liquorem pro balsamo vendunt.

Nauar. in Man. cap. 22. num. 8. & ipse dicit balsamum esse tantùm de necessitate præcepti in sacramento Confirmationis.

Atquè opinionem Caietani, Soti, Victoriæ, & Nauarri sequuti sunt ferè omnes Sumistæ, Scholastici. & Canonistę. Dicendum igitur est ad quæsitum, balsamum non esse de necessitate sacraméti Confirmationis: sed tantum de necessitate præcepti; & ad hoc probandum afferunt omnes citati Doctores, maximè Caiet. Sot. & Victor. Capitulum Pastoralis, de sacramentis non iterandis, vbi petitur consiliú à Summo Pont. qui erat Innocentius IV. quid faciendú esset circa quendam casum, qui acciderat, quòd videlicet vnus per erroré fuerat confirmatus cum oleo tantùm benedicto sine balsamo, & respódet ibidem Innocent. IV. sacramétum Confirmationis non esse iterandum; sed tantùm illi, qui fuerat hoc modo confirmatus, esse

esse supplēdum in eo, in quo fuerat defectum; idest in balsamo, Atque ex hac responsione, Innoc. ita argumentantur prædicti Doctores: Si Sacramentum Confirmationis in tali casu non erat iterandum; ergo iam erat Sacramentum; sed sacramentum non potest esse sine materia: ergo ibi erat uera materia; sed in tali materia non erat balsamum: ergo balsamum non est de necessitate Sacramenti Confirmationis. Debebat autem ita confirmatus liniri balsamo, sic uti debet puer, quando baptizatus est sine solemnitate, deinde catechizari, & exorcisari, & alias Sacramenti Baptismi solēnitates habere.

4 Quæritur quartò, utrum oleum debeat esse consecratum, ut sit materia Sacramenti Confirmationis? Respon. quòd sic, & talis consecratio est de necessitate sacramenti, vt dicit Mag. sen. in 4. d. 7. cum Durando. Palud. Sot. & alijs Scholasticis omnibus: & ita tenent etiam summistæ Syl. Armil. Ang. Tabiena; & alij in uerbo Confirmatio; ita & D. Th. 3. p. q. 72. ar. 3. & Caiet. ibidem in comment. Et Victoria in Summa nu. 41. ita & Caetchis. Rom. vbi agit de Sacramēto Cōfirmationis.

5 Sed dicet aliquis aqua naturalis, vt sit materia Sacramenti Baptismi; non necessario necessitate Sacramenti benedicitur, aut consecratur; ergo neque oleum necessario debet benedici, vel consecrari; ut sit materia Confirmationis. Ad hoc resp. Doctores D. Th. Dom. Sot. Vict. Catech. & alij locis supra cit. quòd in illis Sacramentis, quibus Christus vsus est, ut materia sit apta non requiritur quòd sit consecrata; sicut materia Baptismi, & sanctissimæ Eucharistiæ, quia tales materiæ per tactum, & usum Christi sanctificatæ fuerunt, & redditæ aptæ vt sint materia talium Sacramentorum; In alijs uero Sacramentis, quibus Christus non fuit usus, vt est Confirmatio, & Extrema untio, da necessitate Sacramenti requiritur consecratio materiæ.

Quòd si dicas in Matrimonio, & Pœnitentia non consecratur materia eorum. Ad hoc resp. Sotus loco supracitato quòd in Matrimonio, & Pœnitentia materia non sunt res materiales; sed actus hominis; & ideò non consecrantur materiæ Pœnitētiæ, & Matrimonij.

6 Quæritur 5. a quo debeat consecrari oleum, seu Chrisma ut sit apta materia pro Sacramento Confirmationis? Respond. cum Mag. sent. scholast. DD. Catech. Rom. & alijs supracitatis, quòd regulariter, ut oleum, seu Chrisma sit apta materia pro Sacramento Confirmationis; debet consecrati ab Episcopo, vt etiam in Conc. Flor. fuit deffinitum.

Dixi autem (regulariter) quia Caiet. in 3. p. q. 72. ar. 3. & Vict. in sum. Sacram. nu. 42. Et nonnulli alij DD. dicūt quòd de licentia Summi Pontificis potest Sacerdos non Episcopus consecrare oleum, uel chrisma ad conficiendū Sacramentum Confirmationis; & probant hac ratione maximè Caiet. De licentia Summi Pōtificis potest simplex Sacerdos conferre Sacramentum Confirmationis: ego & consecrare materiā Confirmationis: nam minus est consecrare materiam Confirmationis, quā conferre Sacramentū Confirmationis. Dom. Sotus in 4. sent. dubitat de hac re, maximè quia ratiò Caiet. parū valet; nam Sacerdos simplex potest consecrare hostiam, quod maius est; & non benedicere Virgines, quod est minus; tamen credo dicendum esse cum Caietano, quia ratio eius in præsenti negotio habet aliquid probabilitats.

7 Quæritur vlt. vtrū Apostoli in primitiua Ecclesia, qū cōfirmabant; vterentur chrismate, aut oleo? D. Th. 3. p. q. 72. ar. 2. in resp. ad 1. argu. & ar. 4. etiam in resp. ad primū arg. dicit quòd Apostoli in collatione Cōfirmationis non semper vtebantur chrismate, aut oleo; imò, inquit, neque sēper utebātur

forma

forma Confirmationis, quia aliquãdo, cùm ministrabant sacramentum Confirmationis, descendebat visibiliter spiritus sanctus; vt habetur Act. 8. & tunc Apostoli ipsi nequè vtebãtur materia, nequè forma Confirmationis, quia materia, & forma in Sacramentis maximè adhibentur ad significandum eorum effectum; sed cùm spiritus sanctus visibiliter apparebat in aliqua forma corporea, puta linguæ, vel columbæ; nõ erat cur tunc significaretur per materiam, vel formam Confirmationis effectus: Aliquando verò non descendebat spiritus sanctus visibiliter in sacramento Confirmationis, & tunc Apostoli vtebantur, inquit D. Thomas, in ministratione ipsius Confirmationis chrismate, seu oleo, & forma ipsius Sacramenti.

Verùm Dominicus Sotus in 4. sent. d. 7. q. vnica. ar. 2. & 4. dicit quod non repugnat quod Apostoli confirmarent adhibita debita materia, & forma ipsius Confirmationis, etiamsi spiritus sanctus visibiliter descenderet; quia vtrũquè potest stare. Aliqui alij DD. dixerunt quod Apostoli in ministratione Confirmationis non vtebantur mãteria, & formà non quia spiritus sanctus visibiliter descenderet, sed ex dispensatione Christi: Verum benè dicit Sot. loc. cit. quòd nõ erat necessaria hæc dispensatio, & propterea existimãdum est quòd Apostoli semper, & quando visibiliter descendebat spiritus sanctus, & quando non; vsi fuerint debita materia, & debita forma: Et hoc est verisimile etiam, quia materia, & forma in sacramentis nouæ legis non tantùm adhibentur ad significandum effectum ipsorum sacramentorum, sed etiam ad causandum ipsum; Nam sacramenta nouæ legis efficiunt id, quod significant, vt pluries diximus.

Quòd si dicas in Actis Apostol. non legitur, quod Apostoli in ministratione Confirmationis vterentur materia, & forma: Ergo non vtebantur materia, & forma in Confirmatione?

Resp. quòd neque legitur contrarium, imò neque legitur in sacra scriptura de materia, seu de forma Confirmationis quænam esset; sicut nequè de materia aliquorum aliorum sacramentorum nõ fit mentio in sacris scripturis, nam vt dicit D. Dionys. Areopag. Multa habemus per traditionem Apostolorũ, quæ non sunt in sacra scriptura.

CAPVT QVARTVM.

De forma sacram. Confirmationis.

1 Quæ sit forma huius sacramenti.
2 In forma Confirmationis necessariũ est signum Crucis.
3 De alijs aduertendis circa formam huius sacramenti.

IN hoc capite primo quæritur quæ sit forma sacram. Confirmationis? Resp. cum Mag. senten. & schol. in 4. d. 7. Summistis in ver. Confirmatio, & Nauarro in Man. cap. 22. num. 8. D. Th. 3. p. q. 72. ar. 4. Cat. Rom. vbi de sacram. Confirmationis, & Conc. Flor. sub Eug. IV. quod forma Confirmationis est hæc, Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritui sancti. Amen. Quæ forma est conuenientissima propter rationem, quam affert D. Thom. & Cat. Rom. locis cit. uos illam apud eos videte: sed circa hanc formam. 1

Notandum est primò, quod de necessitate sacram. Confirmationis est necessarium, quod Eps signet cõfirmandum signo crucis, quia alioquin falsus esset sensus formæ; Dicitur enim in ea consigno te signo crucis. 2

Notandum est 2. ex Soto q. cit. art. 4. quod si quis loco, Confirmo, diceret corroboro, & loco Consigno, vel corroboro diceret Consignetur, aut corroboretur seruus Christi, vera esset forma, quia mutatio nõ fieret in essentialibus, prout diximus de forma Baptismi. 3

No-

Notandum est tertiò, quòd sicut ad sacramentum Baptismi necessaria est expressio sanctissimæ Trinitatis; ita et ad sacramentum Confirmationis: An verò sufficeret dicere, In nomine Christi; aut genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque? respondendum est eo modo, quo supradictũ est de Baptismo.

CAPVT QVINTVM.

De effectu sacramenti Confirmationis.

1 *Confirmatio confert characterem.*
2 *Non est iterabilis.*
3 *Iteratio Confirmationis vtrum inducat irregularitatem in ministro, vel suscipiente, & cur.*
4 *Quænam sit potentia characteris Confirmationis.*
5 *Supponaturnè baptismus characteri Confirmationis.*
6 *An Confirmatio conferat gratiam.*
7 *An remittat peccata mortalia.*
8 *Sufficiatnè attritio ad sacramentum Confirmationis.*

1 IN hoc capite primò quæritur, an sacramentum Confirmationis imprimat characterem? Ad hoc responsum est in prima Parte huius tractatus, vbi actum fuit de effectu sacramentorũ in communi; esse de fide sacramentũ Confirmationis conferre characterem, & ita determinatum fuit in Concil. Trid. sess. 7. de sacramentis in genere can. 9. In quo canone decernitur tria sacramenta conferre characterem; inter quę cõnumeratur Confirmatio; Et hoc idẽ determinatum fuit in Concil. Flor. sub 2 Eugenio IV. Et propter hoc sacramentum Confirmationis nõ potest iterari, & si iteretur peccat mortaliter, tàm ille, qui sacramentum Confirmationis iã confirmato confert, quàm ille, qui iam confirmatus illud suscipit, si scienter id fiat: Quòd si dubium sit de aliquo an sit confirmatus, quod dubium sit probabile, debebit Episcopus confirmare cum conditione modo, quo de Baptismo supra dictum est.

3 Sed dicet hic aliquis primò, an incurrat irregularitatem ille, qui scienter secũdo aliquem confirmat, vel ille, qui iam cõfirmatus scienter sacramentum Confirmationis iterum suscipit? Canonistæ quamplurimi affirmant. Et ratio eorum est, quia si ille, qui scienter aliquem rebaptizat, vel iterum Baptismũ suscipit, fit irregularis, vt in antecedenti parte dictum est: ergo a simili & qui confirmatum iterum confirmat, vel cõfirmatus Confirmationem iterum suscipit: Verùm cum Theologis dicendum est iterationem Confirmationis non inducere irregularitatem in ministro, neque in suscipiente: Et ratio Canonistarum nihil valet, quia argumentum à simili sæpissimè est fallax, vt dicit Sotus. in 4. sentent. d. 7. quæst. vnica. art. 5. & apud ipsosmet Canonistas extat aliud argumentum firmius in cõtrarium pro præsenti negocio; fauores videlicet esse ampliandos, & pœnas restringendas; cũ ergo in canone non fiat mentio de irregularitate aliqua, in quam incurrat iterans sacramentum Cõfirmationis; sed tantùm fiat mentio de irregularitate, in quam incurrit rebaptizans, vel rebaptizatus; non est existimandum quòd reconfirmatus, vel (vt ita loquar) reconfirmans fiat irregularis.

Dicet aliquis secundo, quare posita est pœna irregularitatis iterantibus Baptismum, & non iterantibus Confirmationem? Ad hoc resp. Vict. in summ. num. 44. Quòd antiquitus fuit hæresis de iteratione Baptismi; non autem de iteratione Confirmationis, & ideo ad illam hæresim euitandam apposita fuit pœna irregularitatis iterãtibus Baptismum, & non Confirmationem.

4 Quæritur secundò, quænam potentia sit character Confirmationis? Ad hoc responsum est in prima par. huius Tractatus, quod est potentia confitẽdi no-

nomen Dei coram Tyrannis audacter, sine vlla erubescentia, & timore, & gerendi ea, quæ faciunt, & valent ad pugnam spiritualem hilari fronte; & exéplum huius dat. D. Tho. 3. p. q. 72. art. 5. de Apostolis, qui antequam confirmati essent; idest ante diem Pentecostes, erant in Cœnaculo clausi propter metũ Iudæorum; sed postquàm confirmati fuerunt, idest post diem Pentecostes, audacter Deum confitebantur, desiderantes contumeliam pati pro Christo.

5 Quæritur tertiò, an character Confirmationis semper supponat characterem Baptismi? Resp. ex ijs, quæ supra diximus de Baptismo, ꝙ character Baptismi semper supponitur à charactere Confirmationis, ita vt nullus possit cõfirmari, qui non sit baptizatus: Et rationem huius assignat D. Th. 3. p. q. 72. art. 6. quia videlicet Confirmatio corroborat, & auget, nullus autem potest corroborari, aut augeri, qui non sit natus.

6 Quæritur quartò vtrum Confirmationis sacramentum conferat gratiam? Ad hoc respondeo affirmatiue, nisi ponatur obex, vt dictum est de omnibus sacramentis in prima par. huius Tractatus, & est de fide; Imò Confirmatio cõfert maiorem gratiam, quam Baptismus, & in hoc Cõfirmatio est dignior, vt dicit D. Th. q. cit. Baptismo, sicut & quantum ad ministrum, vt dictum fuit in prima parte huius Tractatus.

7 Quæritur vltimo, an Cõfirmatio remittat peccata mortalia? Resp. ꝙ Confirmatio per se non remittit peccatum mortale, quia non est instituta ad remittenda peccata, sed per accidens potest fieri quòd aliquando remittat peccatũ mortale, puta si aliquis attritus existimans se contritũ accedat ad sacramentum Confirm., nam tunc per tale sacramentum ex attrito fit contritus, & remittetur illi peccatum mortale: ita D. Th. q. 72. citata ar. 7. in resp. ad 2. argumentum.

8 Notandum est hic quòd si quis accederet ad Confirmationem credens se non esse contritum, & commisisse peccatum mortale, reciperet characterẽ, & sacramentum Confirmationis; non gratiam; & est hæc differentia, vt dicit Sot. q. cit. ar. 7. inter sacramentum Baptismi ac Pœnitentiæ, & alia sacramenta, quòd ad suscipiendum sacramẽtum Baptismi, & Pœnitẽtiæ post peccatum mortale, sufficit attritio existimata attritio, quia hæc duo sunt sacramenta mortuorum, quæ per se viuificant: ad recipienda verò alia sacramenta requiritur contritio vera, vel attritio existimata contritio, quia sunt sacramenta viuorum, & quæ per accidens tantùm viuificant; Atquè infert hinc bonum consilium esse prius accedere ad sacramentum Pœnitentiæ, quàm ad sacramentum Confirmationis.

CAPVT SEXTVM.

De suscipientibus sacramentum Confirmationis.

1 *Qui teneantur præcepto Confirmationis.*
2 *Præceptum Confirmationis vtrum liget in aliquo casu.*
3 *Quibus possit ministrari tale sacramentum.*
4 *Aetas ad hoc prærequisita.*
5 *In fronte conferendum est hoc sacramentum.*

1 IN hoc capite primo quæritur vtrum omnes teneantur suscipere sacramentum Confirmationis? Riccard. S. Bonauent. Durand. Palud. Maior, & Marsyll. lib. 4. sent. dicunt esse de necessitate præcepti sacramentum Confirmationis, & pro eorum opinione videtur facere cap. primum, quod est in d. 5. de consec. in quo dicitur quòd omnes fideles post Baptismum per impositionem manuum Episcoporum spiritum

sanctũ accipere debent, ut pleni Christiani inueniantur. Contrarium sentiunt Adrian.& Scot.in 4.D. Th.& Caiet.3.p.q.72.ar. 8. Dom.Sot.in 4.d.7.q. v.ar.8. Victor. in sum.Nau.in man.ca. 22.nu.9.& Catechis. Rom. vbi agit de Confirmatione;hi enim dicunt esse tantum de consilio recipere sacramentum Confirmationis.Et ad cap. cit.respondendum est,quòd in eo non præcipitur Confirmatio; sed tantùm dicitur quòd debent fideles accipere sacramentum Confirmationis,vt pleni Christiani inueniantur; Et quòd Confirmatio non sit in præcepto probatur à Sot. l. cit. quia tale præceptum non habetur in tota sacra Scriptura; neque in sacris Canonibus,aut Concilijs.

2 Quæritur secundò utrum saltem in aliquo casu teneatur quis recipere sacramentum Confirmationis? Sotus l. cit.dicit esse mortale peccatum omittere sacramentum Confirmationis quandò Christianus Tiranno occurrere debet,nam in tali casu, vt possit fidem intrepide confiteri,tenetur muniri armis huius sacramenti; Aliquid dicunt quòd tenetur ordinandus prius sumere sacramentum Confirmationis ex decreto Conc.Trid.,sed hoc non est in præcepto; nã Conc. Trid. licet dicat ordinandos debere esse confirmatos, non tamẽ id præcipit. Ex his infertur quòd omittere sacramentum Confirmationis ex aliqua negligentia, est tantum veniale; præterquàm in casu dicto ex Soto: Omittere verò illud ex contemptu, est mortale.

3 Quæritur 3.an sint confirmandi Hermaphroditi, muti,surdi,&c. Resp.secũdum communem DD. opinionẽ, quòd sunt confirmandi; imò & statim morituri,si adsit copia Episcopi, qui confirmet, vt cum maiori gratia ab hac uita recedant.

4 Quæritur 4. qua ætate pueri sint cõfirmandi? Resp.quod in qualibet ætate possunt confirmari; Melius tamen est expectare duodecimum ætatis annũ; vel saltẽ,vt ait Cat.Rom., septimũ,vt recordentur Confirmationis,ad euitãdum periculum iterationis illius.

5 Quæritur 5.in qua parte corporis debeat conferri sacramentum Confirmationis? Ad hoc resp. quòd,licet sint aliqui, ut Victoria in summa nu.50. quia credant sacramentum Confirmationis posse conferri in qualibet parte corporis;Tenendum tamen est cùm communi DD. opinione,vt habet D. Th.3. p. q.72.ar.9.& Cat.Rom., quòd Cõfirmatio debet cõferri in fronte, quia datur, ut supra dictum est in cap. antecedẽti, ad euitandum timorem, & erubescentiam in confessione Christi; cuius timoris,& erubescẽtiæ (ut ait Arist.in 4. ethic.)maximum datur signum in fronte, nã cum quis timet, fit pallidus,cum uerò uerecundiam habet, in fronte fit rubeus. Rursus dicunt DD. quòd Confirmatio debet dari in fronte, quia est signum militiæ Christi;miles autem portat signum sui Ducis in parte patentiori;& frons est pars, quæ præ ceteris patet in homine.

CAPVT VLTIMVM.

De ministro sacramenti Confirmationis,& de patrinis, qui adhibentur ad suscipiendum tale sacramentum.

1 *Quis sit minister sacramenti Confirmationis.*
2 *Quando sit conferendum.*
3 *Episcopus an debeat ieiunus illud conferre.*
4 *An patrini in illo adhibendi,& quales.*
5 *Cur patrini adhibeantur.*
6 *Cur confirmatus percutiatur in maxilla.*

In

1 IN hoc capite primò quæritur, qui sit proprius minister sacramenti Confirmationis? Resp. quòd est episcopus, & ita tenet D. Th. q. 72. cit. ar. 11. Riccar. in 4. Nauar. in Man. cap. 22. nu. 8. & omnes Doctores. Potest tamen Summus Pontifex dare licentiam sacerdoti non episcopo conferendi sacramentũ Confirmationis, vt dicunt D. Th. Riccard. Nauar. locis cit. & Sot. in 4. d. 7. q. vnica, ar. 11. vbi & dicit ita esse decisum in Conc. Flor. & probatur, quia D. Greg. vt habetur d. 95. c. Peruenit, concessit aliquibus sacerdotibus non episcopis, potestatem ministrandi sacramentum Confirmationis. Contrarium tamen tamen tenuerunt D. Bonau. Maior, Gab. Scot. Durand. & Adria. in 4. sed uerior est opinio aliorum.

2 Quæritur 2. quo tempore sit conferẽdum sacramentum Confirmationis? Resp. quòd semper potest conferri, sed maximè confertur in die Pentecostes, & duobus sequentibus; quia tali die cõfirmati fuerũt Apostoli: Chrisma uerò consecratur in die Iouis sancto communiter ab Episcopis, quia, ut ait D. Th. q. cit. ar. vlt. in resp. ad 3 arg., in Vigilia Paschę Episcopus debet quosdam solemniter baptizare, & in Baptismi solemnitate adhibetur chrisma; & ideò per duos dies antea præparatur. Alij DD. dicunt quòd chrisma consecratur in die Iouis sancto, quia creditur probabiliter quòd Christus in cœna ante passionẽ instituerit sacramentum Confirmationis.

3 Quæritur 3. an Episcopus ad confirmandum debeat esse ieiunus, & item illi, qui confirmandi sunt? Resp. quòd in Conc. Meldensi determinatũ est quòd Confirmatio debet conferri a ieiunis: & in Conc. Aurelianẽsi determinatũ est, quòd debet sumi a ieiunis, sed hæc sũt de consilio; non de præcepto. vt dicunt Doctores.

Quæritur quartò, An ad Confirmationem adhibendi sint Patrini? Respond. quod adhibendus est vnus, vel vna non de necessitate sacramenti, sed tantùm de necessitate præcepti; ita Syl ue. ver. Confirmatio. Nauarr. cap. 22. num. nono, & Cathec. Rom., Debet autem Patrinus talis esse confirmatus, alloquin non contrahitur cognatio spiritualis inter ipsum, & confirmatum, & eius parentes, vt ait Victor. in sum., sed de hoc melius dicetur in ultima parte istius Tractatus cum Dom. Soto. Contrahitur autem in Confirmatione cognatio spiritualis inter tot personas, inter quot & in Baptismo.

5 Quæritur quincto, quare in hoc sacramento adhibeatur patrinus? Ad hoc respond. D. Th. q. 72. cit. ar. 10. Sot. quæst. vnica cit. ar. 10. & Catech. Rom. quia sicut in Baptismo adhibetur patrinus, quia nuper natus indiget pedagogia aliorum; ita illi, qui ad pugnam conscribuntur, indigent instructoribus ad pugnam, quorum arte, & consilio doceantur, quibus ictibus, saluis ipsis, possint conficere aduersarium.

6 Quęritur vlt. quare percutiatur cõfirmatus ab Episcopo in maxilla? Aliqui dicunt ut recordetur se esse confirmatum; & alij melius dicunt ut sciat se debere esse paratum ad sustinendas omnes contumelias pro Christo; Atque hęc de sacramento Confirmationis.

PARS QVARTA DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

HAEC Pars diuiditur in decem capita, in quorum primo agitur de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento secundum se; & de eius institutione, nominibus, ac figuris. In secundo agitur de eius materia. In tertio de eius forma. In quartò de conuersione panis, & uini in corpus, & sanguinem Christi. In quinto de modo, quo Christus existit in hoc Sacramento. In sexto de accidentibus panis, & vini remanentibus in hoc Sacramento. In septimo de effectibus huius Sacramenti. In octauo de vsu, & sumptione huius Sacramenti. In nono de ministro huius Sacramenti. Et in ultimo de ritu huius Sacramenti.

CAPVT PRIMVM.

Sanctiss. Eucharistiæ Sacramento secundum se; & de eius institutione, nominibus, ac figuris.

1 *Eucharistia est maximum sacramentum nouæ legis.*
2 *Definitio huius sacramenti.*
3 *In quo consistat hæc ratio sacramenti. An in conseruatione.*
4 *An in sumptione.*
5 *An in corpore, & sanguine prout sub speciebus.*
6 *An in speciebus ipsis, & quomodo.*
7 *Quid res; quid res, & sacramentum; ipsum.*
8 *Differentia huius Sacramenti ab alijs.*
9 *Sumptio Eucharistiæ non est Sacramentum, sed conditio.*
10 *Quotuplex Sacramentum sit Eucharistia.*
11 *Vnum quot modis accipiatur.*
12 *Quomodo hoc Sacramentum sit vnum.*
13 *An laici sumant totum Sacramentum.*
14 *Institutio huius sacramenti, quando, & cur in ultima cœna.*
15 *Rationes huius institutionis.*
16 *De pluribus nominibus huius Sacramenti.*

17 Eu-

17 Eucharistia est signum representatiuum, demonstratiuum, & prognosticum.
18 Quomodo fuerit figurata Eucharistia.
19 Agnus Paschalis pracipua huius sacramenti figura.

1 IN hoc capite primò, quæritur vtrum sanctiss. Eucharistiæ sit Sacramentum ab alijs dictinctum, & an sit maximum inter sacramenta, & quid sit? Ad hoc dico primo sanctiss. Eucharistiam esse sacramentum nouæ legis, ab alijs distinctum; & hoc probatum fuit in prima parte huius Tractatus, vbi actum fuit de numero Sacramentorum nouæ legis, ex Conc. Trid, & nonnullis rationibus, & probatur etiam a D.Th. in 3.p. q.73.ar.1.à Domi. Sot.in 4. sent.d.8. 9.vnica; & a Catech. Rom. vbi agit de Eucharistia in principio; hac ratione, quam etiam nos innuimus in prima parte huius Tractatus, vbi supra, & in 3. p. in principio; Vita spiritualis analogiam quandam, & similitudinem habet ad vitam corporalem; sed in vita corporali homo postquàm natus est, & auctus eget alimento ad sui conseruationem in tali uita; ergo & vita spiritualis postquā homo per Baptismum natus est, & auctus, per Confirmationē eget alimento quodam spirituali; ut conserpetur in tali vita spirituali; hoc autem alimentum præbetur per sanctissimum Eucharistiæ sacramentum.

Dico secundò, Sanctissimā Eucharistiam esse maximum inter sacramenta; & hoc patet ex eo, quia Auctorem Sacramentorum in se continet Christum Dominum, ut infra dicemus; tum etiā quia sanctiss. Ecclesia in Hymno, quē canit in solemnitate Corporis Christi, pro conclusione totius Hymni: ita canit: Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.

2 Dico tertiò, quod Dom. Sotus inter multos, qui varias afferunt sanctissimæ Eucharistiæ deffinitiones, optimè loco sapracit. ita eam deffinit: Eucharistia est sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi; quo uita spiritualis nutritur. In qua deffinitione continetur genus Eucharistiæ in dictione (Sacramentum;) Continetur differentia; quæ est inter ipsam, & alia sacramenta, in illa particula (Corporis, & Sanguinis Christi) nam in sola Eucharistia, & nō in alijs sacramentis, verè, & realiter continetur corpus Christi, & eius sanguis, vt dicetur infra cap.4. & 5. Item in dicta deffinitione apparet proprius Eucharistiæ effectus, qui est nutrire animam in uita spirituali in illa particula (quo vita spiritualis nutritur.)

3 Sed est cōtrouersia inter DD. Scholasticos quidnam sit id, quod in sanctissima Eucharistia propriè sit sacramentum? In ea enim quatuor possumus considerare, quæ singula uidentur esse sacramentum Eucharistiæ; & quæ inter se sunt distincta: Primò consecrationem. Secundò sumptionem. Tertiò corpus, & sanguinem Christi, quæ sub speciebus panis, & uini continētur post consecrationem: Quartò species, seu accidentia ipsa panis, & uini post consecrationem.

Aliqui, inter quos est Gab. Biel. in lectionib⁹ super canonē Missæ, & in 4. sent. d. 8. Marsi. in eadem D. Caiet. vt eam citat Sot. in dicta d.9. vnica ar 1. dixerant consecrationem esse sacramētum sanctissimæ Eucharistiæ, quia per consecrationem efficitur quòd corpus, & sāguis Christi sit sub specieb⁹ panis, & uini; & verba consecrationis significant corpus, & sanguinem Christi esse sub speciebus panis, & uini; Quod enim aliud significant hæc verba, Hoc est enim corpus meum; & Hic est enim calix sanguinis mei: sed sacramentum est illud, quod efficit id, quod significat: ergo consecratio est sacramētum Eucharistiæ. Huic rationi potest & hæc alia

lia addi omne Sacramentum constet materia, & forma, sed forma SS. Eucharistiæ sunt illa uerba, Hoc est enim corpus meum, & Hic est enim calix sanguinis mei; & ipsa uerba sunt in consecratione, & in consecratione applicantur materiæ, neque amplius remanent post consecrationē: ergo consecratio ipsa est Sacramentum Eucharistię.

4 Alij secundò dixerunt sumptionem esse Sacramentum sanctissimæ Eucharistiæ, propter hanc rationem, quia uidelicet Sacramentum nouæ legis est illud, quod confert gratiam ex opere operato, sed sumptio est illa, quæ confert gratiam ex opere operato: ergo sumptio est Sacramentum Eucharistiæ: Qđ Sacramentum nouæ legis sit illud, quod confert gratiam ex opere operato, patet ex ijs, quæ diximus supra in prima parte istius Tractatus, cap. de effectu sacramentorũ in communi, vbi probauimus, & dictum fuit esse de fide, omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, nisi ponatur obex. quòd verò per sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum conferatur gratia in sumptione, apertè patet, quia quantumuis fiat consecratio Sanctissimæ Eucharistiæ, nisi hostiæ consecratæ sumantur, non efficietur per eã gratia in anima nostra ex opere operato: Huius opinionis fuit Gabr. Biel locis cit. qui conatur deffendere, & consecrationem & sumptionem in sanctissima Eucharistia esse duo sacramenta partialia, & unum totale ratione unius perfectæ significationis & unius spiritualis nutrimenti.

5 Aliqui tertiò dixerunt corpus, & sanguinem Christi, quæ sub speciebus panis, & uini latent, esse Sacramentum Eucharistiæ, primò quia Gregorius Papa par. prima, qu. 1. capitu. Multi, appellat corpus, & sanguinem Christi sacramentum. Secundò, quia in SS. Eucharistiæ Sacramento cùm adoramus aliquid, dicimur adorare ipsummet sacramentum, & dicimur flectere genua sacramento, sed talis adoratio debetur Christo, & non consecrationi, quæ per transijt, vel sumptioni, quæ nondum est, ergo Christus, vel eius corpus, & sãguis est sacramentum Eucharistiæ. Tertiò illud est sacramentum Eucharistiæ, quod spiritualiter alit animam nostram, sed talis est Christus, seu eius sanctissima caro, & sanguis, vnde dicitur Caro enim mea uerè est cibus, & sãguis meus verè est potus: ergo caro, & sanguis Christi est sacramentum Eucharistiæ.

6 Alij 4. dixerunt sacramentum Eucharistiæ esse aggregatum ex speciebus panis, & uini, & corpore, & sanguine Christi, vel (quod idem est) corpus, & sanguinem Christi, prout continetur sub speciebus panis, & uini, vel species panis, & vini prout continent corpus, & sanguinem Christi; ita tenet Capreol. in 4. sent. d. 8. q. 3. ar. 1. & ita uidetur tenere Victoria in sum. nu. 51. licet postea uideatur dicere tantùm species panis, & uini esse sacramentum Eucharistiæ.

Alij 5. dixerunt sacramentum Eucharistiæ esse tantum species panis, & uini; & ij intelligendi sunt post consecrationem, ita Mag. sent. in 4. d. 8. cap. ult. d. Th. 3. p. q. 73. ar. 1. in resp. ad 2. & 3. arg. Dom. Sot. in 4. sent. d. 8. p. unica ar. 1. & Cat. Rom. vbi agit de Sacramēto Eucharistiæ in principio.

Pro solutione huius controuersiæ, & difficultatis recolendũ est id, quod dixi [illegible] in 1. parte istius Tractatus, quòd videlicet in unoquoque sacramento nouæ legis sunt tria: Vnum, quod est res tãtùm; aliud, quod est res, & sacramentum simul; & aliud, quod est Sacramentum tantùm, & de hoc exemplum vidimus de Baptismo in 2. p. quod & potest applicari Confirmationi in 3. p.

Et hoc præ[illegible]tato Dico primò quod id, quod est res tantùm in SS. Eucharistia, est gratia, quę per eam confertur il-

lis,

lis, qui tale sacramētū dignè suscipiūt.

Dico 2. quòd in SS. Eucharistia id, quod est res, & sacramentum simul, est corpus, & sanguis Christi, quę post cōsecrationem sub speciebus panis, & uini continentur, & hoc probant rationes tres supra allatæ pro tertia opinione; Verè enim dixit D. Gregor. Christum sub speciebus esse sacramentum, seu carnem, & sanguinem Christi, & nos dici adorare sacramentum cùm talia sub speciebus panis, & vini adoramus, & Christum conferre gratiam, & alere animam, & ideo esse sacramentum, quia est non solum res, sed & sacramentum.

Dico 3. quòd in SS. Eucharistia id, quod est sacramentū tantùm, sunt species panis, & uini post consecrationē, & id probatur, quia sacramētum, vt dictum fuit in prima parte huius Tractatus; est visibile signum inuisibilis gratię, sed species panis, & uini post consecrationem sunt visibile signum inuisibilis gratię, ergo species panis, & uini sūt sacramentum.

Atque hæc doctrina est Mag. sent. in 4. d. 8. D. Th. 3. p. q. 73. ar. 1. in resp. ad 2. & 3. arg. Soti in 4. sent. d. 8. q. vnica. ar. 1. & hanc habuit Hugo de Sancto Victor. lib. 2. de sacram. p. 8. cap. 7. à quo eam desumpsit Mag. sen. & hanc doctrinam affert Innoc. PP. in cap. Cū Marthę de celeb. Missarum, tamquam diuinum dogma.

Ego (saluo meliori iudicio) etiam secundum doctrinam supradictorum doctorum Mag. D. Th. Sot. Hugonis, & Innoc., dico in SS. Eucharistię sacramēto gratiam esse id, quod est res tantùm, & Christum, qui est sub speciebus panis, & uini post consecrationem, esse rem, & secramentum simul, vt dictum est: & species panis, & uini esse id, quod est sacramentum tantùm, verùm non simpliciter, sed prout dicunt ordinem ad cōsecrationem ipsam, seu ad uerba consecrationis iam prolata, ita ut species panis, & uini, tantùm non sint sacramentum Eucharistiæ, sed prout dicunt ordinem ad uerba cōsecrationis, itaut ad hoc ut species panis, & uini sint sacramentum necessariò subintelligatur sensus verborum consecrationis, seu ipsa consecratio.

Primò, quia ut ēt dicūt, uel necessariò intelligūt supracitati DD. & ut ita necessariò dicēdū est, species panis, & uini si sunt sacramētū Eucharistię intelligendę sunt nō ut species sūt, sed prout præcessit consecratio, quia species, ut species sūt, tàm sunt ante cōsecrationē quàm post; Illa enim qualitas panis, & vini calor, sapor, & quantitas tàm sunt ante consecrationem, quàm post; sed ante consecrationē secundum omnes non sunt sacramētū: ergo necessariò ut species sint sacramentū, debet esse peracta cōsecratio, & ut habētur ꝑ sacramēto debet subintelligi pacta cōsecratio.

Secūdo illud est sacramētū, quod est sacrę rei signū, sed species panis, & uini nō possūt determinari ad significationē corporis, & sāguinis Xp̄i, & ad significationē gratię, q̄ datur animę nostrę ꝑ modum alimēti ex Eucharistię sacramēto, si nō prçsupponatur cōsecratio: ergo necessariò, ut species panis, & uini sint sacramētū Eucharistię subintelligēdus est ordo ad uerba cōsecrationis; & patet, q̄a species panis, & uini nō magis sūt aptę ad significandum Christū, seu gratiam per modum alimenti, quā ad significandam substantiam panis, & uini, & ad significandum alimentū corporale; imò species panis, & uini magis propriè significāt substantiā panis, & uini, & alimentum corporale, quàm corpus, & sanguinē Christi, seu Christum, & gratiam, sed determinātur ad significandum corpus Christi, & gratiā per hęc uerba consecrationis, Hoc est enim corpus meum, & Hic est calix sanguinis, &c. ergo ut species sint signū rei sacrę, idest sacramentum, subintelligendus est ordo ad cōseratiōnis verba.

Ter-

Tertiò omne sacramentum debet cō stare materia, & forma, sed species panis, & uini non possunt habere locum simul materiæ, & formę: ergo subintelligendus est ordo ad consecrationem tamquam forma sacramenti SS. Eucharistię. Ratio autem cur verba ipsa non sint forma Eucharistiæ est, quia uerba transeunt, & sacramentū Eucharistię permanet, & ideo sacramētum Eucharistię non tunc est cùm proferūtur verba, sed incipit esse immediatè post prolationem uerborum, vt infra dicetur.

Atque ex dictis facile respōdere possumus ad rationes, quæ uidentur facere in contrarium, nam ad primam rationem primę opinionis respondendū est, vt respondet Dom. Sot. l. supracit. quòd consecratio neque est sacramentum, neque forma, aut materia sacramenti, sed uia ad sacramentum.

Ad secundam rationem similiter respondendum est quòd uerba consecrationis non sunt forma sacramenti Eucharistiæ, nam sacramentum Eucharistiæ est permanens, uerba uerò consecrationis, sicut & alia uerba, non sunt permanentia, sed transeuntia.

8 Quod ut intelligatur, notandum est ex D. Th. & Caiet. ar. supracit. in resp. ad 3. arg. quòd Sacramentum Eucharistiæ in hoc differt ab alijs Sacramentis, quia est quid permanens, seruatur enim in pixide, & ad infirmos defertur: alia uerò sacramenta sunt transeuntia, & non possunt permanere; Baptismus enim statim ac est desinit esse, nec potest permanere; nam prolatis uerbis; ego te baptizo &c. est factus Baptismus; & prolatis uerbis statim cessat esse Baptismus; ita & alia sacramenta præter Eucharistiā; sicut et est alia differentia inter Eucharistiam, & alia sacramenta; quod id, quod est sacramētū & res simul in Eucharistia idest Christus, est in ipsa Eucharistia: sed in alijs sacramentis id, quod est res, & sacramentum simul, non est in ipso sacramēto, sed in eo, qui recipit ipsum sacramētum, vt character Baptismi, & Confirmationis non est in Baptismo, vel Confirmatione, sed in recipiente Baptismū, & Confirmationem.

Dicendum igitur est quòd sacramētum Eucharistiæ non habet pro forma verba Consecrationis; sed ordinem ad ipsa uerba, postquàm prolata sunt cum intentione consecrandi.

Ad rationem secundæ opinionis respondendum est sumptionem Sanctissimæ Eucharistiæ non esse eam, quæ confert gratiam animæ nostræ, sed Christum, qui est sub speciebus panis, & uini, & species, quæ sumuntur, sub quibus est Christus, itaut sumptio sit tantùm conditio, sine qua non daretur gratia, sicut ignis est ille, qui comburit stupā, sed approximatio ignis ad stupam est conditio, sine qua ignis non combureret stupam; Quare ad dandam gratiā per sacramentum Eucharistiæ tria concurrunt (quantùm ad præsens negociū spectat,) scilicet Christus; species panis, & uini; & sumptio: Christus dat gratiam, ut quod, species ut quo; sumptio, vt conditio sine qua non; quia Christus est principale agens, & qui dat gratiam; species sunt instrumentum, quo Christus dat gratiam, & sumptio est conditio, sine qua Christus non dat gratiam, per species scilicet panis, & uini: ut ignis est id, quod comburit stupam calore, sed non sine approximatione, & propterea ignis dicitur cōburere vt quod; calor ut quo; & approximatio ut conditio, sine qua non: Et hæc doctrina est. D. Th. 3. p. q. 73. ar. 1. in resp. ad 4. arg. Caiet. ibidē. Sot. in 4. sent. d. 3. q. vnica ar. 1. & elicitur ex D. Chrisostomo hom. 35. super Ioannem, & idem est in alijs sacramentis; nam sanctissima Trinitas est illa, quæ dat gratiam per Baptismum, qui suscipitur ab aliquo; Quare sanctissima Trinitas dat gratiam ut quod; Baptismus, ut quo; susceptio Baptismi ut conditio

ditio sine qua non.

10 Ad rationes tertiæ opinionis iàm responsum est.

Quæritur 2. utrum SS. Eucharistia sit unum an plura sacramenta? Videtur enim quòd sint plura.

Primò quia i Sacrificio Missæ in quadam collecta dicimus, Purificent nos quæsumus Domine Sacramenta, quæ sumpsimus, & necessariò intelligitur de SS. Eucharistia.

Secundò sacramentum est signum sacræ rei, sed in Euchar. sunt duo signa sacræ rei idest species panis, quæ significant cibum spiritualem, & species uini, quæ significant potum spiritualem, vnde dicitur Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus: ergo SS. Eucharistia sunt duo sacramenta.

Tertiò in Eucharistia sunt duæ materiæ idest panis, & uinum, & duę consecrationes: ergo duo sacramenta.

His tamen non obstantibus dicendū est cum Mag. sent. in 4. d. 8. Hugone de Sancto Vict. Innoc. lo. supracit. Dom. Sot. q. vnica supracit. ar. 2. D. Th. q. 73. cit. ar. 2. & Cat. Rom. SS. Eucharistiā esse unum tantùm sacramentum, quia alioquin, ut etiam dicit Catechismus Rom. non tantùm essent septem sacramenta nouę legis, sed plura: Et pro intelligentia huius determinationis.

11 Notandum est, vt etiā notat D. Th. ar. ci. ex Philosopho in 5. Metaph. textu. 9. 10. & 11. quòd unum dicitur multiplicitur, primo id quod est indiuisibile ut Angelus, qui cum sit indiuisibilis est maximè unus, nec habet partes, in quas possit diuidi. Secundò Vnum dicitur id, quod est continuum, vt linea dicitur una, quia est continua, & non diuisa in plures partes, licet posset diuidi. Tertiò, Vnum dicitur non illud, quod est indiuisibile tantùm, aut continuum, sed & id, quod habet plures partes inter se diuisas vt domus dicitur vna etiam si habeat fundamenta, parietes, & tecta etiam inter se diuisa; & dicitur una ratione perfectionis: Sāctiss. 12 Eucharistia non est una primo modo, quia species diuidi possunt, neque secūdo, quia species uini non sunt continuæ cum speciebus panis, sed separatæ; sed tertio modo, quia species panis, & uini, licet secundum se sint distinctæ, & separatæ; simul tamen perfectè repręsentant unicam refectionem, nam species panis, si seorsim considerentur, significant in SS. Eucharistia cibum spiritualem, & species uini, si seorsim sumantur significant potum spiritualem, & si simul considerentur dictæ species panis, & uini significant unicam perfectam refectionem, quæ non potest esse in cibo sine potu, neque in potu sine cibo, sed in utroque. Vnde ait Christus. Io. 6. Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus verè est potus; Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem &c. Atque ex ijs colligitur quòd licet in Eucharistia sint duo sacramēta partialia, idest duo signa partialia; sunt tamen unum tantum sacramentum, & unum signum totale, quod repræsentat unicā perfectam refectionem. Vnde ad primam rationem supra allatam in contrarium resp. quod etiam in collecta Missæ de SS. Eucharistia habentur hęc verba nō multo post ea, quæ dicta sūt; sed hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, &c. ad ostendendum quòd licet in SS. Eucharistia sint duo signa, & sacramenta partialia; sūt tamen unū tantùm totale per vnicā repræsentationem unius totalis refectionis.

Ad 2. resp. simili modo quòd in Eucharistia sunt duo partialia signa, sed unum totale.

Ad 3. resp. quòd in Eucharistia in ratione significationis sunt duæ materiæ partiales; sed una totalis per unicam represententationem unius perfectæ refectionis.

13 Sed dicet quis si species panis, & uini non sunt totum sacramentum Eu-

charistiæ: ergo laici cum communicāt, non sumunt totum sacramentum Eucharistiæ. Ad hoc resp. Dom. Sot. in 4. sent. d. 8. q. vn. ar. 2. quod verè laici, cùm sumunt tantùm species panis, non sumunt totũ sacramentum Euchar. si ꝑ sacramẽtũ intelligamus id, quod est sacramentũ tantũ; nã laici sumunt tantũ signũ cibi, & non potus: Non tamen defraudantur; quia sumunt totum illud, quod est res & sacramẽtum simul, idest totũ Christum sub speciebus panis, nõ minus ac si sumerent ẽt species uini; nã Christus (ut postea dicetur) licet quantum ad uim verborũ, tantũ secũdũ corpus, sit sub specieb⁹ panis: per cõcomitãtiam tamen totus est sub ijsdẽ. An uerò minorem gratiam habeant laici communicantes sub altera tantùm specie; quàm sacerdotes, qui cõmunicant sub vtraque, dicetur infra suo loco.

14 Quæritur 3. quando fuerit institutũ SS. Eucharistiæ sacramentum? Resp. secundũ omnes DD. quòd fuit institutum in ultima cęna immediatè ante passionẽ Christi, & hoc habetur Mat. 26. Lu. 22. in 1. epist. ad Cor. cap. 10. & in Con. Vienensi ita determinatum est: vt habetur clem. vni. cap. sicut; & ita fatetur vniuersalis Ecclesia in canone Missæ, in illis verbis: Qui pridie quã pro nostra, omniumque salute pateretur, accipiẽs panem &c.

Cur aũt Christus Dñs in vltima cœna, qũ vltimo ante passionẽ conuersat⁹ est cũ suis discipulis, voluerit instituere hoc sacramẽtũ, & non ante; ut ante instituerat Baptismũ; tres affert rationes,

15 easque pulchras D. Th. 3. p. q. 73. ar. 5. quarum prima est, quia statim post cœnam dictã Christus debebat, mediante sua passione, discedere a dilectis suis discipulis, & ab hoc mundo, quantum ad corporalẽ præsẽtiã; & quia delitiæ suæ erant esse cũ filijs hominum, simul uolebat remanere cum suis discipulis, & nobiscum vsque in finẽ mũdi ob immensũ suum erga nos amorem; igitur tunc debuit instituere sanctissimam Eucharistiam; ut si non in uisibili figura; in sacramentali saltem semper nobiscum esset.

2. Fides passionis Christi semper fuit necessaria ad salutẽ tàm illis, qui fuerũt ante ipsã passionẽ, quàm illis, qui fuerunt, & erunt post; omnes enim in sanguine Agni salui fiunt, & ideò sicut ante passionẽ Christi debuit esse aliquod sacramentũ, quod perfectè repræsentaret ipsam passionem, quod sacramentũ, fuit agnus paschalis, qui agnus paschalis secundũ suũ esse sacramentale aduenięte figurato, idest passione Christi, in vltima cœna cessare debebat; ita & in eadem cęna debebat institui aliud sacramentum, per quod eadem passio Christi repræsentaretur apud Christianos, & hoc fuit SS. Euchar. & hoc modo sicut agnus paschalis fuit signũ prognosticũ passionis Christi; ita & SS. Eucharistia nũc est signũ rememoratiuũ eiusdem passionis, nã agnus paschalis significabat rem futuram, idest passionem Christi, sed SS. Eucharistia nunc ostendit eandem rem, sed præteritam.

3. Debuit Euchar. institui ĩ ultima cęna tãquã maximũ pignus amoris Dei erga nos; & vt tale pign⁹ nos haberemus in maxima ueneratione; nam ea, quæ ultimo ab amicis in longinquas partes recessuris dicuntur, & fiunt, magis memoria tenẽ, & maiori veneratione coluntur, Cũ ergo Xps a suis discipulis discessurus esset ultimũ tãquã ꝑtiosissimũ reliquit nobis hoc sacram. Euchar., ut sũma ueneratione a nobis colereẽ: Et hinc patet quanta cũ deuotione sit adoranda, & sumenda SS. Eucharistia.

16 Quæritur 4. utrum Eucharistia conuenienter pluribus nominibus nominetur? Videtur enim debere nominari vnico tantum nomine; nam nomina debent respondere rebus; sed Eucharistia est tantùm unum sacramentum, vt dictum est su. in 2. quęsito: ergo debuit nominari vnico tantùm nomine.

Pro

Pro solutione huius quæsiti dicò, q vna,& eadem res,quæ habet plures pro prietates, potest nominari pluribus nominibus,prout & plures habet proprie tates, secundũ quas illi nomina plura imponuntur;maximè cũ nomina imponãtur rebus ad placitum hominum, secundum Philosophum lib. 1. Periarme nias;& alludunt sapientes, qui nomina imponunt rebus, ad aliquas proprietates rerũ,quibus nomina imponunt.

Atq; ex hoc Eucharistia, cùm plures habeat proprietates, plura & illi sũt indita nomina;aliquando enim dicitur sacrificium,hostia,& cœna;aliquando dicitur communio,seu synaxis,sacramentũ pacis,& vnitatis, & aliquando dicitur Eucharistia,& uiaticum;nã Eucharistia,vt ait D.Th.3.p.q.73.ar.4.Dom. Sot.in 4.d.8.q.v.ar.4., est signũ repræsentatiuũ passionis Christi,& signũ demonstratiuũ gratiæ, quã confert; & signũ prognosticũ gloriæ, quam per gratiã acquirimus: quatenus ergo Euchar. est signũ rememoratiuũ passionis Xp̃i dicitur sacrificiũ,quia in eo,maximè cũ conficitur in sacrificio Missæ, est perfecta repræsentatio passionis, in qua Xp̃s pro peccatis nostris fuit occisus, & sacrificatus: Dicitur ẽt hostia, quia in ea continetur Christus, qui tempore suæ passionis fuit uera hostia,idest agnus innocens, immaculatus pro peccatis nostris oblatus Deo patri;Dicitur etiã cęna,quia in vltima cęna immediatè ante Christi passionem fuit instituta.

Secundo Eucharistia,quatenus est signũ demonstratiuum, dicitur communio; quia sumentes tale sacramentũ cũ Christo communicant, sumunt enim cum ipso sacramento uerum corpus, & verum sanguinem Christi: vel dicitur communio,quia per Eucharistiam fideles sumunt gratiam,in qua inter se communicant; & tamquam membra Christo capiti vniũtur & pp eandẽ rationẽ dicit synaxis; nã synaxis græcè idẽ est, q communio latinè; Item propter eandem rationem dicitur sacramentum vnionis, & pacis: Atquè hinc Dom. Sot. in 4. sent.d.8.q. vnica. ar.4. inuehit contra fideles, qui inter se rixas fouent, ac lites, & controuersias, qui cum singulis annis, semel ad minimum, suscipiant sacramentum pacis; non tamen sint pacifici,& concordes; & propterea etiam Cat. Rom. admonet parochos,vt ex SS. Eucharistia (quæ est sacramentnm pacis) argumentum desumant in suis concionibus,quo arguãt fideles,qui rixas fouent.

Tertio Eucharistia, quatenus est signum prognosticum cælestis gloriæ, dicitur Eucharistia; idest bona gratia, cùm deducat nos ad regnum cœlorum, & ad uitam æternam, quæ est vera gratia;vnde ait D. Pau. ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna: & propter eandem rationem dicitur viaticum, quia nobis communit viam ad regnum celorum,& ideò, ait Cat. Rom. datur infirmis morituris, ut ad cælum securius euolare possint.

18 Quæritur ult.quibusnam figuris præfigurata fuerit SS. Eucharistia in Testamento veteri? Resp.quòd sicut SS. Eucharistia ꝑpter diuersas proprietates, diuersa habet nomina; ita & propter diuersa, q̃ in ea sunt, diuersimodè fuit præfigurata in Testamento ueteri; sed maximè primo in oblatione Melchisedech sacerdotis; qui solebat offerre panem,& uinum.

2. In omnibus sacrificijs, in quibus animalia mactabantur,& Deo sacrificabantur,& præcipuè in sacrificio expiationis,quod fiebat in Mense Septẽbris; vt uidere est Leui. 16.

3. Fuit præfigurata in manna, quod erat liquor quidam habens omnem saporem, & suauitatem.

4. Fuit prefigurata in agno paschali, q.,vt animal innocens, pro peccato populi decimaquarta luna Mensis Martij occidebat, & cũ pane azymo comedebat: & antiquit⁹ antequã popul⁹ Israel

de Aegipto educeretur, eius sanguinis madefiebant limina Hebræorum, vt eo signo populus Israel ab Angelo deuastante deffēderetur, & à seruitute Aegiptiaca liber educeretur ad terrā promissionis. Sunt & aliæ figuræ permultæ de SS. Eucharistia, vt uidere est apud Doctores; qui eas colligunt, sed dictæ quattuor fuerunt præcipuæ, & eas refert D. Th. 3. p. q. 73. art. vlt. & cur SS. Eucharistia fuerit pręfigurata dictis quattuor figuris, rationē affert. D. Th. ibidem; quæ est hæc, quod uidelicet in Eucharistia sunt tria, vt supra dictum est quęsito primo. Aliquid, quod est sacramentum tantùm, idest species panis, & uini; aliquid, quod est res, & sacramentum simul, idest Christus ipse; & aliquid, quod est res tantùm, idest gratia, quam confert. Ratione primi fuit præfigurata Eucharistia in oblatione Melchisedech, quia offerebat panem, & uinum. Ratione secundi fuit pręfigurata in sacrificijs, in quibus animalia mactabantur, quę ad uiuum repręsentabant Christum, qui in sua passione pro peccatis nostris sacrificari debebat, & contineri sub speciebus panis, & uini. Et ratione tertij fuit pręfigurata in mā na; quia sicut manna habebat omnem corporalem saporem; ita gratia, quam dat Eucharistia, habet omnem spiritualem saporem. Ratione uero omnium triū simul fuit pręfigurata Eucharistia in agno paschali, & ideo agnus paschalis dicitur a Doctoribus pręcipua figura Eucharistię; Ratione enim primi agnus paschalis significabat Eucharistiam, quia comedebatur pane azymo; quo nos utimur ad conficiendum Eucharistiam in nostra Ecclesia occidentali. Ratione secundi fuit pręfigurata in ipsomet agno paschali, primo quia sicut agnus occidebatur decimaquarta luna in mense Martij, ita Eucharistiæ sacramentum, ut postea dicetur, fuit institutum decimaquarta luna Mensis Martij. Secundo quia sicut agnus paschalis erat innocens, & immaculatus, & tamen occidebatur pro peccatis populi, ita & Christus, q est in SS. Eucharistia agnus innocens, & immaculatus fuit occisus pro peccatis nostris. Ratione tertij fuit pręfigurata Eucharistia in illo sanguine agni, quo madefiebant liminá Hebręorū, vt eo signo defenderētur ab Angelo deuastante, & educerentur in terram promissionis liberi a seruitute Aegiptiaca, ita per gratiam Eucharistię deffenduntur homines a dęmonibus deuastantibus, & liberati ab eorum seruitute ad patriam cælestem promissam educuntur.

CAPVT SECVNDVM.

De materia Sanctissimæ Eucharistiæ.

1 *Hæreticorum opiniones circa materiam SS. Eucharistiæ.*
2 *Statūitur uera materia huius sacramenti.*
3 *Cur panis, & uinum sint talis materia.*
4 *Cur non in carne institutum hoc sacramentum.*
5 *An in alterutra materia conficiatur sacramentum.*
6 *Potestas Papæ circa materiam Eucharistiæ.*
7 *Cur vinum sit materia talis sacramenti.*
8 *An in consecratione requiratur præsentia materiæ, & qualis.*
9 *Aliquot ressolutio circa consecrationem huius sacramenti quantum ex parte materiæ.*
10 *Qualis quantitas panis, & uini possit consecrari.*
11 *Qualitas panis huius sacramenti statuitur.*
12 *Panis ex leguminib⁹, hordeo, siligine, tritico mixto, compto, &c. an sit sufficiens materia huius sacramenti.*
13 *Panis confectus ex aqua non naturali utrum sit materia sufficiens.*

14 Pa-

1 IN hoc capite primo quaeritur quaenam sit materia sacramenti Eucharistiae? Omissis tribus erroribus nonnullorum Haereticoram malè opinantiũ, circa materiam Eucharistiae, quos refert D. Th. 3. p. q. 74. ar. 1.

Quorum primus est eorum, qui dicebant materiam Eucharistiae debere esse panem, & caseum, quia primi fratres Caim, & Abel offerebāt Deo, ille de pinguedine ouium, & iste de fructibus terrae, & huius erroris meminit D. Aug. in lib. Haeresum cap. 28.

Secundus error fuit eorũ, qui dicebāt materiam Eucharistiae debere esse sanguinem extractum ex corpore infantis, mixtum cum farina; accipiebant enim illi puerum, & per totum corpus minutissimis punctionum vulneribus eum afficiebant; & ita ex toto eius corpore sanguinem colligebant, quem cum farina miscebant, facientes panem, & in eo sacrificium putabant se conficere, quia eo modo perfectius, & ad uiuum fiebat repraesentatio sanguinis Christi innocētis effusi ex toto eius corpore; & huius etiam erroris meminit D. Aug. lib. Haeresum. cap. 26.

Tertius error fuit eorum, qui dixerũt materiam Eucharistiae debere esse aquam, propter sobrietatem, existimabant enim isti non decere consecrare in uino, quia uinum inebriare potest; & huius erroris meminit D. Cyprian. ut refertur de celebratione Missae, capitulo sicut.

2 Omissis, in quam, his erroribus; ad quaesitum respondeo, panem, & uinum esse ueram, & necessariam Eucharistiae materiam, & hoc est de fide; nam Mat. 26. habetur quòd Christus accepit panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens, Hoc est corpus meum, & postea consecrato calice dixit, Non bibam amodò de hoc genimine uitis, vsque ad diem illum, quo illud bibam in regno Patris mei; Et quidem quòd panis, & uinum sint uera, & necessaria materia Eucharistiae, habetur in pene infinitis Pontificum decretis, & sacris Concilijs, & ita tenet, & semper tenuit sancta Mater Ecclesia.

3 Cur autem Christus uoluerit panē, & uinum esse materiam Eucharistiae, afferuntur rationes à D. Th. 3. p. q. 74. ar. 1. quarum una est, quia cum hoc sacramentum sit institutum ad alendam, & reficiendam animam; talis debuit esse eius materia, quae esset habilis ad talem effectum significandum, haec uerò est panis, & uinum, quibus homo praecipuè utitur ad alendum corpus; nam sicut Baptismus, quia institutus fuit ad abluendam animam a peccato originali, habuit pro materia aquam, quia est idonea ad abluendas sordes corporales: ita Sanctissima Eucharistia, quia fuit instituta ad alendam animam cibo spirituali, eius materia debuit esse panis, & uinum, quibus homo communiter utitur ad refectionem corporalem.

Secunda ratio est quia effectus Eucharistiae, vt supradictum est, est communio, idest unio multorũm fidelium per gratiam inter se; Multi enim ut ait D. Paul. in 1. ad Cor. 10. vnum corpus sumus qui de uno pane & de uno calice participamus. & hęc unio maxime significatur per panem, cùm efficiatur ex multis granis, & per uinum, quod pariter efficitur ex multis granis.

Tertia ratio est, quia SS. Eucharisti vt dictum est, debuit esse memoria quod-

quoddam passionis Christi, in qua sanguis Christi fuit separatus à corpore:& ideò materia Eucharistiæ debuerunt esse duæ res inuicem separatæ: Vnde in forma consecrationis panis fit mentio tantùm corporis Christi, & in forma consecrationis vini fit mentio tantùm sanguinis Christi, ad significandum quòd sicut panis, & uinum sunt res separatæ, & per diuersas consecrationes consecrantur, ita & in passione Christi corpus, & sanguis eius fuerunt inuicem separata.

4 Sed dicet quis, primo animalia, quæ in Testamento veteri occidebantur, & sacrificabantur, magis ad uiuum significabant passionem Christi: quã oblatio Melchisedech, quæ fiebat ex pane, & uino: ergo Eucharistia, quæ est memoriale passionis Christi, potius debuit habere pro materia carnes animaliũ, quàm panem, & uinum. Ad hoc resp. D.Th. ar.cit.ad p. arg. quòd licet carnes animalium uideantur magis idoneæ ad significandam passionem Christi, non sunt tamen ita idoneæ ad usum sacramentalem, sicuti panis, & uinum: Ad hanc responsionem addit Sot.in 4.sent. d.9.q.p.ar.1. quòd si Christus voluisset instituere carnes materiam sacramenti Eucharistiæ, vel instituisset suas in forma uisibili, vel alicuius animalis; non debuit instituere suas in forma uisibili, quia horribile est comedere carnes humanas;& propterea Io.6.cum Christus dixit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & cætera; dixerunt audientes, Durus est hic sermo, & cæt. Neque debuit Christus instituere carnes alicuius animalis pro materia Eucharistiæ; nam si eas instituisset, vel instituisset crudas, vel coctas; Si crudas, non fuissent idoneæ ad hominum refectionem; Si coctas, non ita decenter potuissent tractari, & conseruari; sicuti panis, & vinum: Adde tu quòd non ita significaretur effectus Eucharistiæ, idest alimentum spirituale animę nostræ; & vnio fidelium per gratiam; sicuti significatur per panem, & vinum.

Dicet quis, sacramentum Eucharistiæ est vbique conficiendum; sed ubiq; nõ reperitur panis, & vinum; nam sũt multę regiones, in quibus hæc, vel alterum eorum non nascitur. Ad hoc respond.D.Th.ar.1.cit.& Sot.pariter ar. 1. cit.ad 2. arg. quòd Eucharistia non est ita necessaria, vt Baptismus, & ideò nihil refert si materia Euchar.non reperiatur vbique; maximè cum panis, & vinum facile vbique possint haberi per vecturam quantum satis est ad Eucharistiam conficiendam.

5 3. Dicet quis potestne sacerdos propter aliquem vrgentem casum, saltem in illis regionibus, vbi altera tantum materia habetur, consecrare panem sine vino? Ad hoc resp. D. Th. & Sot. ar.cit. quod nulla ratio, & nullus casus est, propter quem debeat sacerdos alteram tantùm consecrare materiam, quia esset maximum sacrilegium; cùm sacramentũ remaneret imperfectum: Idem dicit Innoc. 3. lib. 4. de officio Missæ cap.13. Si tamen aliquis tentaret aut consecrare panem sine vino; aut vinum sine pane, consecratio teneret, vt dicunt Innoc. 3. & Sot. loc. cit.& alij, quia consecratio panis non pendet a consecratione vini, nec consecratio vini pendet à consecratione panis; absurdum enim esset dicere si quis sacerdos post consecrationem panis statim moreretur, illum panẽ non esse consecratum, etiamsi nullus esset, qui posset consecrare vinum.

6 4. Dicet quis vtrum Papa possit dispensare vt in illis regionibus, in quibus est altera tantùm materia, ea consecretur. Hãc quæstionem mouet Innoc. 3. loc. cit., sed eam non resoluit. Item & Sot. loc. cit. sed dicit se non audere aliquid in hoc determinare. Armilla in summ. verb. Eucharistia, num. 10. de hoc etiam dubitat. Angel. in umm. verb. Eucharistia primo

nu.

nu. 20. dicit Papam posse dispensare. Idem dicit Tabien. Ver. Eucharistia, §. 20. Syluestr. uerò negat in summ. ver. Eucharistia, primo §. 6. Forsan probabilius est quòd possit ne aliqua regio integra remaneat orbata tanto sacraméto & sacrificio, sed hoc determinare potius ad ipsum Sum. Pontificē pertinet.

7 Vltimò dicet quis, multi sunt, qui nō possunt vinum gustare, ut infirmi, ergo uinum non debuit esse materia Eucharistiæ. Ad hoc resp. D. Th. ar. cit. ad 3. quòd paucum vinum, quantum sufficit ad Eucharistiam, non potest nocere infirmis: Deinde laicis non datur Eucharistia sub specie uini, sicut nec sacerdotibus, qui non celebrant, & si aliqui omnino abhorrent vinum, non debent institui sacerdotes, & si iam sunt sacerdotes sunt suspendendi ab officio Missæ, nec ulla ratione debent celebrare.

8 Quæritur 2. utrum ad consecrationem necessario requiratur præsentia materiæ? Seu vtrum panis, & uinum, vt consecrentur, debeant necessariò esse coram sacerdote? Resp. affirmatiuè cum D. Th. in 4. sent. d. 11. q. 2. ar. 1. questiunc. 3. & Soto in 4. d. 9. q. 1. ar. 2. primò quia si materia non esset præsens, quando sacerdos consecrat, falsa esset forma propter pronomen demonstratiuum (Hoc) quod demonstrat materiam presentem. Secundò, quia nunquam Ecclesia habuit usum consecrandi materiam absentem. Tertio, quia sequeretur, quòd sacerdos existens Mediolani posset consecrare hostiam, quam certa reuelatione sciret esse Romę.

Sed hic sunt dubitationes; prima dubitatio est, quęnam præsentia materię requiratur: ut possit in ea fieri consecratio? Resp. ex Sot. l. cit. quòd requiritur talis pręsentia, ratione cuius, secundum communem loquendi modum, ipsa materia possit demonstrari per pronomen (Hoc) quia alioquin falsa esset forma.

Atque hinc fit 1. ut sacerdos nō possit consecrare hostiam, quam habet a tergo, nisi forte eam manu a tergo posita tangeret vt demonstraret.

Secundò, quòd sacerdos nō possit cōsecrare hostiam, quę est post parietē; etiāsi paries tatùm sit medius inter hostiam, & sacerdotē: Et hęc dicit Sot. loco cit. & Victor. in sum. nu. 57. licet Ioan. Maior. in 4. d. 11. q. 3. contrarium dixerit sine ratione.

Tertiò inde fit quòd Sacerdos multas hostias consecrans etiam consecret illas, quæ sunt sub alijs; quia licet non videantur, sunt tamen ita pręsentes, vt possint demōstrari per ꝓnomē (Hoc.)

Quarto inde fit quòd sacerdos potest consecrare hostias, vel uinū, quod est in calice etiam aperto; quia materia, quæ est in calice aperto, est ita præsens, ut possit demonstrari per pronomen (Hoc.) & quod dicitur de calice, intelligendū est etiā de pyxide cooperta.

2. Dubitatio utrum quis ex multis, puta duodecim hostijs, possit aliquas tā tùm consecrare, existentibus omnibus præsentibus? Resp. secundū omnes DD. quòd si sacerdos determinat quas uelit cōsecrare; consecratio tenet; & illę hostiæ tantū sunt consecratæ, quas determinauit consecrare secundum suam intentionem: Si uerò sacerdos non determinat quas velit consecrare, nullæ sūt consecratę; quia non est maior ratio cur una, quàm alia sit consecrata: Simili ratione si sacerdos ex integra hostia intenderet tantùm mediam consecrare; si determinat quam partem uelit cōsecrare, illa erit consecrata, & alia pars non erit consecrata: si uerò non determinat, neutra pars est consecrata; quia non est maior ratio, cur una pars sit cōsecrata, & non alia.

3. Dubitatio utrum sacerdos possit consecrare minimam partem hostiæ? Resp. cum D. Th. q. cit. ar. 2. quòd sic; modò illa minima pars hostiæ habeat speciem panis, siue sit separata, siue

con-

continua, ut patet de fragmentis.

10 4. Dubitatio utrum sacerdos possit consecrare maximam quantitatem panis, & uini? Respond. quod sic, modo possit demõstrari per pronomen (Hoc) & probatur, quia si darentur ducentæ hostię coram sacerdote, illę possent consecrari, & etiam si addãtur decem, nec potest determinari alia materia, cui si addantur, & aliæ hostię non possent consecrari; modò possint demonstrari per pronomen (Hoc) ita tenent Alex. de Ales. Scot. Duran. Palud. Riccar. Sot. D. Th. & omnes Sumistę; excepta summa Angelica, in qua sine probabili ratione habetur contrariũ; & ideò in hoc fere ab omnibus refellitur; Verum quidem est quòd sacerdos, qui sine iusta caussa quamplurimum panis, uel uini consecraret, mortalissimè peccaret; vt si quis consecraret omnes panes uenales, qui sunt in foro.

Quòd si dicas, Christus dedit sacerdotibus potestatem consecrandi ad ædificandum, & non ad irrisionem; iuxta illud 1. ad Cor. cap. 10. secundum potestatem, quam dedit uobis Deus in ędificationem, & non in destructionem: Sed si sacerdos consecraret omnes panes uenales, qui sunt in foro, vel totum uinum, quod est in aliqua cella uinaria; exponeret irrisioni catholicam religionem, & fidem: ergo non est credendũ, quod Christus dederit potestatem sacerdotibus consecrandi omnem panẽ, uel uinum, quod corã ipsis esse potest. Resp. cum D. Th. 3. p. q. supracit. quòd in consecratione est effectus proprius sacramenti, & est finis sacerdotis conficientis sacramentutum; & ista duo non habent talem inter se connexionem, vt unum ab alio dependeat: Quare inde fit quòd si sacerdos indebitè, uel propter malum finem consecrat, peccet, sacramentum tamen efficiatur, vt si Lutherani sacerdotes verè ordinati consecrarent hostiam, vt eam deinde pedibus conculcarent; effectus consecrationis teneret, licet et peruersus esset finis cõsecrãtium: Simili modo si quis propter lucrum baptizaret, Baptismus teneret, licet intentio baptizantis esset peruersa: Ita si quis maximam quantitatem panis consecraret pessimè peccaret; consecratio tamen teneret: Et si casus daretur quòd quis consecraret maximam quantitatem panis, vel uini deberet maximas pœnas dare pro ratione culpę: sed illę species essent omni veneratione custodiendę vsquequo sumerentur, uel aliter cessarent.

11 Quęritur tertiò qualis panis sit idonea & necessaria materia pro sacramẽto Eucharistię, idest utrum tantùm panis triticeus sit materia Eucharistię; an uerò etiam siligineus, aut miliaceus, uel ex farre, spelta, scandia, hordeo, orixa, auena, vel similibus?

In hoc quęsito uarię sunt DD. opiniones, & pręcipuè Casistarum; & fere ex Casistis quot capita tot sententię, quę tamen ad tres possunt reduci.

Aliqui enim dixerunt quòd in omni pane potest fieri consecratio; mòdo sit talis, qui possit esse ad usum hominum; & cum istis tenet Caiet. 3. p. q. 74. ar. 3. & ratio eius est, quia omnes panes, qui faciunt ad usum hominum, sunt eiusdẽ speciei, licet fiant ex granis diuersę speciei; neque hoc esse mirum, ait Caiet., quoniam ex diuersissimis rerum speciebus in animalibus, per calorem naturalem, fit sanguis eiusdém naturę, & speciei; vt si homo comedit panes, olera, pisces, poma, carnes, oua, caseum, &c. tamen ex istis omnibus, quę sunt diuersissimę res, per calorem naturalem, fieret sanguis in uenis eiusdẽ speciei: ita ex tritico, ex millio, ex siligine, & alijs granis nominatis per calorem furni, vel clibani potest fieri panis eiusdem speciei: Imò inquit Caiet. mulus eiusdem speciei generatur ex equa, & asino; qui generatur ex asina, & equo.

Sed Dom. Sot. in 4. sent. d. 9. q. 1. ar. 3. dicit

3. dicit qd tribuere eandē virtutē calori furni, aut clibani; quæ tribuitur calori naturali in animalibus est philosophia nimis uiolenta.

Alij dixerunt quòd tantum panis frumenti est idonea, & necessaria materia sanctiss. Eucharistiæ, sed quoniam frumentum est genus quoddam, quod continet sub se omnes species granorū, quæ oriuntur ex arista, seu spica; dicūt isti quòd in pane ex spelta, ex siligine, ex farre, & ex tritico potest fieri consecratio; & uerè Isidor. li. 17. ethimolog. cap. 3. dicit, Omnia grana, quæ oriuntur ex spica esse frumentum; probant autem suam opinionem illi, qui tenent hanc sententiam, inter quos est Alber. Magn. in 4. sent. d. 11. q. 2. ex eo, quod dicitur Io. 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c., vbi D. August. dicit quòd Christus se comparauit grano frumēti, & non alijs granis; licet sint multa alia grana; quoniam ex grano frumenti debebat fieri materia consecrationis.

Alij dixerunt quòd tantum panis ex tritico est idonea, & necessaria materia ad consecrationem; ita D. Tho. 3. p. q. 74. art. tertio. Scot. Riccar. Duran. in 4. sent. d. 11. Alex. de Ales. 4. p. suæ sum. q. 32. membro 2. & licet dicti DD. uideantur dicere materiam necessariam Eucharistiæ esse panem ex frumento; postea tamen se explicant intelligentes nomine frumenti tantùm triticum.

Ego in hac opinionum varietate dico tantùm panem ex tritico esse necessariam materiam Eucharistiæ, primo, quia hæc est communior DD. opinio. Secundò, & multò magis, quia ita determinauit Con. Flor. in his verbis, Tertium sacramentum est sanctissima Eucharistia, cuius materia est panis triticeus, & uinum uitis. Tertio, quia expressis verbis dicit Cat. Rom. nullam materiam esse aptam ad sacramentum Eucharistiæ, nisi panem triticeum, loquendo de pane. Quartò, quoniā sicuti cùm dicimus aquam esse materiam Baptismi, intelligimus naturalē; ita cùm legimus Christum accepisse panem, absolutè, debemus intelligere eum, qui est in communiori vsu hominum; & talis est panis triticeus; nā panes alterius speciei sunt introducti in defectum panis triticei. Vltimo quoniam panis triticeus magis significat effectum SS. Eucharistiæ, qui est alimentum, & refectio, cùm magis alat, & reficiat homines, quàm alij panes.

12 Ex ijs infertur primo, quòd panis, q conficitur ex farina leguminum, puta ex faba, lente, cicere, & id genus alijs; non est idonea materia ad Eucharistiā, & multo minus erit apta materia panis, si fiat ex commassatis fructibus, puta nucibus, amygdalis, & castaneis, quia eorum farina non est vere farina; sicuti oleum amigdalarum non est verè oleum, vt dictum est in parte antecedenti, & aqua rosacea non est verè aqua, vt dictum est in prima parte huius Tractatus.

2. Infertur quòd panis ex hordeo nō est uerè materia Eucharistiæ, ut etiam tenuit Caiet. loco cit. quoniam, vt ipse ait, hordeum est pabulum iumentorum, similiter neque ex milio potest fieri panis idoneus ad Eucharistiam, quia milium non est triticum, imò neque species frumenti, vt patet ex eius figura, & alijs accidentibus; & quia nō oritur ex spica.

Vltimo infertur quòd ex farre, spelta, & scandia non potest fieri panis idoneus ad Eucharistiam; licet ex Summistis uarij uaria dicant de his.

Sed maxima dubitatio est de pane cōfecto ex siligine, an sit aptus ad eucharistiam? D. Th. in 3. p. q. 74. ar. 3. affirmat; quoniam triticum, & siligo non differunt specie, cuius signum est quòd ex granis tritici in malis terris seminati oritur siligo, & idem censent omnes

Casistæ, & idem ego credo dicendum esse in speculatiua;sed in praxi, cùm sit res aliquantulum dubia, quia non apparet quòd siligo sit triticum; non auderé infirmos, vel alios communicare cum hostijs confectis ex siligine consecratis,& multò minus auderem eas consecrare;si haberentur aliæ ex tritico, vel possent haberi, & si sacerdos tentasset eas consecrare,consulerem ut eas sumeret post sumptionem sacramenti in sequenti Missa, postquàm factus est certior quod hostiæ sint ex siligine; adorando eas cum conditione idest si potuerint consecrari,vel si uerè sunt consecratæ.

Sed dicet aliquis primo ferè nunquã datur triticum, in quo non sint mixta grana alterius speciei,nisi spontè seccernatur: ergo & in pane cóf ecto ex alijs granis potest fieri consecratio? Resp. quòd mixtura alterius grani modica nõ impedit quin possit in pane ex tritico consecrari,quia paucum a plurimo absorbetur: Secus esset si tantùm alterius speciei,vel ferè tantum commisceretur cum tritico,quantum est triticum;nam ille panis ex tritico, & alijs granis confectus non esset simpliciter triticeus.

2. Dicet quis vtrum in pane ex tritico corrupto possit fieri consecratio? Respond. quòd non secundnm omnes DD. secus est si panis tantum est in uia ad corruptionem, licet peccaret sacerdos consecrando in eo scienter; sicut peccaret consecrando in vino acido,cũ tamen remaneret sacramentum; si tamen vinum non esset ita acidum, vt esset factum acetum:& ideò dixit D. Th. ar.supràcit.quòd in amydo non potest fieri consecratio,quia ut ipse ait est triticum corruptum.

3. Dicet quis utrũ in lágano,vel pulte possit fieri consecratio? Resp.secundum omnes DD.quòd non,quia, ut pasta fiat idonea materia ad sacram. Eucharistiæ,ut ait Caiet.& Sot.locis cit., debet coqui in furno, uel clibano, vel sub cineribus; non autem debet esse frixa in sartagine, aut lixata in aqua.

13 Vltimo, Dicet quis vtrum panis, vt sit idonea materia ad sacramentum Eucharistiæ,debeat confici cum aqua naturali, an verò sufficeret si fieret cum aqua rosacea,vel alterius speciei? Respond. cum D. Th. 3. p. q. 74. ar. 7. ad 3. quòd necessariò, vt panis sit idonea materia ad conficiendum corpus Christi, requiritur quod sit confectus cum aqua naturali. Idem tenet Scot. Riccar. Durand., & alij DD. præter Caiet. qui in comment. 7. ar. cit. dubitat an hoc sit uerum, sed dicendum est cum D.Thoma,& alijs.

14 4. Quęritur an panis debeat esse azymus,an fermentatus,ut sit materia idonea ad sacramentum Eucharistię? Ad hoc dico primo cum communi DD.opinione, quòd quantum ad necessitatem sacramenti, parum refert an panis sit azymus, an fermentatus, nam in vtroque potest fieri consecratio modò sit ex tritico:alioquin Ecclesia non potuisset concedere Græcis, vt consecrarent in fermentato,si necessariò panis ad Eucharistiam deberet esse azymus.

Dico 2. quòd vnusquisque sacerdos debet se conformare suæ Ecclesiæ: Vnde cùm in Ecclesia Græca soleat fieri consecratio in fermentato,debet sacerdos Græcus in sua Ecclesia consecrare in fermentato, & non in azymo: & cũ in Ecclesia latina soleat fieri cõsecratio in azymo,debet sacerdos latinus in Ecclesia latina consecrare in azymo;sicuti supra in prima parte de Baptismo diximus, quòd vnusquisque sacerdos debet se conformare suæ Ecclesiæ, baptizando per immersionem si sua Ecclesia baptizat per immersionem; vel per infusionem,si sua Ecclesia baptizat per infusionem;& ratio huius est, quia nõ conceditur priuato sacerdoti, vt possit mutare ordinem suæ Ecclesiæ.

Dico

15. Dico 3. quòd Ecclesia Græca consecrat in fermentato ad significandum quòd verbum diuinum induit carnem, sicut fermentũ miscetur farinæ: Ecclesia uerò latina consecrat in azymo, vt magis se conformet actioni Christi, qui consecrauit in azymo, nam dicitur Mat.26. Prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes, vbi uis paremus tibi comedere Pascha? & Luc.22. Venit dies azymorum &c. & Marc. 17. idem dicitur: In diebus vero azymorũ omnino prohibitum erat Iudæis in domibus suis tenere fermentatum, vt legitur Exodi 12. Atque ex his elicitur quòd rationabitior est vsus consecrandi in Ecclesia latina, quia magis se conformat actioni Christi.

Sed dicet quis Christus non videtur consecrasse in azymo, quia D. Io. cap. 13. dicit ante diem festum Paschę Christum consecrasse, & dies festus Paschæ erat primus azymorum: præceperat enim Deus populo Hebręo ut videre est Exod. 12. vt in primo mense anni, qui erat mensis Martij decimaquarta luna inciperent comedere panes azymos, & ita sequerentur per septẽ dies, & quòd in primo die eorum septem celebrarẽt festum Paschæ. Ad hoc resp. aliqui primò quod hæbrei incipiebant diem naturalem, qui est uiginti quatuor horarum, à principio noctis, & celebrabant suos dies festos a vespera vsque ad vesperam: Latini verò incipiunt suum diem naturalem a media nocte, & durat vsque ad mediam noctem sequentẽ: Syrij a principio diei, & durat vsque ad principiũ diei sequentis: Et Aegiptij à meridie & durat vsque ad sequentem meridiem: Reliqui Euangelistæ loquuti sunt more Hebraico; sed D. Ioannes loquutus est more latino, vel syrico.

Alij 2. dixerunt quòd D. Ioannes per diem festum paschæ non intellexit primam diem azymorum, in quo comedebatur pascha idest agnus, seu celebrababatur dies paschæ; sed intellexit diẽ secundam azymorum, quæ in illo anno erat dies Sabbati, qui dies Sabbati per antonomasiam dicebatur dies festus Paschatis, quia tota dies azymorum dicebatur Pascha, & Sabbatum, quod erat in illa hebdomada erat solemnissimum.

Alij 3. & melius dixerunt benè dixisse Ioannem Ante diem festum Paschæ, quia in sequenti nocte incipiebat prima hora eiusdem noctis diei Paschæ: Alij verò Euangelistæ dixerunt Prima die azymorum Christum iussisse Apostolis vt pararent pascha quia in vespere illius diei incipiebat dies azymorum.

16 5. Quæritur vtrum vinum, quod est altera materia Eucharistiæ, necessariò debeat esse vinum vitis? Resp. quòd debet esse vinum vitis, primo quia Christus, Mat. 26. consecrato calice dixit, Non bibam amodò de hoc genimine vitis &c. Secundo, quia cùm absolutè dicimus vinum, intelligimus vitis; nam alia vina, vt pomorum, & malogranatorum, sunt æquiuocè uina, & non verè vina; vt diximus de oleo nucum, quod non est verum oleum, & de aqua rosacea, quæ non est uerè aqua. Tertio, quia vinum vitis magis significat effectum Eucharistiæ, nam magis alit; quàm alia uina, & magis lætificat cor hominis.

17 Atque ex his infertur primo quòd in agresta non potest fieri consecratio; quia agresta non est vinum, sed est in via ad uinum.

Infertur secundò, quòd in musto, quando est in uuis, non potest fieri consecratio, quia licet sit vinum; non tamen est per modum potabilis, & quo possit significare potum, sed cibum, vua enim non bibitur, sed comeditur.

Infertur tertiò, q ex musto expresso ex uuis potest fieri consecratio, quia est vinum, licet non purgatum: non debet tamen sacerdos consecrare in uino re-

center expresso ex vuis, nisi urgente necessitate; & tūc deberet pri' interponi pannus inter vuā, & calicem, vt humores grossiores ex vua expressa remaneant in panno.

Infertur quartò, quod in aceto nō potest fieri consecratio: secus si vinū esset tantùm acidum, & nondum factum acetum; licet peccaret Sacerdos consecrando in acido, tū quia vinum acidum est in via ad corruptionē; tum quia est periculum ne fit acetū; Et si in sumptione dubitaret Sacerdos uinū, quod consecrauit esse acetum, (quia est multùm acidum) deberet, si posset habere aliud vinū, tunc in alio consecrare, & post illius sumptionē sumere etiā illud, quod dubitat esse acetum.

Inferē quintò, quòd in lora, seu vincta non potest fieri consecratio, si multùm aquæ inest, quia si vino apponatur multa aqua, maximè si est debile, desinit esse vinū; sed est tertium quoddā factū ex aqua & vino, quod dicitur lora.

Infertur sextò, quòd in vino congelato non debet fieri consecratio, licet si fiat, vera sit cōsecratio; quia est verè vinum; ita tenet Sot. in 4. d. 9. q. 1. ar. 5. & Syl. in sum. ver. Euchar. 2. §. vlt. & maximum argumentum est, quia quando cōgelatur vinū iam consecratum, censēt DD. quòd sub illis speciebus vini congelati remaneat Christus, quia remanent species vini.

18 6. Quæritur vtrum ad celebrandum sacramentum Eucharistiæ necessarium sit, vt aqua permisceatur vino? Resp. quod de hoc fuerunt quatuor opiniones; Aliqui enim dixerunt vinum non esse permiscendum aqua in consecratione sacramenti Eucharistiæ; & hi fuerunt Armeni, vt dicit Sot. in 4. sent. d. 9. q. 1. ar. 6.

Aliqui dixerunt aquam esse vino miscendam in sacrificio Missæ, tantùm de honestate; & ita tenet gl. cap. Cū omne, de consec. d. 2.

Aliqui dixerunt esse de necessitate sacramēti Eucharistiæ, vt aqua permisceatur vino; & ita tenuit Armacanus, vt ait Sot. l. citato.

Alij dixerunt esse tantùm de necessitate præcepti, & ita tenent communiter DD. Sot. lo. cit. D. Bonau. Riccar. Scot. & alij schol. in 4. sent. d. 11. & ita habetur cap. Cùm Marthæ De celeb. Missæ ex Innoc. Tertio.

Et ex hoc patet quòd si sacerdos celebraret sine aqua, consecraret quidem, sed peccaret mortaliter, si ex negligentia magna, vel data opera non imponeret aquam vino; secus si id omitteret ex leui negligentia, vt ait Syluest. in sum. ver. Eucharistia primo §. 4. prope finē; tunc enim peccaret tantùm venialiter, inquit Syluester ibidem.

Sed dicet quis si sacramentum Eucharistiæ potest fieri sine aqua, quare ergo adhibetur aqua? Resp. quòd hoc fit triplici de caussa; primo quia creditur quòd Christus, quando consecrauit, & instituit sacramentum Eucharistiæ, imposuerit aquam vino ob sobrietatem, & secundum morem illius regionis, in qua erat, quando instituit dictū sacramentum, & iuxta illud Prouer. 9. Bibite uinum quod miscui vobis. Secundo quia sacramentum Eucharistię, vt dictum est supra in cap. 1. est repręsentatiuum passionis Christi, ex cuius latere exiuit sanguis, & aqua pariter; vnde habetur quòd quando in Missa sacerdos imponit vinum, & aquam in calice, profert hęc uerba, De latere Christi exiuit sanguis, & aqua pariter. Tertio ad significandam vnionem populi Christiani cum Christo capite, quæ est effectus Eucharistię, in aqua enim significatur populus Christianus, in uino verò sanguis Christi, & hoc habetur cap. Cum Marthæ citato.

7. Quæritur vtrum multum aquę debeat imponi vino in consecratione? 19 Respond. aliqui ex Innoc. 3. c. Cum Marthæ supra cit. quòd aqua, quę miscetur vino ante consecrationem, virtute con-

cõsecrationis cõuertitur in eam aquã, quæ fluxit de latere Christi; sicut vinũ conuertitur seu transubstantiatur in sã guinem. Sed hoc ait D.Th. 3.p. q. 74. & Innoc. ipse cap. cit., stare nõ potest, primo quia cùm consecramus, tantùm facimus mentionem sanguinis, & non aquæ. Secundo quia alioquin deberet cõsecrari vinum seorsim ab aqua: Quare Innoc. & D. Th. & alij Doctores dicunt, quòd aqua, quæ imponitur vino ante consecrationem, conuertitur in vinum, & vinum deinde transubstantiatur in sanguinem Christi, Atque ex hoc dicendum est ad quæsitum quòd modica aqua est permiscenda vino ante con secrationẽ, ut possit conuerti in vinũ; maximè si uinum est debile, ut in regio nibus nostris.

8 Quæritur utrum sufficiat ad sacramentum Eucharistiæ rectè conficiendum ut aqua misceatur uino in dolio, vel in amphora? Resp. ex Sot. l. cit. Armil. in sum. ver. Eucharistia. §. 11. & omnibus alijs DD. maximè D. Th. 3. p. q. 74. art. vlt. in resp. ad vlt. arg. & D. Bonau. in 4. d. 11. quòd non est immiscenda aqua vino in amphora, vel dolio, sed in calice: & Doctores ordinis Prædicatorum ut Sot. lo. cit. & Victor. in sum. dicunt optimum consiliũ esse immiscere aquam vino in calice ante principium Missæ, vt per maius tem poris spacium possit fieri conuersio aquæ in vinum, & hoc dicunt fieri in suo ordine: sed ego dico cum communiori usu sacerdotum, quòd aqua modica est miscenda vino in ipsa Missa ante consecrationem tempore oblationis, quia cũ in ipsa Missa fiat repræsentatio passionis Christi, & in ipsa debet fieri hæc mixtio, ut repręsentetur quòd tempore passionis Christi de latere ipsius exiuit sanguis, & aqua. Debet autem talis aqua esse naturalis, ut ait D. Th. lo. cit. quia aqua, quæ fluxit de latere Christi; fuit naturalis: ad significandum quòd corpus Christi fuit verè compositum ex quatuor elementis, sicut fluxit sanguis ad significandum quod fuit compositum ex quatuor humoribus: Et si quis scienter imponeret aquam rosaceam, uel aliã non naturalem, peccaret mortaliter consecraret tamen.

CAPVT TERTIVM.

De forma consecrationis Sanctissimæ Eucharistiæ.

1 *Quæ sit forma consecrationis panis, & cur talis.*
2 *Pronomen, Hoc, quid importet.*
3 *Forma consecrationis vini.*
4 *An omnia verba formæ sint necessaria.*
5 *Qua forma usus sit Christus, vbi uaria Doctorum opiniones afferuntur.*

IN hoc capite primo, quærítur quęnam sit forma consecrationis panis. Scot. in 4. sent. d. 8. vt etiam refert Armil. ver. Eucharista nu. 13. dicit non esse nobis notum, quænam verba in canone Missæ sint forma consecrationis panis: Sed reliqui Doctores dicunt formam consecrationis panis esse hęc uerba, Hoc est enim corpus meum: Quę verba, vt ait Conc. Flor. à Sacerdote proferuntur in persona Christi, & quę verba omnia sunt necessaria ad cõsecrandum panem, necessitate sacramẽti: pręter dictionem (enim) quę tantùm est necessaria necessitate pręcepti, vt dicunt Doctores: Vnde si quis sponte eam omitteret peccaret quidẽ mortaliter; sed consecratio teneret.

Sed dicet quis, quare quando Sacerdos consecrat, non dicit Ego consecro: sicut quando baptizat dicit Ego baptizo, & quando confirmat, dicit Ego cõfirmo? Resp. ex D. Th. 3. p. q. 78. ar. 1. quia quando sacerdos baptizat: aut confirmat loquitur in persona propria: quando verò consecrat loquitur in persona

sona Christi.

Rursus dicet quis per formam consecrationis substantia panis transubstantiatur in corpus Christi: ergo potius sacerdos deberet dicere in psona Christi, Hoc fit corpus meum, & non Hoc est corpus meum. Resp. cum D. Th. 3. p. q. 78. ar. 2. quòd in ijs, quę fiunt in instanti, fieri est factum esse; & quia transubstantiatio panis in corpus Christi fit in instanti, ideò dicitur, Hoc est corpus meum; & non, Hoc fit corpus meum.

Quęritur quid significet, seu demonstret pronomen (Hoc) in forma consecrationis panis? Aliqui dixerunt quòd significat corp' Christi; Aliqui dixerũt quod significat substantiam panis: Et aliqui dixerunt quòd indeterminatè significat id, quod est sub speciebus panis. Primum non potest esse, quia esset prędicatio identica, idest corpus meũ est corpus meum. Secũdum non potest esse, quia substantia panis non est corpus Christi. Restat ergo quòd sit tertiũ, & ita tenet D. Th. q. citata.

Quod si dicas id, quod est sub speciebus panis, & vini, quãdo profertur pronomen (Hoc) est substantia panis: ergo falsũ est ꝙ sit corpus Xpi. Res. quòd pronomen (Hoc) in forma consecrationis SS. Euchar., habet suam significationem tantùm quando prolata est tota forma, & non quãdo ipsum profertur: sicuti quando quis dicit, Nunc taceo, dictio (taceo) non habet suam significationem quando ꝑfertur; sed postquàm prolata est: non enim tacet qui loquitur, & qui dicit taceo, loquitur dùm dicit, taceo. Ita dicit D. Th. ar. 5. citato.

3 Quęritur quęnam sit forma consecrationis vini? Scot., vbi supra in 1. quæsito, idem dicit de forma consecrationis vini, quod dixerat de forma consecrationis panis: sed reliqui Doctores dicunt quòd forma consecrationis vini sunt hæc verba, Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti; mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

4 Sed est magna inter ipsos DD. controuersia, vtrum dicta omnia verba sint de necessitate consecrationis uini: an verò aliqua tantum? D. Th. q. cit. ar. 3. dicit prædicta omnia verba esse de substantia consecrationis vini, & eum sequitur Armil. in sum. ver. Euchar. n. 14. quia ut ait, prædicta omnia verba reperiũtur scripta in Missali D. Ambrosij litteris aureis: idem dicit: Sylu. in sum. ver. Euchar. 1. §. vlt. vbi & dicit idem tenere scholam Doctorum: sed re vera alij Doctores dicũt quòd tantùm hæc verba, Hic est calix sanguinis mei: vel Hic est sanguis meus, quod idem est (nam ponitur continens pro contento) sunt de necessitate sacramenti: Ita dicunt Sum. Angel. Sum. Tabien. in ver. Euchar. Victoria in sum. nu. 73. Caiet. 3. p. q. 78. ar. 3. D. Bonauen. Duran. Riccar. & alij in 4. d. 8. & ita ratio suadet, nam si hæc quatuor verba, Hoc est corpus meum, sufficiunt ad consecrationem panis; & hæc totidẽ uerba, Hic est sanguis meus; seu Hic est calix sanguinis mei, sufficient ad consecrationem vini: Reliqua verò, quæ sequuntur Noui, & æterni testamẽti, &c. sunt tantùm de necessitate præcepti; quorũ verborum expositionẽ vide apud Cat. Rom. vel apud D. Thomam. ar. cit. Circa additionem uerò, mutationem, interpositionem, &c. quæ prædictis duabus formis accidere possunt, deffiniendi sunt casus iuxta regulam, quam supra posuimus in prima Parte huius Tractatus, ubi de forma sacramentorum in communi.

5 Quæritur ultimò utrum Christus cõsecrauerit his verbis Hoc est enim corpus meum? Afferunt enim occasionem huius dubitationis verba, quibus vtitur sacerdos in consecratione, quę recipiũtur ex D. Mat. c. 26. Accepit Iesus panẽ, benedixit, fregit, deditq; discipulis suis dicens Accipite, & comedite, Hoc est enim

enim corpus meum;nam ex his uerbis uidetur quòd Christus prius benedixerit panem, fregerit, & dederit discipulis suis,quā dixerit Hoc est corpus meum,& ita videtur quòd vel non dederit Christus Apostolis panem consecratum,vel non consecrauerit illis verbis, Hoc est corpus meum.

Et de hoc quæsito fuerunt quatuor opiniones,prima fuit Innoce.3.lib.4. de offic. Missę, cap. 6. quod videlicet Christus non consecrauerit per aliqua verba,sed per potestatem excellentiæ, q̄ potestas nō erat alligata verbis. Sed D.Th.3.p.q.78.ar.1.ad 1.dicit quod Innoc.3. loquutus est opinatiuè, & quòd eius sententia in hoc non est uera,& ꝓbatur quia sacerdotes quādo cōsecrāt, consecrant in persona Christi faciendo quod faciebat Christus: ergo Christus non consecrauit sine verbis per potestatem excellentiæ: alioquin ita & sacerdotes consecrarent sine uerbis, qui tamen non habent potestatem excellentiæ: & hanc rationem affert D. Th. non quidem ad impugnandam opinionem Innocentij; sed ad impugnandas duas alias sequentes, valet tamē etiam contra opinionem Innocentij.

Secunda opinio fuit eorum,qui dixerunt Christum consecrasse quidem aliquibus verbis, quæ tamen ignorantur, nam D. Mat. dixit quòd Christus benedixit panem,sed non retulit verba,quibus Christus panem benedixerit, quibus uerbis credendum est Christum panem consecrasse. Sed hæc opinio non est uera propter rationē allatā contra opinionē Innocentij,quia uidelicet sacerdos consecrat in persona Christi; Quòd si Christus consecrauit alijs verbis,& non illis Hoc est corpus meum, Sacerdos non consecraret, quia non profert ea uerba. Deinde,vt ait D. Th. non est credendum quòd Euangelistæ in re tanti momēti verba,quibus Christus cōsecrauit,nō retulerint.

Tertia opinio fuit aliquorum, qui dixerunt quòd Christus bis protulit hæc verba Hoc est corpus meum,semel consecrando secretò quando benedixit, & semel palam quando dedit panem consecratum Apostolis suis,sed hęc opinio non est vera propter rationem suprascriptam,cum enim sacerdos consecret in persona Christi; deberēt & ipse secretò semel proferre verba consecrationis,& semel palam,quod non facit.

Quarta opinio fuit D. Aug. in lib. de consensu Euangelistarum, quod Christus qn̄ benedixit ꝓtulit illa verba Hoc est corpus meū,& tunc consecrauit;sed Euāgelistę,licet scripserint ea, quæ fecit Christus,nō tamē scripserūt omnia eo ordine,quo Christus illa fecit, sed aliqn̄ præposuerunt ea,quæ postea Xp̄s fecit:Quare uerba sunt hoc modo commodanda iuxta sententiam D. Aug. Accepit Iesus panē, benedixit dicēs, Hoc est corpus meū; deinde dedit discipulis suis dicēs Accipite, & māducate: sed D.Th.ar.suprac.dicit ꝙ Christus protulit quidem hæc verba quando benedixit,uerū quod non est necesse accōmodare uerba Euāgelistæ ut nūc accōmodauimus,quia participiū (dicens) dicit cōcomitātiā cū uerbis Accepit, fregit, & dedit discipulis suis; Quare ait D. Th.ꝙ verba præscripta sunt hoc modo glossanda resoluendo participiū dicēs, istest dū Xp̄s benediceret panē dicendo Hoc est enim corpus meum, accepit illum,fregit,& dedit discipulis suis.

Dom.Sot.in 4. dicit ꝙ salua opinione D. Th. possumus conijcere ꝙ Christus benedixerit panē quēdā integrum quadam consueta benedictione, cuius benedictionis Euāgelistæ verba nō scripserūt,qa erat benedictio quædā cōsueta,& deinde fregit illū panē nōdū cōsecratū in tresdecim buccellas, & eas posuit ī disco, deinde unica cōsecratione cōsecrauit illas buccellas, dū eas traderet,seu tradere uellet discipulis suis dicēs,Hoc est corp⁹ meū, Atq; hęc coniectura Soti videt̄ bona ꝑcipuè cū apud

D. Mat. non habeatur participium (dicens) in æditione vulgata, sed loco participij sit verbum (Et ait) Atque hęc de hoc capite.

CAPVT QVARTVM.

De conuersione panis, & uini in corpus & sanguinem Christi.

1 *Subsit ne totus Christus speciebus panis, & vini.*
2 *Post consecrationem quid remaneat sub illis speciebus.*
3 *De nomine huius transmutationis.*
4 *An panis esse desinat.*
5 *Quando fiat transubstantiatio.*
6 *Post consecrationem an remaneant accidentia.*
7 *Quæ accidant in consecratione, ubi de illius efficacia.*

1 IN hoc capite primò quęritur utrum in sanctissimo Eucharistię sacramento sub speciebus panis, & vini verè, & realiter, pòst consecrationem, sit sanctissimum Christi corpus, & eius sãguis? Respondeo contra impios Hęreticos, maximè huius nostri temporis, in sacramento Altaris post consecrationem sub speciebus panis, & vini esse verè, & realiter sanctissimum Christi corpus, & sanguinem: & non tantùm in signo, aut figura, ut ipsi hęretici falsò existimarunt. Et hanc veritatem semper tenuit catholica fides, & determinata fuit in Concilio Vercellensi, & alijs duobus Romanis contra Berengarium, qui eam negare ausus fuerat: Quę Concilia etiam referuntur a Catechismo Romano, quorum alterum Nicolaus 2. Et alterum Gregorius 7. Pontifices Maximi conuocarunt, & in Cõcil. Constant. vbi condemnatus fuit Vuiclef, qui oppositum contra fidem catholicam tenebat: & in Conc. Flor. & demum in Trid. contra modernos hęreticos vt videre est sess. 13. can. 1. cuius canonis uerba sunt hæc: Si quis negauerit, in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri verè, & realiter, & substantialiter corpus, & sanguinē, vna cum ânima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodò esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

Secundo, Hanc etiam catholicam ueritatem semper deffenderunt catholici Doctores, vnde & infinita sanctorum Patrum testimonia de hoc affert Rosensis in lib. contra Oecolempadium, quorum sanctorũ Patrũ auctoritates multas refert Catech. Rom. & eorum clarissima testimonia: idest D. Aug. D. Cyrilli, D. Ioan. Chrys. D. Ambrosij, D. Damasceni, D. Hylarij, & aliorum multorum.

Tertiò, hanc eandem catholicam ueritatem probat D. Th. 3. p. q. 75. ar. 1. tribus rationibus; seu conuenientijs: Primò quia conueniebát perfectioni legis nouæ, & euangelicæ quod Christus verè, & realiter esset in sacramento Eucharistię, & non tantùm in signo, seu in figura; ut existimarũt Hęretici, nam sacramenta veteris legis cõtinebát Christum passurùm in figura, & in signo, iuxta illud ad Hębręos 10. Vmbrã habens lex futurorum bonorum: ergo in noua lege debebat Christus in sacramẽto sanctiss. Eucharistię contineri non tantùm in figura, & signo; sed verè, & realiter: alioquin, quantùm ad continentiam, lex euanglica non videretur perfectior lege antiqua.

Secundo quia idem conueniebat amicitię, & charitati Christi; nã si Christus ob immensum suum erga nos amorem, carnem nostram assumpsit, & homo factus est: ita etiam debuit, ob eundem immensum suum erga nos amorē, semper nobis cum conuiuere; nam, vt etiam dixit Philosophus 9. ethicorũ. cap. 4. amicorum proprium est conuiuere: igitur sicut Christus, vt nobiscum con-

conuiueret, homo factus est, similis no bis, ita debuit semper nobiscum remanere non quidem secundum visibilem sui præsentiam, quia secundum eam ob eundem immensum suum amorem debebat ad Caelos ascendere ad nostram vtilitatem, vt ibi scilicet locum nobis in suo regno pararet: ergo debuit secundum realem sui præsentiam saltem in aliquo sacramento nobiscùm viuere.

Tertio, quia idem conueniebat fidei nostræ; nam fides nostra sicut versatur circa Christum, prout est Deus; ita debet versari circa Christũ, prout est homo, iuxta illud Io. 14. Creditis in Deũ? & in me credite; sed diuinitas credenda exhibetur nobis inuisibiliter: ergo & humanitas Christi debuit nobis exhiberi inuisibiliter sub speciebus panis, & vini, vt crederetur.

Quartò, Cate. Rom. hanc eandem veritatẽ catholicam probat auctoritatibus sacræ scripturæ; & primo ex eo, quod habetur Math. 26. Lucæ 22. idest quando Christus infallibilis veritas dixit, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum: Et Hic est sanguis meus: Et profectò si verè, & realiter, secundum veram, & realem existentiã Christus non continebâtur sub illis speciebus panis, & vini, quas porrigebat Apostolis cùm dixit, Accipite, & comedite Hoc est corpus meum, &c. mendosa essent prædicta verba: Secundò, Catech. Rom. affert illa verba D. Paul. in 1. ad Cor. 11. ad hoc idem probandum, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat non dijudicans corpus Domini: vbi ait Cat. Rom. D. Paulũ. Tam grauibus verbis arguere eos, qui indignè, & sine probatione manducant sanctiss. Eucharistiam dicentem iudicium sibi manducare, quod est signum maximi peccati: quod non faceret D. Paul. si in Eucharistia non esset verè, & realiter corpus Christi: Non enim ad eam sumendam esset necessaria tanta præparatio, & dignitas; nec esset tam immane scelus eam sumere sine tali præparatione, & dignitate si ea esset tantùm materialis panis.

2. Quæritur an in SS. Eucharistiæ sacramento, post consecrationem remaneat substantia panis, & vini? Resp. contra Lutherum, quòd non: & hoc fuit determinatum in Conc. Lateran. in Conc. Flor. sub Eugen. 4. & in Conc. Trid. sess. 13. can. 2. cuius verba sunt hæc: Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistię sacramento remanere substantiã panis, & vini cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, &c. anathema sit. Idem dixit D. Ambr. lib. 4. de sacra. ca. 4. D. Hylar. vt habetur de consec. d. 2. cap. corpus. D. Aug. in lib. de cathechizandis rudibus, & D. Damascen. lib. 14. de orthodoxa fide cap. 14. quorũ DD. clarissimas de hac virtute auctoritates ponit Catech. Roman. & idem tenuerunt semper omnes catholici DD. & probatur.

Primò ex testimonijs sacrarum Scripturarum; nam Matt. 26. & Mar. 14. dicitur Hoc est corpus meum; & per pronomen (Hoc) vt dictum est in capite antecedenti, demonstratur illud, quod est sub speciebus panis, & uini; seu quod est corã sacerdote, sed si post prolationem dictorum verborum corã sacerdote esset substantia panis, & vini, illa verba essent falsa, quia substantia panis, & vini non est corpus, vel sãguis Christi. Rursus Io. 6. dicit Christus de Eucharistia, Panis, quem ego dabo, caro mea est: ergo non est substãtia panis, quia alioqui non esset caro.

Secundo probatur ex D. Thom. 3. p. q. 75. ar. 2. & Catech. Rom. vbi de Euchar. hac ratione, Caro, & sanguis Christi, vt probatum est in quæsito antecedenti, sunt sub speciebus panis, & vini: ergo uel per mutationem loci,

L vel

uel per creationem, vel per conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi: Non primum, quia sequeretur quòd Christus in cęlo non remaneret, quia nullus mutat locum nisi d i scedat a loco, vbi est. Non secundum, quia absurdissimum esset dicere Christum, qui est, creari: ergo est sub speciebus panis, & vini per conuersionem substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem proprium. Quòd si substantia panis, & vini conuertitur in corpus, & sanguinem Christi per consecrationẽ: ergo non remanet in sanctiss. Eucharistiæ sacramento.

3 Sed dicet aliquis primò, quomodo vocatur hæc transmutatio substantiæ panis, & uini in corpus, & sanguinem Christi? Resp. quòd a sacris DD. apellatur transubstantiatio, idest de substãtia in substantiam mutatio, mutatur .n. substantia panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi per consecrationẽ; sicuti in generatione, quia mutatur forma in aliam formam, ipsa generatio posset dici transformatio, atque ita etiam Cat. Rom.

2. Dicet quis post consecrationem hostia dicitur panis: ergo in ipsa remanet substantia panis. Resp. quòd hostia post cõsecrationem adhuc dicitur panis, non quia in ea remaneat substãtia panis: sed quia caro Christi dicitur panis, iuxta illud Io. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Secundo hostia dicitur panis etiã post consecrationem, quia in ea remanent vera accidentia panis. Tertio hostia dicitur panis post consecrationẽ, quia in illis accidentibus panis, quæ remanent post consecrationẽ, sunt omnes proprietates panis, vt postea dicã infra; possūt enim alere, & reficere corpus, non secus, ac sub illis; si adhuc esset substantia panis, & ita etiam Cat. Romanus.

4 3. Dicet quis si post consecrationẽ sub speciebus panis, & uini non remanet substantia ipsius panis, & uini, ergo annihilatur ipsa substantia panis, & vini post consecrationem. Resp. ex Victoria in sum. nu. 60. quòd non dicitur panis annihilari, licet post consecrationẽ non remaneat amplius quantùm ad suam substantiam; quia omnis mutatio accipit denominationẽ a termino ad quem, sicut vocamus calefactionem quãdo ex aqua frigida fit calida, quia illa actio terminatur ad calorem: sed in transubstantiatione, quæ fit per consecrationem, terminus ad quem, idest id, quod per se intendit consecrans, non est quòd substãtia panis non sit sub speciebus panis, sed quòd caro Christi sit sub speciebus panis: ergo licet substantia panis per consecrationem desinat esse, non dicitur tamen annihilari, sed conuerti, seu trãsubstantiari in corpus Christi. Idem dicendum est de substantia uini; sed hęc uidetur quæstio de nomine, ut etiam dicit Victoria nu: 60. citato.

5 Dicet quis ultimo quando fiat hæc trãsubstãtiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi? Resp. secūdū omnes DD. catholicos quòd fit statim post prolationem uerborum formæ cõsecrationis, idest in instanti, quod est primum non esse verborum, vt ait Victoria in sum. num. 62. non enim est dicendum transubstantiationem incipere fieri quando incipiunt proferri verba, quia alioquin sequeretur quòd si sacerdos prolata media forma moreretur dimidius Christus esset sub speciebus panis, vel vini, quod absurdissimū est dicere.

Dicendum igitur est necessariò talẽ transubstantiationẽ fieri in instanti immediatè post prolationem dictorum verborum: nec fieri successiuè, quia si fieret successiuè idest paulatim, id eueniret, ut dicit Victor. lo. cit. vel ratione formæ, vel ratione subiecti, vel ratione agentis; non ratione formæ, quia illa forma fit successiuè, quæ suscipit maius,

ius,& minus;ut pannus paulatim calefit,quia potest esse magis,vel minus calidus; sed Christus non potest esse magis,uel minus Christus, quia Christus est substantia, & substantia non suscipit magis,& minus; sicut panis licet sit paruus vel magnus non dicitur magis panis,vel minus, quam alter panis, sed quidem, vel maior, vel minor: non ratione subiecti, quia tunc mutatio est successiua idest fit paulatim ratione subiecti, quando subiectū est prius disponēdum antequam introducatur forma; sicuti lignū,antequam in eo introducatˀ forma ignis debet disponi; idest debet magis,& magis calefieri, & exsiccari,& ideò paulatim comburitur: sed Christus non est sub speciebus panis, tamquam in subiecto: neque ratione agentis;nam mutatio, quæ fit successiuè ratione agentis non fit in instanti, quia agens non est ita forte vt in instanti totum efficere possit;sed transubstantiatio fit a sāctissima Trinitate, idest a Deo;qui est omnipotens.

6 3. Quæritur vtrum post consecrationem in hostia remaneant uera accidentia panis, & in calice uera accidentia vini? Resp. quòd remanent; & de hoc nulla potest esse dubitatio, quoniam sensu percipiuntur: videmus enim in hostia,& in calice remanere post consecrationem,eundem colorem, saporē, odorem, eandem quantitatem, figurā, &c. accidentia panis,& uini,quæ erant ante consecrationem. Ratio autē, cur dicta accidentia remaneant post consecrationem,affertur à Cat.Rom.& ante ipsum à D.Th.3.p.q.75.ar.5. quia videlicet non esset meritum fidei,si dicta accidentia non remanerent post consecrationem; nam alioquin videretur Christus; & si videretur non crederetur;non enim fide credimus,quæ videmus,nam fides,ut dicit D.Pau. est argumentum non apparentium.

Secundò si non remanerent accidentia panis,& vini post consecrationem, sed apertè videretur Christus, non sumeretur Eucharistiæ sacramentum, quia horribile est carnes humanas inuisibili,& propria specie comedere. Et quidem quòd accidentia panis, & vini remaneant post consecrationem determinatum est in Con. Trid. sess. 13. c. 2. cuius verba sunt hæc. Si quis dixerit,in sacrosanto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & uini vna cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi: negaueritq; mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; manentibus dumtaxat speciebus panis,& uini;quam quidem conuersionē Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat:anathema sit. Quibus verbis apertè probatur responsio ad duo præcedentia quæsita; & ad præsens quęsitum;imò & probantur ferè omnia, quæ in hoc capite decisa sunt.

7 Atque ex dictis patet quòd tria sunt admiranda, quæ per consecrationem fiunt,& quæ a nobis per catholicam fidem suscipiuntur, & creduntur; quorum primum est quòd caro Christi illa eadem,quæ est in cęlo,sit sub speciebus panis,& sanguis ille idem,qui est in venis Christus in Cęlo, sit sub speciebus vini: Alterum est quòd substantia panis,& vini desinat esse sub proprijs speciebus. Tertium est quod species, seu accidentia panis, & uini sine propria substantia, & sine suo subiecto remaneant. Quare verum est dicere quòd post consecrationem in hostia est aliquid,quod non erat,& non est aliquid, quod erat, & est aliquid, quod erat. Primum est corpus,& sanguis Christi. Secundum substantia panis, & vini. Tertium accidentia panis,& vini.

CAPVT QVINTVM.

De modo, quo Christus est sub speciebus panis, & vini.

1 *Quo modo Christus subsit speciebus panis, & vini.*
2 *Quomodo quantitas Christi subsit talibus speciebus.*
3 *Quid operata fuisset consecratio in triduo mortis Christi.*
4 *Sit ne Christus totus in toto, & totus in qualibet parte specierum.*
5 *Multa potest Deus a nobis non intelligibilia.*
6 *Subsit ne Christus hostia, vt in loco.*
7 *Sit ne in loco saltem sacramentaliter.*
8 *Vtrum Christus prout est in hostia, possit moueri.*
9 *Quomodo moueatur per accidens in hostia.*
10 *Quamdiu maneat Christus sub hostia.*
11 *Corruptis speciebus an desinat ibi esse Christus.*
12 *De adoratione Christi sub hostia existentis.*
13 *Christus inuisibiliter adorandus.*
14 *Quid si Christus appareat ut caro, uel puerulus.*
15 *In tali casu quænam erunt munera sacerdotis.*

1 HActenus in capite antecedēti demonstratum est, carnem Christi esse sub speciebus panis post consecrationem, & eius sanguinem esse sub speciebus vini. Sed quoniam non videtur quòd caro Christi aut sanguis eius possit esse sub dictis speciebus sine anima, & diuinitate eiusdem. Ideo in hoc capite 1. quæritur utrum totus Christus sit sub speciebus panis, & sub speciebus uini post consecrationem? videtur enim quòd non, quia in formis consecrationis tantùm fit mentio corporis, & sanguinis Christi. Hoc tamen non obstante, dicendum est in SS. Eucharistiæ sacramento sub speciebus panis esse totū Christum & sub speciebus uini esse totum Christum; & ita determinatum est in Con. Trid. sess. 13. can. 3. sub his verbis: Si quis negauerit in sacramento Euchar. sub vnaquaq; specie, & sub singulis cuiusquè speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit.

2 Sed cùm in Christo sit corpus, sanguis, anima, quantitas, color, & alia accidentia ipsius Christi Domini, & ipsamet diuinitas; nō hæc omnia sunt sub speciebus panis, & uini eodem modo; nam ex vi verborum cōnsecrationis tantùm corpus Christi, & non alia, est sub speciebus panis: reliqua verò omnia sunt etiam sub speciebus panis, sed per concomitantiam; quia enim corpus Christi est uiuum, vt sit sub speciebus panis, illud concomitatur anima, non enim uiuit corpus sine anima: cùm verò corpus uiuum naturaliter habeat sanguinem ideò & sanguis concomitatur corpus: cùm etiam corpus sit quantum, ideo & illud concomitatur quantitas; & idem dicendum est de alijs accidentibus: cùm uerò & corpus, & sanguis, & anima Christi semper fuerint vnita diuinitati, inde fit, vt etiam diuinitas sit sub speciebus panis, & vini per concomitantiam.

Et ex his patet quomodo intelligatur id, quod dicunt DD. quòd tantùm corpus Christi est sub speciebus panis ex vi uerborum reliqua uerò supradicta per concomitantiam.

Et ex hoc optimè infert D. Th. 3. p. q. 76. ar. 1. quòd si D. Petrus consecrasset in triduo mortis Christi, anima, & sanguis Christi non fuissent sub speciebus panis; quoniam anima, & sanguis Christi tunc non erant simul cum corpore: atque ideò non poterant esse sub speciebus panis per concomitantiam, neque ex vi verborum, quia de illis nō fit men-

mentio in forma consecrationis panis; sed tantum sub speciebus panis fuisset corpus mortuum Christi, cum venis, neruis, ossibus, & alijs, quæ faciunt ad integritatem corporis: & fuisset quantitas, & diuinitas ipsa per concomitantiam, quia licet anima fuerit separata a corpore Christi, numquam tamen diuinitas, quia, vt ait D. Damasc. Quod semel Deus assumpsit numquam dimisit.

Sub speciebus verò vini ex ui verborum consecrationis tantùm est sanguis Christi, quia in illis verbis, quibus consecratur vinum, tantùm fit mentio sanguinis, corpus verò, anima, quantitas, & alia accidentia simul cum diuinitate sunt sub speciebus vini per concomitãtiam: quia enim sanguis, qui est sub speciebus vini est in uenis; & venæ sunt in corpore Christi, & corpus Christi est animatum, & quantum, & diuinitas est vnita corpori, sanguini, & animæ Christi: ideò hæc omnia comitantur sanguinem Christi, qui est sub speciebus vini: Quare, vt benè infert D. Th. lo. cit. si in triduo mortis Christi. D. Petrus consecrasset sub speciebus vini fuisset tantùm sanguis sine corpore, & sine anima; non tamen sine diuinitate, quia diuinitas remansit etiam vnita sanguini in triduo mortis.

Quòd si dicas, si Christus est totus sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini, ad quid fiunt duæ consecrationes? sufficiebat enim consecrare in pane tantùm, vel vino tantùm. Resp. quòd licet Christus non minus sit sub speciebus panis, quam sub speciebus vini, tamen fiunt duæ consecrationes propter duas rationes, quas antea diximus, idest ad significandam passionem Christi, in qua sanguis a corpore fuit separatus: & ad significandum per exteriora signa integrum effectum sanctissimæ Eucharistiæ, qui est perfecta refectio spiritualis, & refectio cõsistit in cibo, & potu.

Rursus si quæras an sit totus Christus in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ: sicuti anima nostra est tota in corpore, & tota in qualibet parte corporis? Resp. affirmatiuè, & quidem quòd Christus sit totus in qualibet parte hostiæ, si intelligamus de parte, quæ ab hostia separatur, res est de fide, nam ita determinatum fuit in Concil. Florent. & Conc. Trident. vt patet ex verbis supracitatis ex eodem Concilio: Si verò intelligamus non facta separatione hostię idest an assignata quacunque parte hostiæ sit in illa totus Christus, qui est in tota hostia; res non videtur adhuc esse determinata de fide saltem in dictis Concilijs.

Sed tamen opinio affirmatiua est probabilissima, nam eam sequuntur omnes antiquiores Scholastici Alex. de Ales in 4. p. q. 4. D. Th. in 3. p. q. 76. Durandus, Scot. Riccar. D. Bonau. & nouissimè Sotus, & Victoria dicentes totum Christum esse in tota hostia, & totum esse in qualibet parte hostiæ, etiã separatione non facta: & dicũt hi DD. quòd quantitas corporis habet duo officia, vnum est separare partes, & eas inter se ordinare, itaut in homine per ipsã quãtitatẽ caput sit supra pectus; brachia sint extra crura; oculi sint inter aures, & nasus in medio inter oculos; alterũ officiũ est ordinare partes corporis, & eas inuicẽ separare in ordine ad locũ, itaut vna pars corporis sit in una parte loci; & alia in alia parte loci: In corpore Christi, prout est sub specieb⁹ panis, & vini, quãtitas exercet primũ officiũ, sed nõ secundũ: Quare in sacramento Euchar. & pedes, & brachia, & oculi, & cætera mẽbra Xpi, ꝓut dicunt habitudinẽ ad species panis, & vini; sũt omnia sub qualibet minima parte speciei: Sed prout dicunt ordinem inter se non sunt pedes vbi est caput, nam caput est supra pectus, & brachia sunt extra crura, &c.

Quòd

5 Quòd si dicas hoc est intelligibile. Resp. quòd licet id nos intelligere non possimus, non tamen est impossibile apud Deum omne verbum, & certissima fide debemus credere quòd Deus possit multa facere, quæ nos non possumus intelligere, nam intellectus noster est finitus, & propterea tantùm finita (& ea quidē pauca) possumus intelligere: sed Deus est potētia infinita; quare si Deus tantùm posset facere ea, quæ nos possumus intelligere, non esset omnipotens, imò esset minimæ potentiæ, quia pauca facere posset.

Quòd si quis, vt ait Victoria in sum. nu. 63. imaginaretur quòd in hostia, in qua est figura Christi, sit ibi caput Christi, vbi est caput illius figuræ; & pedes vbi sunt pedes illius figuræ, & brachia vbi sunt brachia, non esset mala imaginatio, quia vbi est caput figuræ sub illis speciebus est caput Christi, & vbi sunt brachia figuræ sunt brachia Christi: licet sub speciebus, vbi est caput figuræ, sit etiam totus Christus; nō tamen est in cruce sub speciebus panis, vt apparet in imagine, quia corpus Christi, quod est sub speciebus est gloriosum.

6 Quæritur 2. vtrū Christus, prout est in sanctiss. Euchar. Sacramento sit in loco? Videtur enim quòd sit in loco.

Primò quia non potest dari vacuū, sed ante consecrationem substantia panis, & uini erat in loco, quia erat corporea: ergo si Christus non est in loco, in quo erant substantia panis, & uini; ille locus est uacuus.

Secundò accidentia Christi sunt sub speciebus panis, & vini in sacramento Eucharistiæ saltem concomitanter, vt supradixi in quæsito antecedenti, sed esse in loco est quoddam accidens: ergo concomitatur Christus in sacramēto Euchar. & sic Christus in Eucharistia est in loco.

Resp. ad quæsitum ex D. Th. 3. p. q. 76. ar. 5. quòd Christus, prout est in sanct. ss. Euchar. sacram. non est in loco circumscriptiuè, neque diffinitiuè; quia ea dicuntur esse in loco circumscriptiuè, quorum vna pars est in una parte loci, alia in alia parte loci; & totum loco quodam certo circumscribitur; sed hoc modo Christus non est sub speciebus panis, & uini, quia est totus in qualibet parte hostiæ: neque deffinitiuè Christus est in loco, quia esse deffinitiuè in loco est, ita esse in uno loco, ut dum res aliqua est in illo loco, non possit esse in alio loco, vt Angelus, qui nō occupat locum, dicitur esse in loco deffinitiuè, quia ita est in aliquo loco, vt dum est in illo non sit in alio, nec possit esse: sed Christus non est ita in una hostia, vt dum est in illa non possit ēt esse in alijs si consecrētur; & hac ratione etiam Deus non dicitur esse in hoc mundo deffinitiuè, quia si darentur alij mundi, Deus in hoc, & in alijs esset: Quare absolutè dicit D. Th. ar. ci. quòd 7 Christus, prout est sub speciebus panis, & uini in sacram. Euchar. non est in loco. Sed Sot. in 4. d. 10. q. 1. ar. 5. dicit quòd Christus prout est in sanctissima Euchar. est in loco sacramentaliter.

Ad primam rationem allatā in contrarium resp. quòd in illo loco, vbi erat substantia panis, & uini ante consecrationem, sunt species panis, & vini: Quare ille locus non est vacuus cum repleatur speciebus panis, & uini.

Ad 2. resp. quòd sub speciebus panis, & uini in sacram. Eucharistiæ nō sunt omnia accidentia, sed tantum absoluta, & intrinseca; relatiua uerò extrinseca, id est quibus dicitur relatio ad aliquid extrinsecum, quale est esse in loco, non omnia sunt in Christo, prout est sub speciebus panis, & vini in sacramento Eucharistiæ.

8 3. Quæritur vtrum Christus, prout est sub speciebus panis, & vini; possit moueri? Ad hoc resp. D. Th. 3. p. q. 76. ar. 6. quòd Christus, prout est sub speciebus panis, & uini, non potest moueri

ueri localiter, quia si moueretur localiter in hostia, recederet ab una parte hostiæ, & accederet ad aliam; sed hoc nõ fit, quia Christus est in omni parte hostiæ.

Ego dico secundo, quòd nec uertitur Christus in hostia, quia omnes partes Christi sunt in qualibet parte hostiæ; & ita quantum ad ordinem, quem dicunt partes Christi ad partes hostiæ, nõ datur pars dextera, & pars sinistra; vnde non uertit se Christus a dextera ad sinistram, licet quantùm ad ipsummet corpus Christi detur dextera pars, & sinistra, vt ex supradictis patet.

9 Dico 3. ex D. Th. lo. cit. & Victoria in sum. nu. 68. quod Christus mouetur in sanctiss. Eucharistia per accidens id est ad motum hostiæ, sicuti motis nobis mouentur etiã omnia, quæ sunt in nobis, alioquin sequeretur quòd Christus non posset a nobis sumi per communionem; si enim debet sumi, debet moueri a pixide, vel ab altari, & ad nos deferri.

10 4. Quæritur quamdiù maneat Christus sub speciebus panis, & vini in Eucharistia? D. Th. 3. p. q. 76. ar. 6. cit. cit. in resp. ad 2. arg. refert ex D. Cyrillo quosdam dixisse Christum non remanere in hostia usque in crastinum, quia figura debet respondere figurato; sed agnus paschalis, ut præcipitur Exo. 12. ita comedebatur, ut de eo nihil remaneret in crastinum: Sed D. Cyrillus dicit quòd isti insaniunt, quoniam figuratum debet respondere figuræ, sed figura non debet esse in omnibus æqualis figurato. Quare secundum ueritatem catholicam dicendum est, quòd tãdiù remanet Christus sub speciebus, quam diu remanent ipsæ species consecratæ: & hoc determinatum est in Con. Trid. sess. 13. c. 4. Quare optimè ait Victoria in sum. nu. 68. cit. quòd tamdiù manet Christus sub speciebus panis, & vini; quamdiù maneret substantia panis, & uini si species non essent consecratæ.

11 Quando autem corrumpuntur species panis, & vini, non corrumpitur Christus, quia hoc dicere minime fas est; sed cessat ibi esse Christus sub illis speciebus; seu, ut ait D. Th. q. cit., cessat habitudo Christi ad illas species. Nec dicitur Christus discedere, sed desinere esse sub speciebus.

12 5. Quæritur utrum Christus, prout est sub speciebus panis, & uini, sit adorandus? Resp. quòd est adorandus interno, & externo cultu latriæ, & proinde recta ratione exhibetur fidelibus in altari adorandus, & eleuatur in Missa, & circumfertur in processionibus: ita determinatum est in Con. Trid. sess. 13. c. 6. cuius verba sunt hæc. Si quis dixerit in SS. Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorãdum, atque ideò nec festiua peculiari celebritate uenerandum, neque in processionibus circungestandum, &c. anathema sit; Quæ autem sit adoratio latriæ, dictum est in expositione Decalogi, circa primum præceptum.

13 6. Quæritur vtrum Christus, prout est sub speciebus panis, & uini possit ab oculo corporeo uideri? Resp. quòd ab oculo viatoris non potest videri. An uerò possit videri ab oculo beati disputat D. Th. 3. p. q. 76. ar. 7. & Victor. in sum. n. 69. vbi & dicit quòd per miraculum Christus sub speciebus panis, & uini potest videri ab oculo uiatoris. Quid autem faciendum sit cùm in hostia uisibiliter apparet puerulus; uel caro humana; aut sanguis, disputat D. Th. q. cit. ar. ult. & Victor. in sum. n. 70. & dicunt tria.

14 Primo quod talis apparitio uel fit per modum transeuntis, vel fit per modum permanentis; Per modum transeuntis dicitur fieri quando dictus puerulus, caro, aut sãguis aliquibus apparet, & aliquibus non apparet: vel modò apparet, modò non apparet; & tunc nulla fit mutatio in speciebus panis, & uini à

parte

parte rei, sed tantùm in oculis uidētis, non quidem ad decipiendum; sed ut magis cognoscant fideles sub speciebus panis, & uini esse carnem, & sanguinem verum Christi; sicuti quando Christus apparuit discipulis euntibus in Emaus in figura peregrini, & Magdalenę in forma olitoris, nō est mutata forma Christi in formā peregrini, vel olitoris, sed ita videbatur in oculis discipulorum, & Magdalenæ: non quidem ad decipiēdos eos, sed ut magis cognoscerent eius resurrectionem. Per modum uerò permanentis fit apparitio pueruli, carnis, aut sanguinis in hostia, quādo talis apparitio omnibus fit, & iugiter; & tunc fit mutatio in speciebus a parte rei.

Secundo dicunt citati Doctores ꝙ si fiat talis apparitio per modum transeūtis, potest sumi illa hostia ab eo, qui est paratus communicare; maximè si ei dem non fit talis apparitio, saltem tunc quando est paratus communicare.

Tertiò dicunt, quòd si talis apparitio fiat per modum permanentis, nō debet sumi ille puerulus, caro, vel sanguis propter horrorem, horribile est enim carnem humanam in uisibili specie comedere; sed debet talis caro, puerulus, vel sanguis conseruari cum alijs reliquijs tamquàm reliquia quædam. Et, dicit Sot. in 4. d. 10. q. 1. ar. vlt. quòd talis puerulus non est Christus; nec talis caro, aut sanguis est caro, uel sanguis Christi, sed sanguis, vel caro miraculosè facta; non enim uidetur dicendum, quòd caro Christi uisibiliter conseruetur apud reliquias. Si autem sacerdos 15 celebraret, & in hostia, quam consecraret, fieret talis apparitio, possit aliam hostiam consecrare si uellet; non tamen teneretur, quia quæ fiunt per miracula non subijciuntur legi: ac proinde tunc non teneretur sacrificium perficere; si tamen uellet iterum cōsecrare, & sacrificium perficere melius faceret.

CAPVT SEXTVM.

De accidentibus panis, & vini: quæ remanent post consecrationem.

1. *In quo remaneant accidentia post consecrationem.*
2. *Post consecrationem utrum talia accidentia admittant diuisionem.*
3. *Vnde producantur vermes in Eucharistia corrupta, aut cineres in combusta.*
4. *Quid si vino misceatur alius liquor post consecrationem.*

IN hoc capite primo quæritur in quo remaneant accidentia panis, & vini post consecrationem. 1

Dico primo, quod non remanent in substantia panis, & vini; quia illa non remanet; sed est trāsubstantiata in corpus, & sanguinem Christi.

Dico 2. quòd non sunt in corpore Christi, primò quia accidens nō potest transire de subiecto in subiectum. Secundo, quia Christus non afficitur illis accidentibus, non enim dicitur Christus albus, aut figuræ circularis, si species sunt albæ, vel rotundæ, nec calefit Christus si calefiunt accidentia, & ita habetur cap. Firmiter dę summa Trinitate, & fide catholica.

Dico 3. ꝙ quātitas panis, & vini, q̄ antea erat in pane, & vino, post consecrationem nulli substantiæ inhæret; sed per se subsistit; reliqua uerò accidentia, vt figura, color, &c. inhęrent in quātitate, & easdem operationes exercēt, quas exercerent si essent in substantia panis, & vini; nam frigefaciunt si frigida sunt, & calefaciunt si sunt calidæ; Item nutriunt, &c., & ita tenent omnes DD. & de hoc agit D. Th. 3. p. q. 77. ar. 1. & reliquis.

2. Quæritur vtrum accidētia panis, & vini post consecrationem possint frangi, uel diuidi? Resp. quòd frangun-

guntur, & diuiduntur, & hoc apparet sensu, & experientia, non tamen diuiditur Christus, vel frangitur ad diuisionem, vel fractionem specierum panis, & vini; sed remanet totus sub qualibet parte dictarum specierum. Et dát exéplum aliqui DD. de speculo, quod repræsentat v.g. faciem hominis, quo fracto non frangitur illa imago faciei hominis, sed tota repræsentatur in omnibus partibus ipsius fracti speculi; Verũ quidem est hanc similitudinem non valere in omnibus, quia imago faciei hominis non est in qualibet parte ipsius speculi integri etiam non facta diuisione speculi, quia vbi sunt oculi illius imaginis, nõ sunt aures, & cætera; sed Christus est totus sub qualibet particula specierum, etiam diuisione non facta.

3 3. Quæritur vndenam generentur vermes, qui aliquando in pixide reperiuntur, vel cineres, si species consecratæ comburantur? De hoc fuerunt quatuor opiniones; Prima fuit eorum, qui dixerunt generari ex aere circumstante hostias, quando species corrumpuntur; sed hoc non potest esse, quia in aere non fit corruptio, quando generãtur vermes in pixide. Secundo quia ex corruptione aeris non solent generari vermes, sed potius infirmitates.

Secũda opinio fuit eorum, qui dixerunt, ꝙ qñ corrumpuntur species redit illa substantia panis, quę per consecrationẽ conuersa est in corpus & sanguinem Christi; ex qua substantia deinde generantur vermes: & hanc opinionẽ tenet Innoc. 3. lib. 4 de officio Missæ c. 11. quam sequitur Alex. 4. p. q. 40. membro 2. ar. 4. & D. Bonau. in 4. d. 12. ar. 2. q. 1. maxime propter tanti viri auctoritatem qualis fuit Innocentius.

Tertia opinio est eorum, qui dixerũt ꝙ in eo instanti, in quo corrumpuntur species, creatur à Deo materia prima, in qua introducitur forma vermis; & hanc opinionẽ sequuntur ferè omnes Scholastici, & D. Th. 3. p. q. 77. art. 5. dicit esse probabilem.

Quarta opinio est ipsius D. Th. in d. art. qui dicit vermes fieri ex quantitate panis, quæ quantitas fungitur officio materiæ; sed hoc nõ potest stare, quia sequeretur quòd illi vermes non essent compositi ex materia, & forma; sed ex quãtitate, & forma substãtiali; & sic nõ essẽt aĩalia, sed étiã ꝑ accidẽs: quare tenẽda est tertia opinio, q̃ est ꝓbabilior.

Quæritur vlt. vtrũ si vino cõsecrato misceatur aliquis liquor, vt vinũ, vel aqua; totũ fit cõsecratũ; vel nihil; vel tãtùm aliqua pars? Oẽs DD. dicunt hanc esse difficillimã quæstionẽ. Victoria in sum. nu. 72. refert quatuor propositiones D. Th. quarũ prima est, ꝙ si duo liquores diuersæ speciei; vt aqua, & vinũ; in sufficienti quãtitate misceantur, vtrumq; corrũpitur, & fit tertiũ quoddam, quod nõ est eiusdem speciei; idest corrumpitur aqua, & vinũ; & fit lora, quæ nec est aqua, nec vinum.

Secunda propositio est quòd si duo liquores eiusdẽ speciei; vt vinum, & vinũ; simul misceantur in sufficienti quãtitate, vtrũque corrumpitur, & fit vnũ tertium numero, & non specie, idest remanet quidem vinum, sed non illud vinum, quod erat antea.

Tertia propositio est si misceatur aliquis liquor diuersæ speciei vino consecrato; vt aqua in sufficienti quantitate, non remanet consecratum vinũ, quod antea erat consecratũ; sed remanet tertiũ quoddam, idest lora, quia corruptæ sunt species, q̃ erant cõsecratæ; & hoc admittitur ab oib⁹ Theologis; & ꝓbaẽ ex prima ꝓpositione. Si vero immisceatur pauca aqua, vt guttula aquæ multo vino cõsecrato, illa guttula cõuertitur quidẽ in vinũ ꝑꝑ virtutẽ specierũ vini cõsecrati, sed nõ in vinũ cõsecratũ, qa vinũ cõsecratũ, idest sanguis Xp̃i, est in venis; & illa guttula non est in venis.

Quarta propositio est quòd si vino cõsecrato misceaẽ vinũ nõ cõsecratum in sufficienti quantitate nullã remanet

Lora | Acqu

çonsecratum, neque illud, quod antea erat consecratum, quia est tertiũ quoddam distinctum numero, quod quidem est uinum, sed non illud, quod erat consecratum, nec illud, quod mixtũ fuit cũ consecrato, sed tertium quoddã uinũ, & hoc probatur secunda propositione. Si verò modicũ vinũ non consecratum misceatur multo uino cõsecrato, remanet consecratum illud, quod erat consecratum; sed illud paucum, quod miscetur, non fit consecratum.

Sotus in 4.d.10.q.1. dicit quod quãdo vinum vino miscetur si fit perfecta mixtio, ita ut fiat penetratio vtriusque vini usque ad minimas partes, fit tertiũ vinum, & quod hoc intellexit D.Th. in 2. & 4. propositione. Verum ait fieri hoc quam rarissimè, alioquin quando vinum consecratum in sufficienti quãtitate miscetur uino consecrato, nullũ remanet consecratum; sed quia, vt dicit ipse Sotus, talis mixtio fit quàm rarissimè vt vinum videlicet penetret aliud vinum vsque ad minimas partes, judicandum est, inquit, quod si vinum consecratum vino consecrato misceatur, totum fit consecratum, & si vinum non consecratum, etiam in magna quãtitate vino consecrato misceatur, iudicandum est quòd illud, quod erat consecratum, remaneat consecratum & non aliud, & hanc opinionem sequitur Victoria in summa, Imò ait Sotus quòd si guttula vini consecrati ponatur in dolio pleno vino non consecrato, illa guttula remanet cõsecrata; sed Palud. in 4. dicit quòd est ridiculum hoc.

Et ego dico quòd si hæc opinio Soti est vera, rarò, imò ferè numquam posset fieri perfecta purificatio calicis, nisi aquam in calicem imponeremus post sumptionem sanguinis in sufficienti quantitate; quod argumentum aduertit etiam Victoria, & propterea dicit, quòd in secunda purificatione Sacerdos deberet adhibere solam aquã, vel saltem plus aquæ, quàm vini: Et certe opinio Victoriæ, & Soti est tutior, sed nescio, an sit verior.

CAPVT SEPTIMVM.

De effectu Sanctissimæ Eucharestiæ.

1 *Quos effectus producat SS. Eucharistia.*
2 *An conferat gratiam, quam, & quibus.*
3 *Quando conferat talem gratiam.*
4 *Qua ratione illam conferat.*
5 *An det gloriam.*
6 *An remittat mortalia peccata.*
7 *An quis possit esse certus gratiæ.*
8 *An remittat venialia.*
9 *An remittat pœnas peccatorum.*
10 *An præseruet a peccatis.*

1 IN hoc capite primò quæritur, quinam sint effectus sacramenti Eucharistiæ? Resp. quòd quamplurimi sunt; sed præcipui referuntur à D.Th. 3.p. q. 79. & a Catech. Rom. vbi agit de hoc sacramento, & ij sunt sex, videlicet collatio gratiæ, adeptio gloriæ, remissio peccati mortalis, remissio peccati venialis, remissio pœnæ pro peccatis debitæ, & præseruatio a peccatis futuris: Et de ijs omnibus singulis in hoc capite est dicendum.

2 Quæritur ergo 2. an sanctiss. Eucharistia conferat gratiam, Quantum gratiæ conferat, Quibus conferat, Quando conferat, Et an omnibus æqualem gratiam conferat? Ad hoc dico primo SS. Eucharistiam conferre gratiã; & ita de fide tenendum est, & probatum fuit in prima parte huius Tractatus, vbi dictum fuit de effectu sacramẽtorum nouæ legis in communi; vbi & ad hoc citauimus Conc. Flor. & verba Concil. Trid. ex sess. 7. quibus anathematizatur ille, qui contrarium dixerit.

3 Dico 2. SS. Eucharistiam conferre maximam gratiam, vt ait D. Th. 3.p.q. 79.

79. cit. ar. 1. & ratio est, quia, vt supra diximus cap. 5. & 6. fontem, & originē omnium gratiarum Christum Dominum nostrum, verè, & realiter in se continet: & etiam quia cum sit maximum sacramentorum in præstantia, dignitate, excellentia, & continentia, vt dictum est in prima parte, debet etiam esse maximum in effectu; hoc est debet maximam conferre gratiam.

4 Dico 3. SS. Eucharistiā, prout est sacramentum quoddam, conferre gratiā omnibus illis, qui eam dignè sumunt. Et ratio huius est, quoniam quotiescunque applicantur actiua passiuis debito modo, necesse est vt fiat actio: ergo quotiescunque conferens gratiam, & instrumentum, quo gratia confertur, debito modo applicatur potenti gratiā suscipere, eam recipit: igitur cùm Christus sit collator gratiæ; species panis, & vini sint instrumentum conferendi gratiam, idest sacramentum, si sunt consecratæ; & homo sit potens suscipere gratiam, si illa homini applicentur debito modò, necessario fit collatio gratiæ. Dixi autem (prout est sacramentum) quia SS. Eucharistia, prout est sacrificium, vt in vltimo capite dicetur, etiā non sumentibus eam confert gratiam ex opere operato, & satisfactionem pro peccatis.

Dico 4. SS. Eucharistiam, prout est sacramentum, conferre gratiam quando sumitur, nam Io. 6. dicitur. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & Ego in eo.

5 Sed hic est dubitatio an SS. Eucharistia conferat gratiam sumentibus eā quando est in ore; an quando est in stomacho; an quando per guttur transit? Hanc dubitationem mouet Caietanus in comment. supra 3. p. D. Thomæ. q. 79. & concludit Eucharistiam conferre gratiam, & quando est in ore, & quando transit per guttur, & quando est in stomacho dum remanent species panis, vel uini: Sed contra arguit, & benè Sotus in 4. sent. d. 12. q. 2. art. 1. primo quia gratia per sacramenta confertur in instanti, & non paulatim. Secundo quia ex opinione Caietani sequeretur quòd illé, qui maiorem hostiam sumeret, vel qui frigidissimum haberet stomachum maiorem gratiam etiam reciperet, quia species diuti⁹ in eo durāt. Tertio quia sequeretur, quòd ille, qui in ore haberet species consecratas, & eas expueret, recepisset gratiam, & tamen talis non diceretur manducasse corpus, & sanguinem Christi: nó enim dicitur ille manducare, qui cibum in ore habet tantum, vel etiam masticat; sed qui per guttur emittit. Dicendum igitur est cum Soto Eucharistiam conferre gratiam in eo instanti, in quo primò verū est dicere hostiam esse comestam, & hoc est statim ac per guttur transijt. Alias rationes affert Sot. contra Caietanum, sed hæ sufficiant.

6 Dico quintò, quòd sacramentum SS. Eucharistiæ ex opere operato omnib⁹ eam dignè sumentibus æqualē dat gratiam secundum se ratione ipsius sacramenti. Dixi (ratione ipsius sacramēti) quia ratione maioris, vel minoris dispositionis, deuotionis, aut præparationis non omnibus æqualem dat gratiā; sed maiorem gratiam dat illis, qui cum maiori deuotione, dispositione, aut præparatione eam sumunt, quàm illis, qui cum minori; sed cæteris paribus, idest posita in aliquibus æquali dispositione, deuotione, & præparatione SS. Eucharistia illis æqualem dat gratiam; nec est existimandum quòd aliquis recipiat maiorem gratiam, quia communicet se sub vtraque specie, quàm si communicaret se tantum sub vna, vt faciūt laici, primo, quia totus idē Christus, qui est sub utraque specie, est sub vna tantum; nec minus est sub vna, quā sub altera, vt probatum est supra cap. 1. quæst. 2. Secundo, quia sequeretur quòd melius esset sumere magnam hostiam, vel plures hostias simul, quàm

paruam, vel vnam tantùm. Tertio quia defraudarentur laici, qui sub vna tantũ specie communicant; neque est censendum, quod pia mater Ecclesia nollet communicare laicos sub vtraque specie, si ex communione sub vtraque specie maior speraretur fructus.

Tertio quæritur, vtrum Eucharistia det gloriam? Resp. ꝙ dat gloriã; & habetur Io. 6. Qui mãducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ habet vitam æternã, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die.

Quòd si dicas multi etiã dignè recipiunt Eucharistiã, qui postea ꝑꝑ peccatũ mortale cõmissum post dignã sumptionẽ SS. Eucharistiæ dãnantur: Ergo Eucharistia non dat gloriã. Resp. quòd Eucharistia dat gloriã efficaciter. tantùm illis, qui decedunt cũ gratia ab hac vita, & in Dño moriuntur: & si non dat gloriam efficaciter omnibus eã sumẽtibus, id nõ est ex defectu ipsius Euchar. sed ex defectu delictorũ, q̃ opponũtur gloriæ, seu propter quę homo priuatur gratia, quæ gratia est origo gloriæ.

6 4. Quæritur vtrũ SS. Eucharistia remittat peccatũ mortale; & vtrũ effect⁹ Eucharistiæ semper impediatur ꝑpter peccatũ mortale, itaut nemini existẽti in pecc. mort. in eius sumptione det gratiã? ꝙ idẽ est ac quærere, an Eucharistia det primã gratiam, seu an iustificet hominẽ aliquando? Resp. ꝙ dupliciter quis põt accedere ad SS. Eucharistiã in pecc. mort., primo scienter, idest sciens uel existimans se esse in pecc. mort., & tunc non modò nõ remittitur peccatũ mortale ꝑ sumptionẽ SS. Eucharistię, aut nõ modò nõ datur gratia, sed committitur nouũ peccatũ mortale grauissimũ: Qui .n. indignè manducat, iudiciũ sibi manducat, inquit D. Paulus. Alio modo põt quis accedere ad SS. Eucharistiã in peccato mortali, ignorãter; i. (vt loquuntur doctores) sine conscientia peccati mortalis: & tunc SS. Eucharistia remittit illud peccatũ, & dat gratiã; Vt si quis habens peccatũ mortale, nõ potest illud cõfiteri, quia est mutus; vel quia, si est sacerdos, incępit Missã; & de illo peccato mortali concipit talẽ dolorẽ, quẽ ipse putat esse cõtritionẽ; talis per cõmunionẽ recipit gratiã; & illi remittitur peccatũ mortale per ipsam cõmunionem, si dolor ille, quẽ ipse probabiliter putabat esse contritionẽ; erat tantùm attritio; Nã in tali casu ꝑ Sacramentũ sanctiss. Eucharistię ex attrito fit cõtritus; & hoc probatur, quia alioquin nullus posset, nisi cũ maximo salutis suæ periculo, ad SS. Eucharistiã accedere, quia nullus potest scire an sit in gratia, nec ne; & hoc definitum est in Conc. Trid. & probatur ex diuersis sacræ scripturæ locis; Nullus .n. scit an sit dignus odio, an amore, inquit D. Paul. & in 1. ad Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc nõ sum iustificat⁹. & Iob. 9. dicitur Verebar omnia opera mea; & paulò post, Si simplex fuero, & hoc ipsum ignorabit aïa mea; & Ecclesiast. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Sufficit ergo, vt quis sine peccato accedat ad SS. Eucharistiã, vt concipiat dolorẽ talẽ de peccatis suis, quẽ probabiliter credat esse contritionẽ; & tunc licet SS. Eucharistia non sit per se instituta ad delendũ peccatũ mortale, delebit tñ per accidens peccata illius, faciendo illũ de attrito contritũ. Simili modo per SS. Eucharistiã iustificaretur ille, qui cũ sufficiẽti attritione fuisset confessus sua peccata, & ab illis absolutus ab eo, qui nõ habebat potestatẽ absoluendi; quod tñ ignorabat pœnitens ignorantia probabili, per SS. Eucharistiã reciperet absolutionẽ à peccatis, quæ remissa fuissent per absolutionẽ, si fuisset sacramentalis; & reciperet primam gratiam. Per gratiam autẽ primam intelligunt Doctores eã gratiam, quæ primo datur alicui eã non habenti: Quòd si deinde talis gratia augeat, illud augmentũ gratiæ non dicitur prima gratia; Et quidem quòd aliquando Eucharistia det primam gratiã; & per ac-

accidens remittat peccatum mortale afferit D.Th.3.p.q.79. ar.3. & Alex. de Ales.4.p.q.4 6.& D.Bonau. in 4.d.9.q. 7.& Gabriel lect.8. super canonem, & est communis DD.opinio,vt videre est apud Victoriam in summa num.76.

8 Quinto quæritur vtrũ Eucharistia remittat peccatum veniale? & an peccatũ veniale impediat gratiam,quæ solet conferri per Eucharistiã? Ad hoc dico primo quòd Eucharistia remittit ea peccata venialia, de quibus non est actualis delectatio tunc, qñ ipsa sumit; & quæ nõ cõmittuntur tunc, qñ ipsa sumitur,vt si quis dũ sumit SS. Eucharistiã,intẽdit dicere postea mẽdaciũ iocosum,illa intẽtio est pecc.veniale,quod non remittit persũptionẽ Eucharistię, quæ fit quando habetur talis intentio.

Dico 2. ꝙ peccata venialia,quæ perpetrata sunt ante cõmunionẽ, non impediũt gratiã SS. Eucharistiæ; & quòd peccata venialia, quæ committũtur in sumptione, non impediunt gratiã, sed tantum impediunt gustũ quendam spiritualem, quem daret Eucharistia si nõ essent talia peccata; Item impediunt feruorem charitatis.

Sed dicet aliquis si Eucharistia remitteret peccata venialia, non esset verum id,quod dicitur in 1. Io. cap.1. Si dixerimus quia peccatum nõ habemus ipsi nos seducimus. Resp.quòd illud intelligitur quantùm ad euidentiam nostram; scilicet quòd nos non possumus scire an simus sine peccato veniali; nã si nõ possumus scire an simus sine peccato mortali, vt probatum est in quæsito antecedenti;multo minus possum⁹ scire an simus sine peccato veniali.Deinde ait D.Th.3.p.q.79. ar.4. Verba D. Ioannis allata non esse ita intelligenda,vt aliquando aliquis non possit esse sine veniali peccato; sed quòd non potest esse per lungum tempus: alioquin sequeretur ꝙ nullus immediatè post hanc vitam posset euolare ad Cęlum, quia qui discedit cum veniali peccato immediatè ad Purgatorium tendit; & postea purgato peccato in cœlum.

Quæritur 6. vtrum per Eucharistiã remittatur pęna peccatis debita?Resp. quòd remittitur, vt dicit Innoc.3. lib. 4.de officio Missæ ca.44. & ratio huius est quoniam per SS. Eucharistiam, (sicut & per cætera sacramenta)nobis applicatur satisfactio passionis Christi: Non tamen semper remittitur omnis pœna;sed maior,vel minor pars pœnę, pro ratione maioris vel minoris deuotionis illius,qui Eucharistiam sumit.

Quæritur vltimo vtrum per Eucharistiam præseruetur homo à peccatis futuris?Resp.affirmatiuè: & patet experientia, nam videmus eos, qui cum deuotione sæpius Eucharistiam sumunt, vt plurimum,non tàm sæpe peccare,sicut alij,qui rarò eam sumunt.

CAPVT OCTAVVM.

De vsu, & sumptione sacramenti Sanctissimæ Eucharistiæ.

1 *An diuersimodè sumi possit sacramentum Sanctissimæ Eucharistiæ.*

2 *An ad salutem necessarium sit hoc sacramentum.*

3 *Quo præcepto teneantur fideles ad sũptionem Eucharistiæ.*

4 *Sumptio illius in primitiua Ecclesia.*

5 *Tempore mortis an vrgeat præceptũ huius sacramenti.*

6 *An illi prærequiratur confessio peccatorum.*

7 *Quibus in casibus possit illa omitti.*

8 *Peccator perseuerans in peccato num sit communicandus.*

9 *Nocturna pollutio an impediat sumptionem Eucharistiæ.*

10 *Quid in hoc consilij sumendum à sanctis Doctoribus.*

Com-

1 IN hoc capite primo, Quæritur utrũ sint plures modi sumendi SS. Euchar istiam? Respond. affirmatiuè ex D. Th. 3. p. q. 80. ar. 1. nam aliqui eã sumunt sacramentaliter tantùm, aliqui spiritualiter tantùm, & aliqui sacramẽtaliter, & spiritualiter simul. Primi sunt, qui ad eam accedunt indignè, cũ conscientia peccati mortalis. Secundi sunt, qui non sunt conscij peccati mortalis, & libenter Eucharistiã sumerent; sed non possunt propter aliquod impedimentum, vt quia vomitum habent, vel quia nõ adest copia ministri. Tertij sunt, qui sine conscientia peccati mortalis Eucharistiam sumunt. Primi recipiunt sacramentum; sed non rẽ sacramenti. Secundi recipiunt rem sacramenti, sed non sacramentum. Tertij verò recipiunt sacramentum, & rẽ sacramenti, quod idem dictum fuit de Baptismo in secunda Parte huius Tractatus.

2 Quæritur utrum sumere SS. Eucharistiam sacramentaliter & spiritualiter simul sit necessarium necessitate salutis? Pro responsione notãdum est quod Io. 6. habentur hæc verba Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis uitam in uobis; & cap. Omnis vtriusque sexus. de pœnitentia, & remissione, præcipitur omnibus habentibus vsum rationis, quod saltem semel in paschate sumant SS. Eucharistiam, & in Conc. Trid. sess. 13. can. 9. habentur hæc verba, Si quis negauerit omnes, & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis, saltem in paschate, ad communicandum, iuxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit.

Atque ex ijs nonnulli existimarunt præceptũ de sumenda SS Eucharistia, esse diuinũ, & humanum: Alij existimarunt esse tantũ humanum, interpretantes verba Christi citata Io. 6. de mãducatione Christi spirituali.

3 Ego omissis multis, quę afferuntur a D. Th. in 3. p. q. 73. ar. 3. ex D. Aug. & explicantur a Soto in 4. sent. ar. 8. q. vnica ar. 3. dico præceptum de sumenda sanctiss. Euchar. secundum se esse diuinum, & ita tenet Sot. in 4. d. 12. q. 1. ar. 11. sed quoniam præceptum de sumenda Eucharistia est affirmatiuum, & præcepta affirmatiua non obligant ad semper, sed tantùm semper, idest loco, & tẽpore opportunis, reliquit Christus Ecclesiæ suę sponsę, vt determinaret quo tempore pręceptum diuinum de sumenda Eucharistia esset adimplendum; sicut pręceptum de ieiunando, pręceptum de sanctificandis diebus festis, & pręceptum de confessione sacramentali sunt diuina, tamen reliquit Christus Ecclesiæ, ut ipsa determinaret tempus, in quo talia pręcepta essent adimplenda: Vnde Ecclesia est illa, quę determinat tali die esse ieiunandum, tali

li die esse cessandum ab operibus seruilibus,& tali tempore, idest semel in anno ad minimum,esse manifestanda peccata Confessario: Et simile est de Sanctissima Eucharistia. Nam licet sit pręceptum diuinum, Ecclesia determinat tempus seruandi tale pręceptum, idest ad semel in anno tempore Paschatis. Et antiquitus ex pręcepto Ecclesiastico fideles sępius SS. Eucharistiam sumebāt, nam in primitiua Ecclesia sumebat quotidie, postea semel in hebdomada, deinde in pręcipuis solemnitatib⁹ anni; postea refrigescente charitate determinauit Ecclesia pręceptum de sumēda SS. Eucharistia saltem ad semel in anno tempore paschatis: & ab illis fidelibus tantum, qui ad ætatē discretionis peruenerunt, licet quotidie in Ecclesia à sacerdotibus pro toto populo Eucharistia sumatur. Quid autem intelligendum sit per tempus Paschatis, idest an per octo dies ante diem Paschatis, & per octo post possit quis Eucharistiam sumere ad seruandum præceptum, & quinam censeantur habere discretionem sufficientem ad sumendum tantū sacramentum, infra dicetur.

5 An verò in tempore mortis teneantur fideles, cum possunt sumere viaticum, idest Eucharistiam; est controuersia apud Doctores. Syl. in sum. ver. Eucharistia. 3. §. 1. & Caiet. in summa verbo, Communio dicit nō esse de pręcepto diuino, vel Ecclesiastico in tempore mortis sumere Eucharistiam, sed tantùm de consilio. Adrian. in 4. d. 9. q. 3. censet esse præceptum, & eum peccare mortaliter, qui tempore mortis, cùm possit, non sumit SS. Eucharistiam. Palud. in eadem d. 9. q. 1. distinguit dicens Infirmum moriturum probabiliter, si paulò ante infirmitatē non sumpsit Eucharistiam, teneri ad eā sumendam in infirmitate; secus si paulo ante sumpsit. Sotus in 4. d. 12. q. 1. ar. 11. inclinat in sententiam Paludani. Ego pro nūc dico cum Syluestro, quia Eucharistia in tali casu datur vt viaticum, idest vt viam muniat; sed gratia Dei, quæ potest haberi per cōtritionē, & alia sacramenta; videtur saltem sufficere ad muniendam viam. vide Concilium Trident. sess. 13. cap. 6.

6 3. Quæritur vtrum necessaria sit cōfessio Sacramentalis, vt quis dignè post peccatum mort. de quo etiam doluit, Eucharistiam sumat? Caiet. in sum. ver. Communio, dicit non esse necessarium. Sed alij omnes DD. dixerunt necessariò prærequiri confessionem sacramentalem ad sumendam Eucharistiā in eo, qui recordatur peccati mortalis, de quo antea nō est rectè confessus, & absolutus; & ita statutum est in Con. Trid. sess. 13. can. 11. in fine cuius canonis dicitur. Quòd si aliquis contrarium asserere, prædicare, docere, aut publicè disputādo defendere ausus fuerit, anathema sit.

7 Excipiuntur tamen nonnulli casus, quorum primus est quando sacerdos tenetur celebrare Missam, & copiam confessarij non habet, vt si parochus plebanus in die festo deberet celebrare, & copiam confessarij non haberet; modò haberet contritionem, posset in tali casu celebrare sine confessione.

Secundus casus est ad euitandū scandalum, vt si sacerdos non celebraret, præberet scandalum, etiamsi non teneretur celebrare, posset celebrare ad euitandum scandalum sine confessione, si non adest confessarius.

Tertius casus est propter reuerentiā Sacramenti, vt si quis iam incępisset celebrare Missam, & deinde recordaretur alicuius peccati mortalis.

Quartus casus est, si quis laicus est cū alijs coram sacerdote, vt se communicet; & tunc recordatur alicuius peccati mortalis, de quo non est confessus; non debet tunc discedere ne alijs scandalum præbeat, sed debet communicare, deinde confiteri. Ita dicunt DD. sed nunc cùm videamus non esse scanda-

dalũ quòd mulier, vel vir deuotus pluries ad eundem Confessarium eadem die, & hora accedat; imò inde generetur bonum exemplum; non esset admittendus hic casus, nisi probabile periculum esset de scandalo.

Quintus casus est si esset mutus ille, qui vult communicare se, vel propter infirmitatem, vel à natiuitate. An autẽ mutus debeat confiteri per signa, dicetur in parte sequenti. Sotus in 4. d. 12. his casibus addit hunc alium, sed reducitur ad alios dictos, si videlicet Pater dubitaret verbi gratia de filia sua, an comiserit aliquod peccatum reseruatũ, puta an rem habuerit cum cõsobrino, qui secum in eadem domo manet, qui aliquas coniecturas habet; & vt de dubio certior fieret, diceret filiæ vt cum Matre die crastina accederet ad Ecclesiam, vt confiteatur peccata sua, & sumat Eucharistiam, quia postea vult cũ illis in ciuitatem discedere; & cognoscit hic pater quòd in illo oppido, vbi est, tantum parochus, qui possit audire confessiones, & quòd non habet potestatem absoluendi à reseruatis, existimans pater quòd si filia non se communicabit, ideò euenit, quia Parochus noluit eã absoluere, eo quòd haberet peccatum reseruatum; In tali casu, inquit Sotus, etiam si parochus eam non absoluat, quia non potest, potest filia se communicare sine peccato ne Pater de eius delicto certior fiat; Idem dicitur de congregatione, in qua omnes sæpè solent communionem sumere; & si aliquis eam non sumeret, redderetur infamatus, ille si non habet copiam confessarij potentis eum absoluere, ad euitandam infamationem cum timore, & tremore, & magna contritione, sine confessione posset se communicare; ita & Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 4.

8 4. Quæritur an sit communicandus peccator perseuerans in peccato? Ad hoc iuxta ea, quæ dixi in prima Parte huius Tract. dico primo quòd talis peccator vel est occultus, vel publicus, vt publicus vsurarius, publica meretrix, vel publicus concubinarius. Secundo dico quòd minister Eucharistiæ vel est parochus, vel alius sacerdos. Dico tertio quòd si est sacerdos non parochus vel est paratus ministrare Eucharistiã, vel non est paratus.

His dictis sit prima propositio, à nullo sacerdote, siue sit Curatus, siue non; siue sit paratus ministrare Eucharistiã siue non, debet ministrari Eucharistia publico peccatori, nisi publicè constet de eius emendatione.

Secunda propositio. Occulto peccatori perseueranti in peccato est danda Eucharistia si eam petit à Curato, vel ab alio Sacerdote parato alijs eam ministrare, si talis peccator palam eam petit: & probant DD. hanc propositionem ex actu Christi, qui communicauit Iudam tunc occultum peccatorem. 1 Et ratio huius est, quoniam peccatoribus occultis non est neganda Eucharistia ad euitandam infamationem, & scãdalum, sicuti prima propositio probatur ex eo, quod dicitur, Nolite sanctum dare canibus neque mittatis margaritas ante porcos; quæ verba intelligenda sunt de peccatoribus publicis.

Tertia propositio. A Curato, & à quolibet sacerdote debet negari SS. Eucharistia occulto peccatori, si occultè negari potest; nec loquimur hic de eo, qui tantùm cognouit aliquod peccatũ per confessionem sacramentalem, nam de eo dicetur in parte sequẽti, quæ erit de sacramento Pœnitentiæ, vbi de sigillo confessionis. Ratio autem cur occulto peccatori sit negãda Eucharistia occultè, si occultè negari potest, est quia in tali casu cessat ratio scandali, & infamiæ: Nec est dicendum quòd peccator petẽdo communionem à curato, petat quod de iure petere potest, quia peccator, qui persistit in peccato, amittit ius petendi Sacramentum Eucharistiæ, cũ non seruet id, quod admonet D. Paulus

Pro-

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.

4. Propositio. Occulto peccatori potest negari Eucharistia à sacerdote, qui non est curatus, nec paratus alijs eã ministrare, etiamsi talis peccator palã eã petat; & ratio huius est, quia talis sacerdos absque periculo scãdali, & infamiæ potest dicere Ego hodie nullos cõicare volo. Secundo, quia talis sacerdos cùm nõ teneatur quemquã communicare, potest Eucharistiam negare etiã iustis, ergo & multo magis iniustis.

9

5. Quæritur vtrum nocturna pollutio impediat sumptionem SS. Eucharistiæ? Pro resp. ad hoc quæsitum notandum est primo, ꝙ duplex põt esse pollutio, alia inuoluntaria, quæ dicitur nocturna communiter à DD. & alia voluntaria.

2. Notandum est quòd pollutio voluntaria rursus duplex est, alia, quæ est peccatum mortale, & est omnis illa, quam committit quis extra copulã coniugalem; & alia, quæ non est peccatũ mortale, & est illa, quæ committitur per copulam coniugalem.

3. Notandum est, ꝙ pollutio inuolũtaria, seu nocturna ẽt duplex est, nã alia est cui data est caussa mortalis in vigilia per aliquã delectationẽ venereã; seu impudica desideria, aut impudicos tactus, seu sermones, vel alio modo; alia est, quæ fit casu sine præcedenti caussa mortali.

His tribus distinctionibus suppositis dicunt quamplurimi Doctores, quòd si pollutio sit voluntaria, aut inuoluntaria cum caussa mortali, impedit sumptionem Eucharistiæ. Sed ego cum Palud. in 4. dist. 9. quæst. 4. concl. 2. & Gabriele lect. 10. in canone, & Gersone de materia celebrationis consideratione 7. & Maiore in 4. d. 9. q. 2. & Sylu. in ver. Eucharistia, & D. Bonau. in 4. d. 12. q. 3. quos citat, & sequitur Victoria in sum. num. 80. dico quòd nulla pollutio nocturna, imò neque voluntaria impedit, ne quis sine peccato mortali possit Eucharistiam sumere, & probatur hac euidenti ratione, nam vel pollutio est peccatum mortale, vel non; Si est pecc. mort. de eo potest pœnitens habere contritionem, & illud confiteri; Si non est pecc. mort. non est necessarium quòd eam confiteatur. Quòd si præcessit eam caussa mortalis, pœnitẽs potest de ea habere contritionem, & eam confiteri, & deinde sumere Eucharist. sicuti si esset peccatũ grauius pollutione, vt blasphemia, vel homicidiũ non impediret sumptionem Eucharistiæ post illius contritionem, & confessionem, ita neque pollutio; Verum quidem est, quòd ob reuerentiam tanti Sacramenti nullus, qui paulò ante est pollutus, debet ad communionem accedere, quia pollutio dicit quãdam immunditiam, & affert mentis distractionem, vnde sancti consulunt quòd polluti per aliquod tempus abstineant à communione, scilicet vsque ad diẽ sequentem, vel per vigintiquatuor horas, & ita consulunt Decreta c. Testamentum, & c. Nõ est, distinct. 7. & hoc nisi fuerit festum aliquod, & ad consequendam indulgentiam, vel caussetur nota aliqua apud vidẽtes, quòd iste nõ celebrat, tunc enim melius erit celebrare; & post concubitum coniugalem Gregorius 33. quæst. 4. cap. Vir cũ propria, dicit quòd si accessit voluptatis caussa abstineat; si autem ratione prolis suo iudicio relinquatur. Sot. in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 7. dicit quòd in collationibus Patrum legitur de quodam, qui in somnijs patiebatur pollutionem singulis noctibus præcedentibus dies festos, in quibus erat communicandus, Quod intelligentes seniores, & existimãtes talem pollutionem prouenire ex illusione Dæmonum, consilium dederunt ei vt se communicaret, & ita Dæmones cùm viderunt technas suas esse manifestatas, cessarunt.

10

11

6. Quæritur vtrũ cõicaturus debeat

eſſe ieiunus? Reſp. affirmatiuè à media nocte; & ita habetur de conſecr.d.2.c. Liquido, vbi & dicitur quòd ita ſtatuerunt Apoſtoli; & d.1.cap.Sacramenta, & cap.Ex parte, dicitur Quòd ſi ob aliquam vrgentem cauſſam ſacerdos in eadem die bis eſt celebraturus, in prima Miſſa non debet ſumere ablutionẽ.

Sed dices primo, Chriſtus dominus ſeipſum, & ſuos Diſcipulos communicauit poſt Cænam. Reſp. quòd Chriſtus cõmunicauit ſe, & ſuos Diſcipulos poſt cœnam in qua comedebatur agnus paſchalis, quia tunc immediatè ante eius paſſionem debebat Euchariſtiam inſtituere, & non ante, propter tres rationes, quas in primo cap. huius partis attulimus.

Secundo dicet quis, quare Apoſtoli inſtituerunt vt ieiuni accederemus ad Euchariſt.? Reſp. primo propter reuerentiam tanti Sacramenti, vt ſcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundo, quia ante cibi ſumptionem ſenſus noſtri intellectus, & imaginatio ſolent eſſe viuaciores. Tertio propter ſignificationem, vt per hoc intelligatur Chriſtum, qui eſt res huius ſacramenti, eiusq; charitatem debere in cordibus noſtris fundari ſecundum illud Mat.6. Quærite primùm Regnum Dei. Quarto propter periculum vomitus, aut ebrietatis, quæ aliquando ex nimio cibi, & potus vſu contingit.

Tertio dicet quis, an in teſtamento veteri præceſſerit de hoc ieiunio aliqua figura? Ad hoc reſp. Sot. in 4. d.12.q.1. art.8. affirmatiuè, quia Leuitici 10. cautum erat ne filij Aaron in Tabernaculum ingreſſuri vinum, aut aliquid, quod inebriare poſſet, ſumerent.

12 Quarto dicet quis, Danturne aliqui caſus, in quibus poſſit dari Euchariſtia non ieiunis? Reſp. quòd dantur, quorũ primus eſt, quando ille, qui eſt ſumpturus Euchariſtiam, eſt infirmus ad mortem, & dubitatur de eius periculo, ne ſine communione diſcedat, vt habetur cap. Presbyter, de conſecr. diſt.2. Similiter ſi condemnato ad mortem nõ conceditur tempus vſq; ad ſequentẽ diem, & non eſt ieiunus.

Secundus caſus eſt quando ſacerdos incæpit Miſſam, & recordatur quòd nõ eſt ieiunus, tunc debet celebrare poſtquàm Miſſam cæpit; etiamſi non ſit ieiunus.

Tertius caſus eſt quãdo ſacerdos dũ celebrat, exiſtimat in calice eſſe vinũ, & eſt tantùm aqua, & dum ſumit animaduertit eſſe aquam; talis enim, etiãſi non ſit ieiunus, vt ſacrificium Miſſæ ſit perfectum, debet iterum in vino conſecrare, & illud ſumere.

Quartus caſus eſt quando ſacerdos, poſtquàm ſumpſit ablutionem in Miſſa, reperit aliqua fragmenta ſuper patenam, poteſt illa ſumere etiam poſt ſumptionem ablutionis.

Vltimus caſus eſt quando ſacerdos, qui conſecrauit, moritur antequàm ſumat Sacramentum; vel ſi propter aliud impedimentum illud non ſumit; alius ſacerdos, ſi adeſt, etiam non ieiunus, debet ſacrificium perficere, & Euchariſtiam ſumere.

13 5. Dicet quis quodnam ieiunium requiritur ad ſumptionem SS. Euchariſtiæ? Reſp. quòd non ſufficit ieiunium eccleſiaſticum, ideſt quòd aliquis non ſumpſerit aliquid per modum cibi, ſed ſumpſerit per modũ medicinæ, aut potus: ſed requiritur ieiunium naturæ ꝙ nihil ſumpſerit nec per modũ cibi, nec per modum potus, nec per modum medicinæ. Nihil tamẽ refert, vt ait D.Th. 3.p.q.80.art.8. Si quis inter lauandam faciem, vel os dimiſerit in ſtomachum minimum quid aquæ, aut ſi fruſtũ carnis, aut alterius rei, quod inter dentes erat à tempore cœnæ, in ſtomachum receperit mane, quia hæc dicuntur recipi per modum ſaliuæ.

6. Dicet quis D.Paul. in 1. ad Cor.11. dicit Cum conuenitis ad manducãdu, ſci-

scilicet corpus Domini, inuicem expectate; Si quis autem esurit domi manducet; Item de consecr. d. 1. cap. Sacramétum, permittitur vt in die Cenæ Domini Eucharistia sumatur post Cenã. Ad hoc resp. Sot. in 4. dist. 12. quæst. 1. ar. 8. quòd antiquitus in aliquibus Ecclesijs semel in anno fiebat repræsentatio Cenæ Domini; & sumebatur Eucharistia post Cenam; & hoc est, quod dicit D. Paulus, & habetur ca. cit. Sacramenta.

14 7. Dicet quis an post sumptionem cibi necessariũ sit dormire ante sumptionẽ Eucharistiæ? & an statim post sumptionem Eucharistiæ possit quis prandere? Ad hoc dico quòd non est necessarium dormire ante sumptionem Eucharistię post sumptionẽ cibi; Si enim quis per totam noctem non dormit nõ ideo non potest Eucharistiam sumere.

Dico secundo, quòd post communionem non est peccatum statim prandere; melius est tamen aliquantulum expectare.

15 Vltimo dicet quis vtrũ sacerdos nõ ieiunus possit celebrare si non darẽtur hostiæ consecratæ, vt infirmi nõ discedant ab hac vita sine viatico? Maior in 4. d. q. 9. 3. in resp. ad 5. arg. dicit quòd potest consecrare; imò dicit quòd si nõ datur tempus, potest consecrare sine celebratione Missæ, & in fermẽtato, si nõ est panis azymus: sed Palud. eadem d. 9. & Victoria in sum. nu. 82. dicunt cum communi DD. opinione quòd in tali casu non debet sacerdos non ieiunus cõsecrare, & quòd nunquam datur casus, in quo sacerdos possit cõsecrare extra celebrationem Missæ. Ratio Maioris fuit quia putauit quòd infirmi essent cõmunicandi ex præcepto diuino, Quòd autem quis ieiunus celebret est tantùm præceptum humanum, & concurrentibus duobus preceptis, altero scilicet humano, & altero diuino, quæ ambo non possint seruari, dimittendum est humanum, vt seruetur diuinum. Sed Victoria, Palud. & alij resp. quòd infirmus nõ tenetur sumere Eucharistiã de iure diuino, maximè si eam sumpserit tempore Paschatis, & idem diximus supra in secundo quæsito ex Caiet. & Syluestro.

16 7. Quæritur vtrum ad sumptionẽ Eucharistiæ requiratur vsus rationis? Respond. ex D. Th. 3. p. q. 80. art. 9. quòd illi, qui nõ habent vsum rationis, sunt in triplici differentia, nam aliqui dicũtur non habere vsum rationis, quia parum habent vsus rationis, vt sunt rudes; alij sunt, qui nunquam habuerunt vsum rationis vt pueri, & amentes à natiuitate; alij verò non habent vsum rationis, sed aliquando illum habuerũt, vt sunt freneci. Primis danda est Eucharistia, secundis non est danda, quia nunquam habuerunt deuotionem, neq; potuerunt diiudicare corpus Domini ab alio cibo. Tertij sunt communicandi si nõ est periculum vomitus, aut alterius irreuerentiæ; maximè si probabiliter cognoscimus quòd peterent eam, si essent sanæ mentis, & quòd quando erãt sanæ mentis habuerunt cõtritionẽ suorum peccatorum; & ita dicunt DD. De pueris autem quòd non sit necessarium illis dare Eucharistiam determinauit Cõc. Trid. sess. 21. can. 4. sub his verbis, si quis dixerit paruulis, antequàm ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionẽ; anathema sit. Nec bene esset eis dare Eucharistiã propter periculum vomitus, vel alterius irreuerentiæ, quæ in illis frequens est.

17 8. Quæritur vtrum sit laudabilius cõmunicare quotidie, necne? Resp. quòd est laudabilius communicare quotidie illis, qui quotidie possunt esse parati ad sumendam Eucharistiam cum deuotione; Hoc autem rarò contingit in laicis propter diuersas occupationes rerũ sæcularium, ac proinde non multi laici sunt quotidie cõmunicandi, sed pauci; & alij sæpè aut rarò sunt communicandi prout possunt esse parati ad Eucharistiam sumendam sæpè, aut rarò.

Sacerdotes verò debent quotidie celebrare, nam id laudabilius est, sed debēt etiam esse quotidie parati ad celebrandum, itaut dignè possint celebrare; & ratio huius est quoniam communio Sacerdotis nō tantùm pro ipso valet, sed etiam ex opere operato, quatenus est pars sacrificij; Operatur meritum, & satisfactionē in quolibet orthodoxo, seu catholico existente in gratia, Quare quando sacerdotes nō celebrant, Ecclesia priuatur maximo bono, vt dicetur infra in vltimo cap. Nulla tamen ratione vnquam laicus est bis in eadem die communicandus. De Sacerdote verò quando possit bis in eadem die celebrare, dicam infra eodem cap. vltimo.

18 9. Quæritur quo tempore teneatur quis sumere Eucharistiam? Resp. ex c. Omnis vtriusque sexus. de Pœnitentia, & remissione, omnes teneri communicare se tempore Paschatis. Tempus aūt Paschatis, vt dictū est supra quæsito 2. & vt determinauit Eugen. 4. prout refert Armilla ver. communio. §. 3. & Nauar in Manu. c. 21. nu. 45. per octo dies ante diem Paschatis, & per octauā Paschatis intelligitur. Quare vel in hebdomada sancta, vel in octaua Paschatis vnusquisque tenetur se communicare, nisi ex caussa rationabili de consilio Cōfessarij tempus prorogetur. Ad hoc tamen præceptum seruandum tantùm tenentur illi, qui habent vsum rationis, qui vsus rationis, quantùm sufficit ad sumendam Eucharistiam, in pueris tūc incipit quando incipiunt diiudicare inter corpus Domini, & alium cibum, & hic vt plurimum est post decimum annum, vel duodecimum, prout experiētia docet, & vt dicit Dom. Sot. in 4. sent. d. 12. q. 1.

19 10. Quæritur vtrum ille, qui ex negligentia non cōmunicauit tēpore Paschatis, teneat sub pęna peccati mort. se communicare post tale tempus ante aliud Pascha? Ad hoc resp. Armilla ver. communio. §. 6. quod non; quod posset probari hac ratione, Ille, qui nō ieiunauit in Quadragesima, non tenetur postea ieiunare pro Quadragesima: ita ille, qui non communicauit in Paschate, non tenetur cōmunicare se ante aliud Pascha: Secus autem ait Armilla, si aliquis distulisset communionē ex aliqua rationabili caussa, vel de consilio Confessarij post tempus Paschatis: Idem dicit Archiep. Flor. 2. p. tit. 9. cap. 9. §. 4. Sed ego non intelligo quomodo teneatur se communicare post tempus Paschatis ille, qui ex rationabili caussa non potuit se communicare tēpore Paschatis, & non ille, qui ex negligentia non se communicauit; Quare ego dicerem quòd nec ille, qui ex rationabili caussa non potuit se communicare tēpore Paschatis, tenetur se communicare post sub pœna peccati mortalis; licet optimè faceret si se communicaret; sicut ille, qui non ieiunauit in Quadragesima ex rationabili caussa, non tenetur post Quadragesimā ieiunare pro Quadragesima præterita; & ille, qui non audiuit Missam die S. Ioannis, non tenetur postea audire Missam pro illa die: Si verò quis de consilio Confessarij distulisset communionem durante tempore prorogationis tenetur se communicare, quia totum illud tempus eidem habetur pro tempore Paschatis.

20 11. Quæritur vtrum laici sint communicandi sub vtraque specie? Resp. quòd non; & hoc interdictum est sub pœna excommunicationis in Concil. Constantiensi, & Basiliensi; & ratio huius est primo propter periculum effusionis sanguinis. Secundo, quia vinum in Calice non potest commodè seruari, sicut hostiæ cōsecratæ; Tertio, quia vinum est multis horridum, & non de facili vbique reperitur: Sacerdotes verò propter nullam caussam, quando celebrant vmquam debent se communicare sub altera tantùm specie; & ita cautum est cap. Comperimus, distinct. 2. de consecr. Et ratio est, quia in Missa

sa debet fieri perfecta repræsẽtatio passionis Christi, in qua fuit separatus sanguis à corpore: Quare ad perfectum sacrificium requiritur, vt vtrũque consecretur, & sumatur; nam perfecta ratio sacrificij cõsistit in consecratione, oblatione, & sumptione, vt dicetur infra in vltimo capite. Quando verò extra Missam vult se communicare Sacerdos, nulla ratione debet se cõmunicare sub vtraque specie; sed debet se communicare, vt laici, nec debet Sacerdos extra Missam seipsum communicare proprijs manibus, sed debet ab alio cõmunionem sumere vt laicus. Caietanus tamen in sum. dicit quòd in articulo necessitatis, vt tempore pestis, possit Sacerdos seipsum extra Missam communicare.

21 12. Quæritur vtrum Christus seipsum communicauerit? Resp. quòd licet ex sacra scriptura nihil certi de hoc habeatur, credendum tamen est quòd Christus seipsum cõmunicauerit, quia Christus ipse prius fecit ea, quæ nos facere voluit, iuxta illud Act. 1. Cępit Iesus facere, & postea docere; vnde sicut voluit baptizari, ita & communionem sumere, quia volebat vt nos baptizaremur, & Eucharistiã sumeremus; ita D. Hieronymus, vt refertur de consecr. d. 2. cap. Nec Moyses, vbi dicit D. Hieronymus hæc verba, Christus Dominus ipse conuiuium, & conuiua; ipse, qui manducat, & qui manducatur; Idem dicit Glossa cap. 3. libri Ruth. & D. Th. 3. p. q. 81. ar. 1. vbi & refert hos versus in respon. ad primum argumentum.

Rex sedet in cęna turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Sed dicet aliquis Ille, qui manducat habet cibum in seipso: ergo si Christus se communicauit fuit in seipso. Resp. quod verissimum est, nam vt supra dictum est, Christus ibi est vbi sunt species consecratæ, si ergo species consecratæ fuerunt in ore Christi, fuit in ore Christi, & ipse Christus: & si Christus potuit esse in suis manibus quando cõsecrauit, potuit etiam esse in ore suo.

2. Dicet aliquis si Christus se cõmunicauit, vel se communicauit sacramẽtaliter tantum, vel sacramentaliter, & spiritualiter simul; non primum quia vt supra diximus in primo Quæsito, illi se communicant sacramentaliter tãtum, qui accedunt ad Eucharistiam cum cõscientia peccati mortalis; neque secundum videtur, quia vt dictum est ibidẽ, illi se communicant sacramẽtaliter, & spiritualiter simul, qui sacramentum, & rem sacramenti, idest gratiam recipiunt: At: Christus ex communione non potuit habere primam gratiam, neque augmentum gratiæ, quia in instanti conceptionis suæ fuit plenus gratia. Resp. Christum dominum se communicasse sacramentaliter, & spiritualiter non quidem recipiendo gratiam, sed delectationem quãdam, & gustum spiritualem iuxta illud Lucæ 22. Desiderio desideraui hoc Pascha vobiscum manducare; quæ verba à D. Eusebio interpretantur de manducatione Sanctissimæ Eucharistiæ, quæ facta fuit in vltima Cęna, vt ait D. Tho. quæst. 81. art. 1. ad 3.

Vltimo quæritur vtrũ Christus cõmunicauerit Iudam? Respond. quòd de hoc est duplex opinio. Prima fuit D. Hylarij dicentis Christum non communicasse Iudam, vt videre est apud D. Th. in 3. p. q. 71. ar. 2. Secunda opinio est aliorum DD. maximè D. Dionysij Areop. de ecclesiast. Hierar. cap. 3. D. Chrys. hom. 13. super Io. D. Aug. tract. 62. super Io. qui dicunt Christũ cõmunicasse Iudam; quæ opinio fuit etiã D. Th. art. 2. cit. & aliorum Scholast. in 4. vt videre est apud Sotum, & ratio eorum est quoniam si Christus Iudã non cõmunicasset, dedisset exemplum Pręlatis, & alijs Sacerdotib. nõ cõmunicãdi peccatores occultos. Ratio verò D. 22

Hyla-

Hylarij potissima est, quia Iudas, vt ipse ait, iam recesserat quando Christus Apostolos cõmunicauit, quod videtur elici ex verbis Euangelij D Io. vbi dicitur quòd postquã Iudas sumpsit panẽ intinctum introiuit in eum Sathanas, & recessit, & Apostoli existimarunt q̃ iret emptum aliquid, quia loculos habebat: vbi omnes DD. dicunt, vt videre est apud Sot. in 4. sent. & D. Th. art. cit. quòd panis intinctus non erat SS. Eucharistia, nam Christus non intinxit panem, quo Apostolos communicauit; sed quomodocunque sit probabilius est quòd Christus Iudam cõmunicauerit, tum quia est communis opinio DD. tũ quia id videntur innuere alij Euangelistæ; & D. Aug. interpretatur panem intinctum nõ intinctum aliquo liquore, sed pinguedine charitatis Christi. Sot. dicit quòd paulò ante Christus communicauit Apostolos & Iudam, quàm Iudæ porrexerit panem intinctum. Alij dicunt quòd statim Christus communicauit Apostolos postquàm Iudę porrexit panem intinctum, & quòd quando communicauit Apostolos, etiã communicauit Iudam, & tunc in eũ intrauit Sathanas; nam licet SS. Eucharistia de se afferat optimum bonum, malè tamen sumentibus est ignis inferni propter defectum sumentis; est enim vnum ex grauissimis peccatis sumere Eucharistiam indignè.

23 Quod si dicas cõmunicauitne alios Apostolos Christus? Resp. affirmatiuè, & de hoc nulla est dubitatio, nam id apertè testantur Euangelistæ, maximè D. Mat. cap. 26. cùm dicit quòd Christus dedit panem discipulis suis dicens Accipite, & comedite Hoc est corpus meum.

CAPVT NONVM.

De Ministro Sacramenti sanctissimæ Eucharistiæ.

1. *Minister Eucharistiæ sitne sacerdos solus.*
2. *Possitne eadem hostia à pluribus Sacerdotibus consecrari.*
3. *Possitne solus sacerdos Eucharistiam alijs ministrare.*
4. *An hoc & possint Diaconi.*
5. *An & mali sacerdotes.*
6. *Missa boni sacerdotis an plus prosit, quàm mali.*
7. *An possit sacerdos omnino à celebratione abstinere.*
8. *Quid si sacerdos nullum habeat titulum beneficij.*

1 IN hoc cap. 1. Quæritur vtrum soli sacerdotes possint SS. Eucharistiã conficere? Resp. secundum communẽ omnium catholicam fidẽ affirmatiuè, & ideo dicuntur sacerdotes, idest sacra dantes, & sacrificia conficientes, & idẽ de fide statutum est c. Firmiter de summa Trinitate; ac in Concil. Flor. & in multis alijs sacrorum Conciliorum canonibus, & Pontificum decretis: Ratio autem huius est, quoniã ad consecrandum necessariò necessitate Sacramenti requiritur potestas quædã ordinis, quæ est character sacerdotalis; Quam si aliquis putaret se esse sacerdotem, & tentaret consecrare, consecratio non teneret, quia illi deesset character sacerdotalis, idest potestas consecrandi; non tamen peccaret si esset in bona fide; & ille laicus, qui communicaretur cũ hostijs, quas credit à tali esse consecratas, reciperet gratiam non ex opere operato, idest ex vi sacramenti, quia id quod recipit non est verè Sacramentum; sed ex opere operantis, idest propter bonã ipsius fidem, & deuotionem: ita ait, & Sylu. in sum. ver. Eucharistia 2. §. 2. Ille

verò

verò mortaliſſimè peccaret, qui ſciens ſe non eſſe Sacerdotem, auderet celebrare, & conſecratio illius non eſſet valida; licet ſumẽtes ab eo hoſtias, quas exiſtimarent eſſe conſecratas, bona fide, & deuotione gratiam conſequerentur ex opere operantis, vt dictum eſt.

2. Quæritur vtrum plures ſacerdotes poſſint vnam, & eandem hoſtiam conſecrare?

Ad hoc dico primo, quòd plures Sacerdotes poſſunt vnam, & eandem hoſtiam conſecrare eodem tempore, vel etiam diuerſis temporibus ſi intendant ſinguli ſingulas partes illius hoſtiæ cõſecrare, itaut vnuſquiſque determinet quam partem velit conſecrare, vt ſi per atramentum, vel aliud ſignum ſignarẽtur duæ partes hoſtiæ, vnus ſacerdos poteſt conſecrare vnam partem illius hoſtiæ vt eam, quæ eſt verſus Orientẽ ſi idipſe intendit; & alius ſacerdos poterit eodem tempore, vel poſtea aliam partem conſecrare, imò & tertius ſacerdos poterit conſecrare eam partẽ, quæ eſt atramento tincta.

2. Dico quòd poteſt fieri vt vna, & eadem hoſtia conſecretur à duobus Sacerdotibus hoc modo vt primus ſacerdos intendat cõſecrare partem aliquã determinatam illius hoſtiæ, alius verò ſacerdos intendat aliam partem conſecrare, quæ non eſt conſecrata, quæcunque illa ſit.

3. Dico quòd plures ſacerdotes, & ſinguli poſſunt vnam, & eandem totã hoſtiam conſecrare, ſi ſimul proferant verba conſecrationis, cum intentione conſecrandi totam hoſtiam, & ſic vnuſquiſque illorum conſecrabit totam hoſtiam, vt ſupra dixi de Baptiſmo, quòd verus eſſet Baptiſmus collatus à pluribus, qui ſimul protulerunt verba formæ ſinguli intendentes baptizare, & abluentes.

4. Dico, quòd ſi multi ſacerdotes volunt eandem totam hoſtiam conſecrare; itaut ſinguli totam conſecrent, ſi caſu eueniat, vt non omnes ſimul proferant verba, ille ſolus conſecrauit, qui prius protulit verba vt ſup. dictum eſt de baptizantibus in Parte ſecunda huius Tractatus, quòd ſi plures, & ſinguli volunt eundem baptizare, & eorũ vnus primus profert verba, & abluit, ille ſolus baptizat, quia licet plures poſſint eũdem baptizare, nullus tamen poteſt baptizatum baptizare, Ita licet plures Sacerdotes, & ſinguli poſſint eandem totam hoſtiam conſecrare, nullus tamen poteſt eandem hoſtiam iam conſecratam conſecrare.

Quare dicunt aliqui DD. quòd in illis Diœceſibus, in quibus ſacerdotes nuperrimè ordinati ſimul cum Epiſcopo ordinante recitant canonem deberent tales Sacerdotes habere intentionẽ cõſecrandi ſi ſimul proferuntur verba cõſecrationis cum Epiſcopo; ſecus ſi ante, vel poſt: nam ſi habent intentionem abſolutam conſecrandi, ideſt ſi habent intentionem conſecrandi etiamſi proferant verba antequàm Epiſcopus ea proferat, Epiſcopus non conſecraret ſi ipſi proferrent verba priuſquàm Epiſcopus proferret, quia iam hoſtia eſſet conſecrata; & ſi Epiſcopus cognoſceret aliquem Sacerdotem protuliſſe verba conſecrandi cum abſoluta intentione conſecrandi committeret ſacrilegiũ ſi tentaret conſecrare, quod iam conſecratum eſt, ſi tamen bona fides cum excuſaret neſciens videlicet Sacerdotẽ protuliſſe verba cum intentione abſoluta non peccaret. Pari modo ſi Epiſcopus proferret verba conſecrationis, & deinde alij Sacerdotes cum intentione abſoluta conſecrandi committerent ſacrilegium ſi ſcirent Epiſcopum iã conſecraſſe, quia intendunt conſecrare hoſtiam iam conſecratam. Quare, vt dixi, tales ſacerdotes debent habere intentionem conſecrandi conditionatã, ideſt ſi ſua verba conſecrationis concurrant ſimul cum verbis Epiſcopi ſaltem quantùm ad vltimum punctũ tem-

po-

poris, in quo profertur vltima syllaba formæ. Et idem dicendum est de Episcopis quando plures concurrunt ad ordinandum alium Episcopum, & volunt simul eandem hostiam consecrare. Nec dicendum est vt dicũt aliqui DD. quòd vnusquisque possit consecrare ex Sacerdotibus multis eandem hostiam simul cum Episcopo si intendunt vt effectus formæ ab ipsis prolatæ sit quando Episcopus protulerit sua verba, siue ante Episcopum proferant, siue non, quia vt optimè dicit Caiet. in sum. ver. absolutio, effectus sacramentorum nõ potest suspendi, atque ita si statim ac prolata est forma non est sacramentum per illã formam, nec poterit esse postea.

3 3. Quæritur vtrũ solus Sacerdos possit Eucharistiam alijs ministrare? Resp. solum sacerdoté ex officio posse alijs Eucharistiam ministrare, & ita habetur de consecr. dist. 2. cap. Peruenit. Antiquitus autem quando laici sumebant Eucharistiam sub vtraque specie, Diaconi ministrabant sanguinem, non autem panem consecratum quoniam sanguis quando ministrabatur, non immediatè tangebantur species vini, sed tangebatur calix; Species verò panis immediatè tanguntur quãdo ministratur corpus Christi sub illis.

4 Possent autem etiam nunc Diaconi in casu necessitatis de licentia proprij Sacerdotis, aut Episcopi Eucharistiã sub specie panis ministrare, si sacerdos est ita impeditus, vt ipse eam ministrare non possit, ita Victoria in sum. nu. 88. Imò ait Armil. ver. Communio nu. 21. quòd etiam in casu necessitatis posset Diaconus ministrare Eucharistiam sub specie panis sine licentia Sacerdotis expressa, puta si sacerdos esset absens.

5 4. Quæritur vtrum malus sacerdos possit Eucharistiam consecrare? Resp. affirmatiuè siue sit occultus peccator, siue publicus; siue sit interdictus, siue suspensus, siue excommunicatus, siue hæreticus, siue apostata, siue degradatus; & ratio huius est quoniam ex eo, quòd semel habuit characterem, idest potestatem consecrandi, non potest illa priuari, quia character est indelebilis; Vnde licet praui sacerdotes de iure nõ possint celebrare, si tamen celebrãt cum intentione consecrandi, & cũ debita materia, & forma, consecratio teneret; licet mortalissimè peccarent; & in hoc errauit Mag. sent. in 4. dist. 13. dicens Hæreticos, schismaticos, & degradatos non posse consecrare, qui deceptus fuit ex verbis D. Cypriani, qui putauit eos non conficere vera sacramenta; vnde volebat baptizatos ab illis esse rebaptizandos: sed de hoc fusius egimus in 2. Parte huius Tractatus, & in 1. vbi de ministris sacramentorum.

6 5. Quæritur vtrum Missa mali Sacerdotis tantum valeat quantum Missa boni? Armil. in sum. ver. Missa. nume. 34. dicit apertè quòd Missa boni Sacerdotis orantis in persona Ecclesiæ magis prodest alijs, quàm Missa mali sacerdotis, & pro se citat D. Th. & affert hanc rationem, quia instrumentum aliquod tantò melius operatur, quantò magis est idoneum, & perfectum: ergo sacerdos, qui est instrumentum Dei in sacrificio Missæ tantò magis operabitur pro alijs, quantò melior erit. Ego verò ex D. Th. 3. p. quæst. 82. art. 6. dico tria; primo quòd si consideretur sacrificiũ Missæ prout est sacramentum vel sacrificium, non magis prodest alijs Missa boni Sacerdotis, quàm mali, quoniam sacrificium, & Sacramentum non operatur in virtute ministri, sed operatur ex opere operato, idest ex vi propria illi à Deo concessa, sicut non obest plantæ si agricola, qui eam plantauit, vel ligauit non habet probos mores.

2. Dico, quòd si considerentur orationes in Missa, prout prouenium à sacerdote bono; & cum magna deuotione eas proferente quatenus est persona priuata tunc non est dubium quin Missa

sa boni Sacerdotis nõ magis alijs prodest, quàm Missa mali, primo quia habetur in prima quæst. prima. cap. Ipsi Sacerdotes quantò magis boni, & Deo chari sunt, tantò magis possunt populo in suis necessitatibus subuenire per orationes apud Deum, sicut quantò magis aulicus est amicus Principi, tantò maiores obtinebit gratias pro alijs.

Tertio dico, quòd si considerentur orationes Missæ, prout dicuntur in persona Ecclesiæ, non magis prodest alijs Missa mali Sacerdotis, quàm boni, quia non respicitur à Deo persona, per quam fiunt orationes; idest Sacerdos quando orat in persona Ecclesiæ, vt Minister ipsius Ecclesiæ, sed magis respicitur ipsa Ecclesia, quæ per Sacerdotem orat; & dant exemplum Theologi de eo, qui pro aliquibus puta defunctis dat eleemosinam per seruum iniquum pauperibus, quæ eleemosina licet non prosit seruo, quia iniquus, prodest tamen illis, pro quibus datur, quia datur ab illo, qui habet bonam intentionem, licet mediante seruo iniquo; Item dant exemplum Theologi de Horis canonicis, quæ licet recitentur à Sacerdote iniquo, valent tamen pro illis, pro quibus recitantur, quia recitantur in nomine Ecclesiæ. Dicendum ergo est quòd omnibus consideratis magis prodest Missa boni Sacerdotis, quam mali, ex ijs, quæ retulimus in secundo Dicto.

7 Vltimo quæritur vtrum liceat Sacerdoti omninò cessare à celebratione? Videtur enim ꝙ liceat si nullam habeat capellaniam, aut titulũ aliquem Beneficij, propter quem aliquando teneatur celebrare. D.Th.3.p.q.82. ar.10. Durã. Riccar. & Palud. in 4. sent. dis. 13. Syln. Armil. Ang. & alij Sumistæ in ver. Missa in suis summis dicunt non licere Sacerdoti à celebratione omnino cessare, nisi sit ita impeditus, vt nõ possit celebrare, puta si brachijs caret, vel est cęcus, & Sot. probat hanc opiniõẽ in 4. sent.d.13.q.1.ar.10. primo quia quãdo Christus Matth.26. dixit Sacerdotibus Hoc facite in meã cõmemorationẽ, per verbũ (facite) videtur dedisse præceptũ Sacerdotibus vt celebrarent. 2. Lucæ c.19. ille seruus, qui nõ est vsus talento sibi tradito, proijcitur in tenebras inferni: ergo & Sacerdos, qui non vtitur potestate sibi data ad consecrandũ vt dignus, vt proijciatur in tenebras exteriores. Tertio vox populi vox Dei, sed Sacerdotes, qui nũquã celebrãt, pessimè audiunt apud populũ, & scandalizant populũ: ergo signum est quòd peccant nunquam celebrando. Quarto, & vltimo dicit D. Ambr. in quadã oratione, Domine malum est, quòd non puro corde, & manibus innocentibus ad tuam mensam accedamus, sed peius est si non accedamus, vt refert Sotus.

Sed dicet quis estne peccatũ mort. nũquã celebrare in eo, qui nõ habet capellaniã, vel titulũ Beneficij obligantẽ ad celebrationẽ? Caiet. in cõm. sup. art. cit. D.Th. & Vict. in sum. Sacram. n.93. dicũt esse tantũ veniale peccatũ, & existimãt idẽ tenuisse D.Th. sed Ricc. Pal. & Duran. cũ Soto d.13. dicunt esse peccatum mortale; & hoc innuũt rationes supra allatæ, & ita tenendum est.

8 Rursus dicet quis præceptũ de celebranda Missa est affirmatiuũ, sed præcepta affirmatiua nõ obligãt ad semper, sed pro certo tp̃e qũ ergo tenebitur Sacerdos celebrare si nõ habet obligationem ex capellania, vel titulo? Ad hoc resp. DD. cit. Durã. Palud. Ricc. & Sot. d.13. cit. & D.Th. ét ar.10. cit. ꝙ tribus anni diebus, in quib⁹ ante capitulũ oĩs vtriusq; sexus, De Pœnit. & remiss. tenebatur vniuersus populus cõmunionẽ sumere, i. in die Natiuit. D.N.I.C. In die Penthecostes, & in die Paschatis; quod intelligendum est si sacerdos nõ est impeditus in illis tribus diebus, vel si paulò ante non celebrauit; vel si non haberet aliquam censuram; & per ipsum nõ stat quin ab ea absoluatur.

CAPVT DECIMVM.

De ritu Sacramenti Sanctissimæ Eucharistiæ.

QVoniam ritus, quo consecratur sanctissima Eucharistia, est Missa; In Missa enim tantum licet conficere Eucharistiam, vt dictum est in cap. 8. antecedenti; ideò si volumus agere de ritibus consecrationis sanctissimæ Eucharistiæ necesse est, vt de Missa agamus. 1

In hoc ergo cap. primo quæritur quid significet hoc nomen Missa? Resp. ex Sot. lib. 4. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 1. quod aliqui dixerunt Missam dici à mittendo, quia antiquitus neophyti, seu cathecumeni admittebantur in aliquibus anni solemnitatibus ad audiendam Missam in Templis, vsq; ad lectionem Euangelij, sed non ad sacrificium ipsum, & propterea dicebatur à Diacono ante offertorium palam Si qui sunt hic Cathecumeni recedant; & propterea, quia foras mittebantur Cathecumeni post Euangelium dicta est Missa à mittendo, Ita aiunt apertè Isiodorus, & Remigius in suis libris de officio Missæ. Aliqui alludentes ad hoc idem dixerunt quòd Missa dicitur à mittendo, quoniam in Ecclesia Romana quando canitur Ecclesia in fine Missæ, ante initium Euangelij D. Ioannis, toti populo dicitur Ite Missa est, idest Ite Missa est perfecta.

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 8. cap. 14. quem etiam refert Armilla verb. Missa in principio, dicit quòd Missa dicitur à mittendo eo quòd a Sacerdote, seu potius à populo per Sacerdotem

dotem in Missa hostia Deo Patri transmittatur. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 110. dicit nomen Missæ esse hebraicũ, seu secundum aliquos ex hebræo, & caldeo conflatum, nam dicitur Missa quasi Missach, Missach autem in lingua, quæ nec est purè caldæa, nec purè hebraica, sed mixta ex hebraica, & caldæa, significat oblationem quandam spontaneam. Sed quicquid sit de nomine Missæ, nam interpretationes dictæ optimæ sunt; Dicendum est quòd nos nomine Missæ intelligimus oblationẽ Christi Domini, quæ fit à Sacerdote, mediante consecratione panis, & vini, quæ conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, quæ oblatio fit Deo Patri in memoriam SS. passionis. Et licet Missa sit tantùm consecratio corporis, & sanguinis Christi, & horum oblatio, & sumptio, vsus tamẽ obtinuit vt omnes solemnitates orationum, canticorum, lectionum tàm Epistolæ, quàm Euangelij, quæ fiunt circa consecrationem, oblationem, & sumptionem Eucharistiæ dicantur Missa.

2 2. Quæritur quid sit Missa? Respond. quòd Missa est actio, in qua sacerdos ex Christi institutione, in memoriam eius SS. Passionis, panem, & vinum in eiusdem corpus, & sanguinem consecrat, & illa sub speciebus panis, & vini Deo Patri offert, & immolat.

Dixi primo (actio) quia Missa est actio, seu actus quidam, qui fit a Sacerdote.

Dixi secundo (in qua Sacerdos) quia vt supra diximus in c. antecedenti Quæsito primo solus Sacerdos SS. Eucharistiam cõsecrare potest, ac proinde Missam celebrare.

Dixi tertio (ex Christi institutione) quia, vt dictum est in cap. antecedenti Quæsito vltimo Christus postquam instituit SS. Eucharistiam, iussit Discipulis, vt idem facerent.

Dixi quarto (in memoriam eiusdẽ SS. passionis) quia Christus dixit, vt idem facerent idest & ipsi consecrarẽt in memoriam suæ passionis, & in Canone Missæ legit sacerdos in persona Christi, Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis, mortẽ meã annunciabitis &c.

Dixi quinto (panem, & vinũ in eiusdem corpus, & sanguinem consecrat) quia in Missa panis & vinum transubstantiantur in corpus & sanguinẽ Christi, vt ostensum est supra cap. 4. & duobus sequentibus.

Dixi sexto (& illa sub speciebus panis, & vini Deo Patri offert) quia Missa est verissimum sacrificium incruentum, in quo idem Christus Deo Patri offertur, & immolatur; qui semel per sacrificium cruentũ in ara Crucis Deo Patri seipsum obtulit pro peccatis nostris, & totius Mundi.

Dixi vltimo (& immolat) quia ad sacrificium Missæ, præter consecrationem, & oblationem, requiritur sumptio, vt mox dicetur in quarto quæsito.

3 3. Quæritur vtrum Missa sit verè sacrificium? Resp. quòd de fide est contra impios Hæreticos, Missam esse verè, & propriè sacrificium; & ita statutum fuit in Cõc. Trid. sess. 22. can. 1. & can. 3. & probatur, quoniam in nostra Ecclesia sunt Sacerdotes, sacerdos autem à sacrificando dicitur: ergo & in nostra Ecclesia debet esse sacrificium; sed nullum aliud datur sacrificium, nisi Missa: ergo Missa est sacrificium. & totum hoc argumentum est de fide, nam elicitur ex Conc. Trid. sess. oct. can. 2. vbi & dicitur, quòd Christus instituit Apostolos Sacerdotes illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem. Plures ad hoc idem probandum rationes videte apud D. Th. 3. p. quæst. 83. art. 1. & Sot. in 4. dist. 13. q. 2. ar. 1.

4 4. Quæritur in quo consistat ratio sacrificij in Missa? Resp. quòd de hoc varij varia dicunt, nã aliqui dicunt quòd consistit in oblatione; Alij quòd consistit in oblatione, & sumptione; & alij

O 2 vt

valoris Missæ datur vnicuiq; offerētiū, quatenus offerentes sunt, si sunt decē, quàm si sunt tantùm tres vel duo, vel vnus, qm̄ multiplicatis offerentibus po ti' multiplicatur, inquit Sot. valor Missæ, quàm diminuatur. Sed probabilior est opinio Nauarri, quòd multiplicatis offerentibus diminuatur in singulis valor Missæ quantò magis multiplicantur offerentes, intelligendo quantùm ad illā partē valoris, quam potest applicare Sacerdos pro suo arbitrio, nam cū ea sit limitata, & determinata tanto minores erunt eius partes, quò plures: Ita Nau. in man. cap. 25. num. 92. & 110.

7 Rursus circa eos, pro quibus offertur, notandum est primo quòd illi, pro quibus offertur sacrificium Missæ etiā sunt in multiplici differētia, nā primo generaliter sunt omnes orthodoxi.

Secundo particulariter sunt Papa, Imperator, seu Rex, & Episcopus illius Diæcesis, in qua Missa celebratur, de quib' fit particularis mētio in canone.

Tertio magis particulariter sunt circunstantes celebrationi Missæ.

Quarto particularius sunt illi, ꝓ quibus offertur eleemosina ad celebrādū, seu quibus sacerdos ad libitū suū, particulariter applicat valorem Missæ, quē ipse suo arbitrio applicare potest.

Quinto particularissimè sunt ipsi Sacerdotes; ita Scot. quolib. 20. Maior in 4. d. 45. q. 2. ar. 4. Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 1. Nauar. in man. n. 110. & elicitur ex canone Missæ in principio.

Secūdo notādū est ꝙ de primis, secūdis, & tertijs dicunt cōiter oēs Doctores ꝙ in illis singulis nec augetur, neq; minuitur valor Missæ, quia sit maior, vel minor eorū numerus; & hoc est determinatione Dei, vel Ecclesiæ: Quare si mortuus est Papa non ideo valor maior Missæ dabitur Regi, quia nullus valor datur Papæ; neque si sunt tantū mille orthodoxi in Ecclesia plus valebit Missa pro illis, quàm si essent centū mille, neque si sunt mille circunstantes qñ celebratur Missa minus illis proderit, quàm si essent tantùm decem; Ita communiter omnes DD. D. Tho. Scot. Sot. Caiet. vbi supra, & alij.

Tertio notandū est ꝙ de quartis est tota difficultas, sed probabilior, & in conscientia magis tuta opinio est ꝙ illis multiplicatis diminuatur in singulis valor Missæ, quantùm ad meritū, idest augmentū gratiæ, & satisfactionē, idest diminutionē pœnæ debitę pro peccatis; & ratio huius est, quia pars valoris, quæ datur illis, est illa, quam Sacerdos pro suo arbitrio applicare pōt; quę pars, vt postea ꝓbabitur, necessariò est finita, & determinata; & ꝓpterea eius partes tantò minores erunt, quātò plures. Et licet Caiet. Sylu. Armil. Ange. & quidā Ludouicus de Beia in Diœcesi Bononiensi deffinitor casuū conscientiæ, cōtrariū dicant, eorū tñ opinio est minus tuta in conscientia, & contra communē omnium aliorū DD. opinionē; & vt dicit Nauar. in man. ca. 25. fuit, & est caussa mali, ꝙ inde Sacerdotes aliqui nostris tpibus arripuerūt, & occasio scādali; nā si esset vera opinio Sylu. Caiet. & sequaciū, nullus fraudaretur ex eò, ꝙ Sacerdos reciperet ēt centum pitantias pro vna Missa; & prædictus Ludouicus nō vr posse deffendi à contradictione, dū sequens opinionē Caietani primò, deinde dicit nō posse Sacerdotē accipere plures pitantias excedētes victū vnius diei, vt diuersis applicetur valor Missæ; nā, vt dictū est, si vera esset opinio Caietani, nullus fraudaretē ex eò, ꝙ Sacerdos acciperet ēt cētū pitātias ꝓ vna Missa, nec esset necesse qñ cōpetēs datur eleemosina à singulis, in alijs Missis satisfacere, vt existimauit Ludouicus ipse; & cōtra opinionē Caiet. & Sylu. tenuit Scot. quolib. 20. Maior. ī 4. d. 45. q. 2. art. 4. Dom. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 1. & ait, quòd ante Caietanum quicunque fuerunt Doctores in vsu sequuti sunt opinionem Scoti. Idem tenuit Manuale Sacerdotum vbi agit de san-

sanctissima Eucharistia, & Nau. in Manu. cap. 25. nu. 92. & 110. & omnes alij DD. præter Armillam, Angelum, & Ludouicum citatos. Et idem, quod dicimus de valore Missæ, quantùm ad meritum, & satisfactionem, videtur etiam dicendum quantùm ad impetrationẽ, vt sentit Auctor Manualis sacerdotũ; licet probabilius sit contrariũ quia impetratio non est diuisibilis, & ita tenet summa Corona.

8 Quod si dicas quid sibi vult meritũ, aut satisfactio, vel impetratio? Resp. quòd Missa potest alicui tribus modis prodesse, idest vel per modũ meriti augendo gratiam, quæ in illo est; vel per modum satisfactionis diminuendo pœnam, pro qua quis debet satisfacere; vel per modum impetrationis concedendo gratiam aliquam petitam puta sanitatem, vel conuersionem; & Notandum hic est quòd Missa quantùm ad valorem per modum meriti non prodest Defunctis, quia eorum gratia non augetur, sed tantùm prodest per modũ satisfactionis, vel per modum impetrationis dum gratia à Deo impetratur, puta vt à pœnis purgatorij exeant; vel illis diminuantur. Pro viuis verò, qui sunt in pecc. mort. non prodest Missa per modum meriti, aut satisfactionis, quia tales habent obicem impedientẽ effectum Missæ, quantùm ad gratiam, & satisfactionem; sed illis potest prodesse per modum impetrationis, vt quãdo Sacerdotes celebrant pro peccatore vt Deus illum illuminet, vel conuertat. Viuis autem, qui sunt in gratia Missa prodest per modum meriti, satisfactionis, & impetrationis.

4. Notandum est quòd ratio Caietani, & sequacium, quòd Missa videlicet sit infiniti valoris, & propterea nõ minus prosit vni si celebretur pro illo, & alijs multis; quàm si pro illo tantùm, non est valida, maximè quantùm ad illam partem, quam potest applicare Sacerdos, quia licet Christus, qui in Missa offertur, sit infinitus, gratia tamen, & satisfactio, quæ est per illam, est finita, & determinata, quia alioquin vna Missa sufficeret ad constituendum hominem in summo gradu gratiæ; & ad tollendam omnem pœnam pro peccatis debitam, & ad liberandam omnes animas Purgatorij; Immo vna sola Missa sufficeret ad constituendos omnes homines in summo gradu gratiæ simul, & ad liberandos eos ab omni pœna, & omnes animas Purgatorij; Item vnus sacerdos posset habere plures capellanias, & pro illis per se satisfacere; ita Dom. Sot. lib. 9. de iust. & iure. quęst. 2. art. 2. & in 4. sent. dist. 13. quæst. 2. ar. 1. Nauarr. in Man. cap. 25. num. 92. & 110. D. Tho. in 3. sent. dist. 45. quæst. 2. art. vlt. quæstiunc. vlt. ad vlt. argum. vt cum citat Sylu. ver. Missa. 1. q. 2. §. Sciendum est.

5. Notandum est, quòd ad rationes prædicti Ludouici, ex quibus putat se deducere absurdum cõtra opinionem, quam diximus esse probabiliorem, & tutiorem in conscientia, facilè respondetur per ea, quæ dicta sunt in duobus præcedentibus notandis; & certè maiora sunt absurda, quæ sequuntur ex eius opinione, vt dictum est in præcedenti notando.

Quòd si dicat Ludouicus, quòd si vnica aspersione baptizentur plures vnusquisque recipit gratiam, ac si solus baptizaretur. Respondendum est cum Dom. Sot. in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. & clarius in 9. de iust. & iure. q. 2. quòd nõ est par ratio de eo, qui plures baptizat; ac de eo, qui pro pluribus Missam celebrat; nam quando quis vnica aspersione plures baptizat sunt plura Baptismata; & tot, quot personæ baptizatur; nõ ita si Missa pro pluribus dicatur, sunt plures Missæ.

9 Atque ex dictis inferuntur hæc primo quòd pro vna Missa non possunt accipi plures pitantiæ, si illi, qui eas offerunt, singuli intendunt vt meritum, vel satis-

ſatisfactio ipſius Miſſæ aliquibus certis perſonis applicetur tãtùm; ita Nauarr. in Manu.cap.25.num.110.& 111.& n. 92.Dom.Sot.in 4. diſt.13. quæſt.2. art. 1. vbi & dicit eſſe conſuetudinem, & morem in ſua religione non accipiendi plures pitantias, ſeu eleemoſynas pro vna Miſſa. Neque paupertas celebrantis ſufficit quòd iuſtè ꝑ vna Miſſa duę, vel tres pitantiæ capiantur, tum quia paupertas celebrantis non tollit debitum, quod quis habet ad alterum, tum quia Eccleſia non inſtituit Miſſas ad alendos pauperes; imò ſanxit vt nullus pauper ordinetur, ideſt qui non habeat titulum, ex quo viuere poſſit; Et ſi ordinetur Epiſcopus ordinans tenebitur ipſum alere; & ſi iam ordinatus in paupertatem inciderit debebit victum aliqua arte ſibi quærere, vt habetur cap. Clericus victum, diſt.91.

Secundo infertur, quòd illi, qui habent capellaniam, ſeu aliam obligationem celebrandi pro aliquibus, malè faciunt accipiendo adhuc pitantias, vt eaſdem Miſſas pro alijs celebrent; nam diuidunt valorem, quem totum tenentur applicare certis perſonis; & tutior opinio eſt quòd tales mortaliter peccent, & teneantur ad reſtitutionem.

10 Quòd ſi dicatur quòd ex ſupradictis ſequitur in Eccleſia Mediolan. errore Canonicos, Curatos, Capellanos monialium, & confraternitatum, qui accipiunt eleemoſinam cum celebrantur diuina officia mortuorum in ſuis Eccleſijs, imò & errare ſuperiores, qui id permittunt, nam dicti Canonici, Curati, & cæteri ferè omnes tenentur ad celebrandum. Ad hoc reſpond. poteſt quòd illi, qui faciunt celebrare officia mortuorum cùm ſint conſcij iſtius conſuetudinis cenſentur contenti vt ſuis mortuis applicetur tantùm pars valoris Miſſæ, quem poteſt applicare Sacerdos pro ſuo arbitrio; & illi, qui fundauerunt capellas, vel pro quibus celebrãtur Miſſæ quotidianæ debent & ipſi pati, vt aliquod ſuffragiũ applicetur mortuis quando celebrãtur eorum officia; & ſuperiores in Eccleſia Mediolanenſi id tolerant, quoniam ſi id prohiberent, ferè nunquam poſſent in ea celebrari officia mortuorum cum pluribus Miſſis, nam in Eccleſia Mediolan. ferè omnes Sacerdotes habent aliquam obligationem celebrandi; & videretur non ſatis honeſtum, ſi cùm celebrantur officia mortuorum, eijciendi eſſent Canonici, Parochi, vel Capellani à ſua Eccleſia, & introducendi tantùm exteri; Ad hoc etiam faciunt ea, quæ ſcribit Ludouicus de Beia caſu 12. §. adde ꝙ conſuetudo, & ſuadet ipſa æquitas.

11 Secundo ſi dicatur ſi aliquis dat mihi quinque aſſes vt celebrem, poſſumne ab alio alios quinque aſſes accipere pro eadem Miſſa? Reſp. quòd ſi tu ſcis quòd ille primus, qui dedit quinque aſſes, volebat totum valorem Miſſæ, quẽ tu illi vel ſuis potes applicare, non potes ab illo alios accipere, ſi verò neſcis, debes te conformare æquo vſui Eccleſiæ tuæ; ſi quis æquus eſt. Vſus in Eccleſia Mediol. eſt quòd ſi plures pitantiæ paruæ offerantur debent ſimul componi, & tot Miſſæ celebrari pro rata librarum centum octuaginta imperialium in vno anno ad celebrandum quotidie, ita vt ſint decem aſſes pro ſingula Miſſa, & duo vel tres dandi Cuſtodi Eccleſiæ pro luminibus, clerico, vino, & cætera; æquum enim videtur vt ex talibus eleemoſinis fiant impenſæ pro clerico, luminibus, & cætera.

12 Tertio, ſi dicatur an meritum, ſeu ſatisfactio, quę poteſt applicare Sacerdos, ſit pars ipſius Sacerdotis, an verò alia? Nauar. in Man. cap. 25. num. 110. reſpondet quòd eſt pars, quę Sacerdoti obueniret ſi pro ſe, & non pro alijs celebraret. Dom. Sot. in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. & alij dicunt quòd Sacerdos, prę ter ſuam partem, habet aliam, quã pro ſuo arbitrio applicare poteſt: Poſſet autem etiam ſuam applicare alijs quantũ

ad

16 9. Quęritur quibus indumentis debeat se induere Sacerdos, vt celebret? Respond. Secundum omnes DD. maximè ex Sot.l.cit.Armill.ver.Missa.§.6 & habetur in Rubrica in Missali Romano,quòd sex debent esse vestes Sacerdotis celebrantis pręter proprias, quæ sunt Amictus, Alba, Zona, manipulus, Stola, & Casula;Quæ omnes habēt ꝓpria sua mysteria, quia vel significant aliquid passionis Christi, vel aliquam virtutem,quæ debet esse in Sacerdote; sed de iis fusius dicere non pertinet ad nostrum negotium, propterea videndi sunt libri, qui de talibus in ordine ad passionem Christi, vel virtutes tractāt.

17 Sed dicet aliquis,essetne pecc. mort. omittere aliquam ex his vestibus,putà stolam? Ad hoc resp. Sot. q.cit.art.4. quòd si aliquis omiteret data opera, peccaret mort.tamquā contēptor mysteriorum Dei; non autem pecc. mort. si omitteret ex obliuione,vel parua negligentia, non tamen efficeretur irregularis ille, qui celebraret sine aliqua ex dictis vestibus,siuè id faciat sponte,siuè ex aliqua negligentia, siue ex obliuione.

18 10. Quęritur vtrum celebrans debeat habere candelas accensas? Resp. affirmatiuè, & aliter celebrare esset pecc.mort. Itē sub pęna pecc.mort.debet Sacerdos habere calicē nō ligneū, aut vitreū,sed vel aureū,vel argenteū, vel ex ære,si non potest haberi aureus, aut argenteus,& celebrans consecrando in calice ligneo, vel vitreo pecc. mort. quia faceret contra præceptum Ecclesiæ, quę id statuit, quia calix vitreus est fragilis, ligneus verò vinum attrahit; Requiritur etiam ad celebrandum patena, purificatorium, corporale,mappæ duę ad minimum, vel vna tā lunga,aut lata,quę possit plicari. Requiritur etiam lapis consecratus, qui dicitur altare, quod vel est portatile, vel immobile,

19 11. Quęritur vtrum omittens aliquam partem Missę peccet mortaliter? Respon. secundum omnes DD. quòd si omittat partem notabilem scienter, puta Euangelium,aut aliquam partem verborum cōsecrationis,est p.m.Quòd si inaduertenter id facit, non est pecc. mortale,nec tenetur eam repetere post quàm vlterius progressus est, nisi sit verbum de essentia consecrationis; Vnde si quis inaduertenter omitteret dicere Gloria, & post Epistolam aduertit,quòd non dixit Gloria,nō debet replicare; ita dicit Armilla Ver. Missa. §.8.

20 12. Quęritur vtrum liceat aliquando cessare ab incępta Missa? Resp.quòd non, nisi sit rationabilissima caussa, alioquin est peccatum mortale, vt tenent communiter Theologi, & Canonistæ.Quòd si Sacerdos desistat,siuè ex rationabili causa,siuè non,alius Sacerdos etiamsi non sit ieiunus, si adest,deberet Missam perficere, si primus consecrauerat,Secus si non consecrauerat. Vbi autem debeat incipere Sacerdos, videte Missale Romanum in Rubrica. Si verò Sacerdos desistat post sumptionem Sanctiss. Eucharistię sub vtraque specie,non est cur alius perficiat Missā, & hæc à Sacerdotibus debent maximè aduerti, vt adueniente casu non errent.

21 13. Quęritur vtrum Sacerdos possit plures Missas in eadem die celebrare excepto die Natiuitatis Christi Domini propter myst[illegible]ium,quòd ponitur à Theologis, & Canonistis,de quo infra? Ad hoc respon. Alex. Papa cap. sufficit, de cōsec.d.1. vbi ait, sufficit Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare,quia Christus semel passus est; & valdè fęlix est qui vnam Missam dignè celebrare potest. Qui verò pro pecuniis,aut adulationibus sæcularium vna die pręsumunt plures facere Missas nō existimo euadere damnationem; hæc Papa. Atque cap.Consuluisti de celeb. Missarum idem dicit Innoc.3. scilicet quòd excepto die Natiuitatis Domini-

tæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die celebrare. Sed huius occasione Sumistę, vt videre est apud Sylu. ver. Missa §. 7. plurimos coaceruant casus, in quibus idem Sacerdos possit bis in die celebrare, Primus est in Natali Domini, vt dictũ est. Secundus ad sepeliendum defunctum. Tertius ad communicãdum infirmum, si non habetur hostia in pixide. Quartus propter Peregrinos superuenietes. Quintus ꝓpter nuptias. Sextus propter ieiuniũ. Septimus si superueniat aliqua magna persona. Octauus propter paupertatem paręchiarũ, quę inter se sunt distantes, & nõ possunt nisi duę vnũ alere Sacerdotem. Et notandum hic est ex Palud. in 4. sent. d. 12. q. 1. ar. 4. quòd prædictis non obstantibus nunquam licet Sacerdoti pluries in die celebrare, quàm bis, pręterquam in die Natiuitatis, in quo si nocte celebrandum est in ea ab eodem vna tantùm Missa celebrari potest, reliquę verò duę de die. Notandum est quòd nunquam licuit celebrare, nisi ieiuno Sacerdote. Demum notandum ex Soto in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. quòd ex prędictis octo casibus, qui antiquis dum Ecclesia Sacerdotum raritate laborabat, frequentes erant quibus posset vnus bis Missam celebrare, nullus nunc est in vsu, pręter illum de die Natiuitatis. In nostra etiam Mediolanensi Ecclesia nunc nullus ex dictis casibus est in vsu, pręter illum de die Natiuitatis, in qua die tres Missæ celebrantur, prima ad ostendendam ęternam Christi Natiuitatem, quę celebratur in obscura nocte in collegiatis, quoniã ęterna Christi Natiuitas est nobis imperscrutabilis, & intellectui nostro inuisibilis. Secunda dicitur ad ostendendam Natiuitatẽ Christi, quę fit in cordibus nostris per gratiam, & hęc dicitur in aurora, quia incipit in anima nostra lucescere lumen gratię. Tertia dicitur paulò ante prandium ad ostendẽdam Christi Natiuitatem tẽporalem. licet autem tres dicantur Missę in die Natiuitatis, Laicus tamen, vt satisfaciat pręcepto de audienda Missa, satis est vt intersit vni, vt dicunt Casistę omnes.

114. Quęritur verũ peccet mortaliter ille, qui celebrat antequam recitet Matutinũ? De hoc sũt duę opiniones, quarũ prima est omniũ ferè Canonistarũ, qui, vt refert Sylu. in sum. ver. Missa. primo §. 6. dixerunt esse pecc. mor. celebrare Missam antequam Matutinum recitetur; Idem ait Nau. in man. cap. 25. nu. 83. Armil. in sum. ver. Missa. n. 3. & ferè omnes Summistę, & ratio eorum est hęc vna, quia videlicet ita est consuetudo, & consuetudo in rebus, quę pertinent ad animam, habet vim pręcepti. Altera sententia est aliquorum dicentium non esse p. m. celebrare Missam antequam recitetur Matutinũ, & hãc opinionem deffendit Dom. Sot. l. 4. sent. d. 13. q. 2. ar. 2. in fine, & lib. 10. de iust. & iure q. 5. propter duas rationes, quarum prima est, quia nulla est connexio inter Missam, & horas Canonicas: ergo poterit quis celebrare Missam, antequam recitentur horę canonicę, sicuti possunt recitari horę Canonicę ante celebrationem Missæ. Secunda ratio est, Quia etiam si esset connexio Missę cum horis canonicis, non tam esset p. m. celebrare Missam ante horas canonicas, quia neque in ipsis horis canonicis ordo inter ipsas est in præcepto, vt dicunt omnes Summistę, & Canonistę, & videre est apud Caiet. in sum. ver. Hora Canonica; Ex quo fit, vt non sit peccatum mortale recitare primam ante Matutinum, vel Tertiam ante Primam &c. cum tamen inter Matutinũ, Primam, Tertiam, & alias horas Canonicas sit connexio: ergo simili modo etiamsi esset connexio inter Missam, & horas Canonicas non esset p. m. celebrare Missam ante recitationem horarum Canonicarum. Ad rationem verò primę opinionis resp. Dom. Sot. quòd

quòd non omnis consuetudo etiam in rebus spiritualibus, est in præcepto, alioquin sequeretur, quòd ordo horarum Canonicarum esset in precepto, quod negant omnes DD. vt Caiet. in sum. & alij Casistæ in ver. hora Canonica, nam nemo negabit esse consuetudinem, vt recitetur Matutinum ante Primam &c. Deinde sequeretur, quòd ieiuni teneremur sub pęna p. m. audire Missam diebus Festis, quia ita est in consuetudine, quod tamen nemo asserit. Dicendum ergo est tantum illam consuetudinem esse in præcepto, quæ cadit supra rem facientem obligationem de præcepto, vt si esset consuetudo cessandi ab operibus seruilibus in die alicuius Sancti, vel ieiunandi in vigilia alicuius Sancti, tunc illa consuetudo haberet vim præcepti, quia cadit supra sanctificationẽ diei Festi, vel obseruationem ieiunij, quæ est in præcepto.

Ego quidem credo opinionem Soti esse veram propter rationes, quas adducit, & quia ratio contrariæ opinionis non multum valet, vt patet ex responsione Soti, tamen quoniam in praxi tutior pars est eligenda, nisi occurrat aliqua caussa legitima, dicerem opinionem aliorum esse tutiorem. Caussa autem legitima esset repentina necessitas, vel euitatio scãdali, & moueor ad hoc dicendum, maximè cum id videatur admoneri in Missali Romano in tribus locis in Instructionibus Sacerdotis, primo in titulo de preparationibus Sacerdotis ad Missam celebran. in principio. Secundo in titulo de hora celebrandi in principio. Tertio in titulo de defectibus in ipso mysterio occurrentibus, item in principio.

His tamen nõ obstantibus non condemnarem aliquem de p.m. si celebraret ante matutinum recitatum.

25 15. Quæritur in quo loco sit celebranda Missa? Resp. secũdum omnes DD. quòd regulariter est celebran. in Ecclesia consecrata, vel benedicta, Dixi (consecrata, vel benedicta) quoniã non est idem consecrare ac benedicere Ecclesiam; nam consecratio tantum ab Episcopo, benedictio vero de licentia Episcopi ab alio sacerdote potest fieri. Dixi regulariter, quia aliquãdo ex caussa vrgenti de licentia Episcopi potest celebrari extra Ecclesiam etiam sub dio, vt Mediolani fiebat tempore pestis, quod quando fit debet semper fieri cum altari portatili, idest lapide consecrato, & quòd id non possit fieri nisi ex caussa vrgẽte, habetur ex capit. Missarum d. 1. de celebrat. Missæ, vbi & habetur requiri licentiam ab Episcopo.

26 Quòd si dicas, potestnè fieri celebratio Missæ in Ecclesia consecrata polluta? Resp. quòd non, vt dicunt Canonistæ, & summistæ in ver. Consecratio, nisi id fieret de licentia Episcopi quoadusq; ipse posset vel per se, vel per alium Ecclesiam pollutam reconciliare.

Rursus dicet quis, essetnè irregularis ille, qui sine licentia celebraret in Ecclesia polluta ante eius reconciliationẽ? Resp. secundum omnes DD. quòd non, sed esset suspensus, & efficeretur deinde irregularis, si postquam est suspensus iterum celebraret, quia suspensus, sicut & excommunicatus, celebrans fit irregularis.

Rursus dicet quis quibus modis polluatur Ecclesia? Resp. quòd polluitur per effusionem sanguins, & seminis in ea, & si in ea sepeliatur aliquis nominatim excommunicatus, seu hęreticus, aut nõ baptizatus, qui nõ sit in ventre matris. Addunt & aliqui quando Ecclesia est consecrata, aut benedicta, ab Episcopo excommunicato nominatim, & de ijs omnibus fusius dicendum est.

27 Circa effusionem sanguinis in Ecclesia dico quòd ad hoc vt Ecclesia sit polluta per effusionem sanguinis ex doctrina Sylu. in sum. ver. consecratio, requiritur vt talis effusio fiat per vulnus

aliquod illatum ab aliquo cum iniuria Ecclesiæ, vel per mortem illatam, etiamsi non sit effusio sanguinis.

Hinc sequuntur decisiones istius casus, primus est, quòd si aliquis occidit aliquos in Ecclesia, vel vulnerat se deffendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ Ecclesia polluitur.

Secundus est si aliquis casualiter occiditur in Ecclesia, vel vulneratur, nó polluitur Ecclesia.

Tertius est si aliquod lignum cadat supra caput alicuius. Tertius si amens aut canis aliquem occideret sine opere alicuius hominis, vel vulneraret, Ecclesia non pollueretur. Dixi sine operè alterius, quia si aliquis daret óperam vt stultus vel canis aliquem in Ecclesia vulneraret, aut occideret, pollueretur Eccle[illegible].

Quartus casus est si aliquis supra tectum Ecclesiæ occiditur, non polluitur Ecclesia, etiamsi spontè occidatur, quia talis nón occiditur, vel vulneratur in Ecclesia.

Quintus casus est si aliquis vulneratur, vel occiditur in Ecclesia ab alio spontè sine deffensione sui ipsius, Ecclesia polluitur, etiamsi nó effundatur sanguis, si vulnus est graue, vt si aliquis suspēditur, vel vulneratur, & aufertur ab Ecclesia, antequam effundatur sanguis & si aliquis caueret ne sãguis vulnerati cadat in Ecclesia, tunc enim Ecclesia polluitur si vulnus est graue.

Sextus casus est quòd non polluitur Ecclesia si in ea fiat magna effusio sanguinis propter vulnus illatum extra Ecclesiam, si ille, qui vulnus suscepit erat extra Ecclesiam, & deinde statim portatus est in Ecclesiam.

Septimus casus est quòd non omnis effusio sanguinis, etiamsi sit magna polluit Ecclesiam si vulnus non est graue, vt si vnus puer cum alio corrixans illum in naribus percuteret leuiter, & effunderetur multum sanguinis, non ideo pollueretur Ecclesia, vt dicit Victoria in sum. num. 98.

Octauus casus est quòd si alius aliũ percuteret verberibus, sed non inferret vulnus, neque mortem, non pollueretur Ecclesia.

Nonus casus est quòd si aliquis sanæ mentis seipsum occideret in Ecclesia, aut acriter vulneraret, pollueretur Ecclesia; Secus si esset stultus.

Decimus casus est quòd si aliquis martyrem occideret in Ecclesia, Ecclesia pollueretur, quia ad pollutionem Ecclesiæ attenditur praua voluntas offendentis, licet aliquando inde offensus mereatur.

Vndecimus casus est quòd si aliquis in Ecclesia suspenderetur à Iudice propter furtum, & mereretur suspensionē, pollueretur Ecclesia, quia fit iniuria Ecclesiæ; nam licet fures sint suspendendi, non tamen in Ecclesia.

28 Quantum ad effusionem seminis sit hæc regula generalis, quod quotiescũque fit voluntaria effusio seminis humani in Ecclesia, illa polluitur, & quidē de tali effusione nulla est dubitatio apud DD. quomodocumque illa fiat, modò spontè fiat; nam si quis in ea dormiēs id efficeret, nó polluitur Ecclesia.

Dubitatur tamen de effusione, quæ posset fieri cum propria vxore in Ecclesia per copulam carnalem. Aliqui enim dixerunt quòd pollueretur; aliqui quòd non; & aliqui dubitarunt vt Sot. in 4. d. 13. q. 2. & inter eos, qui determinant, est Victor. in sum. num. 98. Ego dico quòd si casus eueniret Ecclesia esset censenda polluta, quia in dubijs tutiór pars est eligenda, quia licet concubitus cum vxore sit licitus, non tamen in Ecclesia.

29 Quantum ad tertium de sepultura excommunicati, dico quòd si sepultus est in Ecclesia nominatim excommunicatus, debet talis exhumari; deinde debet Ecclesia reconciliari antequam

in

in ea fiat celebratio, nisi cadauer ab excommunicatione absoluatur.

Quantum ad casum, in quo Episcopus nominatim excommunicatus benedicit, vel consecrat Ecclesiam, est communis opinio quòd illa Ecclesia remanet polluta donec reconcilietur.

Generatim autem intelligendum est secũdum omnes DD. quòd Ecclesia est reconcilianda tantum quando pollutio est manifesta; Secus quando pollutio est occulta. Vnde non peccaret Sacerdos celebrans in Ecclesia, quam scit esse pollutam occultè, vt per confessionem vel alio occulto modo.

30 Quæritur de aliquibus defectibus, qui possunt occurrere in celebratione Missæ. Et primo si Sacerdos possit Missam perficere si postquã cępit Missam aduertit se esse suspensum, vel excommunicatum, quod antea ignorabat? Resp. quòd si iam cępit consecrare potest, imò tenetur perficere Missam, nec fit irregularis in tali casu, si ante cœptam Missam ignorabat se esse excommunicatum, vel suspensum, quia non dicitur præsumptuosè celebrare, & ita dicunt DD. vt videre est apud Armil. in ver. Missa. num. 13. Si verò non cępit consecrare, dicit Sotus, quod potest prosequi ob reuerentiam sacramenti, non secus ac ille, qui dum celebrat recordatur se non esse ieiunum, vel habere pecc. mort. de quo non est confessus. Alij dicunt ꝙ si potest iste postquam non cępit consecrationem recedere absque scandalo debet recedere; Secus si non potest sine scandalo; nec est periculum irregularitatis, si ante cœptam Missam non animaduertebat se esse excommunicatum.

31 Secundò quæritur quid sit faciendũ si musca, vel aranea quædam, vel aliud animal caderet in calice? Resp. prout legitur in Missali Romano in principio in instructionibus Sacerdotis, quòd si cadit ante consecrationem, debet effundi illud vinum & aliud infundi: Si verò id fiat post consecrationem, dicitur quòd si animal non est venenosum, & non prouocatiuum vomitus, debet diligenter lauari; deinde cõburi, & vinum consecratum debet sumi; Si verò est venenosum, vel prouocatiuum vomitus, debet vinum consecratum in vase aliquo seruari cum reliquijs, & aliud consecrari, animal verò debet comburi, vt supra dictum est; Quòd si hostiam prius sumpsisset, debet Sacerdos aliam consecrare, quia in Missa multæ cęremoniæ fiunt, quæ supponunt hostiã simul, & vinum consecratum, quæ non possent fieri si vinum tantum consecraretur.

32 Tertiò quæritur quid si Sacerdos dũ existimat se sumere vinum consecratũ, reperit esse aquam coctam, vel alium liquorem, non tamen vinum? Resp. ꝙ iterum debet consecrare vinum, & hostiam vt dicunt DD. Sed Sot. dicit ꝙ si iste posset consecrare vinum sine scãdalo, & statim illud sumere, ne populus scandalizetur propter suum errorem, quod posset facere.

Quartò quęritur quid si sanguis consecratus effundatur? Resp. vt habetur in Missali Romano in Instructionibus Sacerdotis.

33 Vltimò quæritur vtrum possit aliquis, qui interest sacrificio Missæ sumere sanctissimam Eucharistiã, ne perdatur; quia forsan in ea Ecclesia in qua celebratur, non est locus, in quo tutò seruari possit sanctissima Eucharistia; vel decenter cum lumine? Ad hoc respondeo quòd aliquis, qui Missæ interest, vel alius, modò paratus credatur ad sumendam sanctissimam Eucharistiam, potest in tali casu hostiam consecratam sumere, si illi detur à Sacerdote; nisi possit transferri decẽter ad Ecclesiam proximiorem, vel ad aliam, in qua commodè seruari possit, & decenter: Imò posset etiam illam hostiam sumere aliquis, qui iam se communicauit, modò sit ieiunus; id-

est

est nec sumpserit purificationem, vt ait Armill. ver. Missa. §. 26. Imò crederem quòd ipse Sacerdos posset talem hostiam sumere etiam post purificationẽ; quia, vt ait Armil. ibidem, maius est præceptum illud quod est de seruanda sanctissima Eucharistia decẽter, quàm de sumenda SS. Eucharistia ante cibũ; ac proinde quotiescunque hæc duo cõcurrunt, debet omitti secundum, vt primum seruetur. Nec est dicendum ꝙ laicus, qui iam se communicauit, non possit talem hostiam sumere, quia nemo potest se bis in die communicare, si est laicus, vt supra diximus; nam talis in tali casu non dicitur bis in die se communicare, nisi per accidens, idest ne perdatur hostia consecrata; sicuti etiam sacerdos non dicitur bis se communicare quando, post sumptionem vini consecrati, sumit etiam hostias consecratas, quæ sunt in pixide; vel, quia species sunt vetustæ, & periculum est ne marcescant; vel quia non est amplius olei in lampade: Nec isti dicitur bis se communicare, nisi per accidens: Imò, vt supra diximus, potest reliquias sumere, dum celebrat, etiam post purificationem, si quæ inueniuntur.

PARS

PARS QVINTA DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

HAec pars diuiditur in duodecim capita, in quorum primo agitur de sacramento Pœnitentię in communi. In secundo agitur de Pœnitentia quatenus est quædam specialis virtus. In tertio agitur de effectu Pœnitẽtiæ, quãtũ ad remissionem peccatorum mortaliũ. In quarto de effectu Pœnitentiæ quantum ad remissionem peccatorum venialium. In quinto de reditu peccatorũ per Pœnitẽtiã, remissorũ. In sexto de effectu Pœnitẽtiæ quantum ad recuperationem gratiæ, & virtutum. In septimo agitur de partibus sacramenti Pœnitentiæ in communi, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio. In octauo de prima parte pœnitẽtiæ in particulari, idest de contritione. In nono de secunda parte Pœnitentiæ in particulari, idest de confessione. In decimo de tertia parte Pœnitentiæ in particulari, idest de satisfactione. In vndecimo agitur de suscipientibus sacramentum Pœnitentiæ. Et in vltimo de ministro sacramenti Pęnitentiæ.

Est autem adeò necessaria doctrina sacramenti Pœnitentiæ Parochis, ac cœteris Confessarijs, vt sine illa nulla ratione munere suo fungi possint, vt patebit ex ijs, quæ dicentur in vltimo capite huius partis, circa conditiones confessarij.

CAPVT PRIMVM.

De sacramento Pęnitentiæ in communi.

1. *Pœnitentia an sit sacramentum.*
2. *Quid sit pœnitentia prout sacramentum.*
3. *Absolutio pura non est sacramentum.*
4. *Materia pęnitentiæ quæ sit.*
5. *Quæ peccata sint materia pœnitentiæ, an originale, an actuale, an veniale.*

6. Pro-

6 *Propria pœnitentiæ materia.*
7 *B. Virgo an susceperit hoc sacramentum.*
8 *Forma huius sacramenti, quæ, & vnde desumpta.*
9 *Cur non in illa inuocetur sanctissima Trinitas necessariò.*
10 *Quædam de forma illius variatione.*
11 *Vis horum verborum, Ego te absoluo.*
12 *Quid si formæ addatur conditio?*
13 *De necessitate huius sacramenti ad salutem.*
14 *Quis illius institutor.*
15 *Quando fuerit institutum.*

1 IN hoc capite primo quæritur vtrũ Pœnitentia sit sacramentum, & sit connumeranda inter sacramenta nouę legis? Resp. affirmatiuè, & probatur. Primo, quia illud est sacramentum, quod est signum sacræ rei, sanctificãtis animam nostram; sed Pœnitentia est signum sacræ rei sanctificantis animam nostram: ergo Penitentia est sacramentum. Hæc ratio est desumpta ex D. Greg. prout refertur 1. q. 1. can. Multi, & est verissima, & concludens: nam quod illud, quod est signum sacræ rei sanctificantis animam nostram, sit sacramentum, probatur ex ijs, quæ diximus in prima parte huius Tractatus, circa deffinitionẽ sacramenti ex Cat. Rom. & D. Aug. l. 2. de doctrina Christiana. Quod verò Pœnitentia sit signum sacræ rei sanctificantis animam nostram, apertè patet ex verbis, quæ sunt forma Pęnitentiæ, idest Ego te absoluo; Ex quibus manifeste patet, quòd per Pęnitentiam anima nostra abluitur à peccatis, & sanctificatur, Quæ ablutio, & sanctificatio fit per gratiam gratum facientem.

Secundo probatur. Illud est sacramentum, quod est institutum ad delenda peccata; Sed Pœnitentia fuit instituta ad delenda peccata actualia, & maximè mortalia, vt postea dicetur in cap. 3. & 4. huius partis; igitur Pœnitenria est sacramentum. Atque hęc ratio desumpta est ex D. Th. 3. p. q. 84. ar. 1. in arg. sed contra; Et est verissima & concludens; nam si Baptismus est sacramentum, quia fuit institutus ad delendum peccatum originale, simili modo & Pœnitentia est Sacramentum, quia fuit instituta ad delenda peccata actualia.

Tertio probatur, quia ita determinauerunt Con. Flor. sub Eug. 4. in quo inter sacramenta nouæ legis quarto loco conumeratur Pęnitentia; Et Con. Trid. sess. 7. can. 1. vbi inter sacramenta nouæ legis conumeratur Pœnitentia; & sess. 14. c. 1. anathematizatur ille, qui dixerit Pœnitentiam non esse sacramentum.

Quarto probatur, quia ita semper tenuerunt, & nunc tenent omnes DD. catholici, contra impios hæreticos maximè nostri temporis.

2 Secundo, quæritur quid sit Pœnitentia prout est sacramentum? Scot. quia existimauit solam absolutionem esse integrum sacramentum Pœnitentiæ in 4. sent. d. 14. q. 4. ita deffinit sacramentum Pœnitentiæ, Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis, à Sacerdote iurisdictionẽ habente, ex institutione diuina efficaciter significantibus ablutionem animæ à peccatis. Verum hæc deffinitio Scoti meritò non probatur à Caiet. in suis comment. in 3. p. D. Th. q. 84. ar. 1. & à Dom. Sot. in 4. sent. d. 14. q. 1. ar. 1. Primo quia hæc diffinitio supponit solam absolutionem esse Sacramentũ Pœnitentiæ, quod est falsum; nam, vt apertè determinatum est in Con. Flor. sub Eug. IV. omne sacramentum constat materia, & forma: ergo sola forma Pœnitentiæ non potest esse totum sacramentum Pœnitentiæ: Et in Con. Trid. sess. 14. can. 4. dicitur quod ad sacramentum Pœnitentiæ requiruntur

actus

actus Pœnitentis, ideſt contritio, confeſſio, & ſatisfactio, quaſi Pęnitentiæ materia: igitur ſola abſolutio, quæ eſt forma ſacramenti Pęnitentiæ, non eſt ſacramentum Pœnitentiæ. Secundo quia prædicta deffinitio eſt nimis lunga, & propterea contra regulas Ariſtot. qui in primo poſter. text. 5. dans regulam deffiniendi dicit, Deffinitionem debere eſſe breuem, claram, & explicantem naturã deffiniti. Alias tres rationes affert Dom. Sot. loc. cit. ad impugnandum dictam Scoti deffinitionem, quas ego ſponte prætermitto, ne lungum faciam. Sed optimè deffinitur ſacramentum Pœnitentiæ à Soto loc. cit. hoc modo Pœnitentia eſt ſacramẽtum remiſſionis peccatorum, quæ poſt Baptiſmum cõmittuntur; Quæ deffinitio conſtat genere, & differentia; ponitur enim particula (Sacramentum) pro genere, quia Pœnitentia in hoc, quod eſt ſacramentum, conuenit cum alijs ſacramentis. Ponitur ſecundo particula (remiſſionis peccatorum) ad differentiam Pœnitentiæ ab alijs ſacramentis, quæ non ſunt inſtituta per ſe ad remittenda peccata, ideſt Confirmatione, Euchariſtia, Extrema vnctione, Ordine, & Matrimonio. Ponitur tertiò (poſt Baptiſmum comiſſorum) ad differentiam Baptiſmi, quia ſacramentum Pœnitentiæ non poteſt remittere peccatum originale, nec actualia comiſſa ante Baptiſmum.

3 Sed dicet aliquis, ſola abſolutio in ſacramento Pœnitentiæ eſt ſignum ſacræ rei, ideſt remiſſionis peccatorum, quæ fit per gratiam: ergo ſola abſolutio eſt ſacramentum Pœnitentiæ. Propter hanc rationem Scotus putauit ſolam abſolutionem eſſe ſacramentum Pœnitentiæ: Sed ad hanc rationem reſpondet Dom. Sot. in 4. ſent. diſtinc. 24. quæſt. 1. art 1. quòd ſacramenta nouæ legis non tantùm ſignificant, ſed etiam efficiunt id, quod ſignificant. Quare in ſacramento Pœnitentiæ nõ tantùm erit ſacramẽtum illud, quod ſignificat effectum Pænitentiæ, ſed etiam pars ſacramenti Pœnitentię erit illud, quod efficit id, quod ſignificatur per ſacramentum Pœnitentiæ, ideſt remiſſionẽ peccatorum comiſſorum poſt Baptiſmum; hæc autem remiſſio non tantùm fit per abſolutionem, ſed & per contritionem, & confeſſionem. Quare, ait Sotus, id, quod eſt ſacramentũ Pœnitentiæ, eſt abſolutio Sacerdotis prout cadit ſupra peccatum, de quo pœnitens conteritur, & quod confitetur. Ego etiam dicerem quod non ſolũ forma Pœnitentiæ ſignificat effectum ſacramenti Pœnitentiæ, ſed etiam contritio, confeſſio, & ſatisfactio; imò ſi detur abſolutio non habenti ſufficientem attritionem, vel illi, qui non confitetur ſua peccata, illa non eſt ſacramẽ talis, quia ſola nõ poteſt ſignificare effectum Pœnitentiæ: ſed abſolutio, quæ datur à ſacerdote pœnitenti habenti attritionem ſufficientem de ſuis peccatis, & illa confitetur, eſt illa, quæ ſignificat verum effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Quare actus pœnitentis ſi ſimul vniantur cum abſolutione, ſunt ſacramentum Pœnitentiæ.

4 Tertiò quæritur quænã ſit materia ſacramenti Pœnitentiæ? Reſp. cum D. Th. 3. p. q. 84. ar. 2. & cum communi DD. opinione (excepto Scoto, qui in 4. ſent. diſt. 14. quæſt. 4. voluit in ſacramento Pœnitentiæ nullam eſſe materiam) quod ſicut in Baptiſmo duplex eſt materia alia remota ideſt aqua naturalis, ſeu elementalis, & alia proxima ideſt ablutio, vt dictum fuit in 2. p. huius tractatus; ita in ſacramento Pœnitentiæ duplex eſt materia alia remota, & alia proxima; materia remota ſunt peccata, non quidem prout ſunt peccata, quia peccata, prout peccata ſunt, ſunt res malæ, & res mala non poteſt eſſe materia, aut pars eſſentialis boni ſacramenti, ſed ſunt peccata prout pœnitens de illis conteritur, illa cõfitetur,

fitetur, & pro illis est paratus satisfacere. Quare, vt vno verbo dicam, materia remota sacramenti Pœnitentiæ non sunt peccata vt acceptanda, sed prout delenda, & destruenda sunt, sicut stupa dicitur materia ignis, non quia sit per ignem conseruanda, sed quatenus est per ignem comburenda. Materia verò proxima sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, qui versantur circa peccata, quę sunt materia remota, scilicet contritio, confessio, & satisfactio. Et quidem quòd ij actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio sint materia Pœnitētiæ contra Sectam apertè habetur ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. de Pœnitentia sub his verbis. Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatē sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. Quæ verba ferè eadem in eadem sessione repetuntur in can. 4. de Pœnitentia.

Quòd si dicas Cōc. Trid. dicit actus pœnitentis prędictos esse quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ. Resp. quòd Conc. Trid. dixit esse quasi materiam, quia in sacramentis non est ita vera materia, aut vera forma, sicut in rebus naturalibus; sed res in sacramentis dicuntur materia, & verba dicuntur forma, quia sicut in rebus naturalibus ex materia, & forma conflatur compositum naturale; ita ex verbis, & rebus conflatur Sacramentum iuxta illud, quod dicit D. Aug. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Quare autem verba in sacramentis potius dicantur forma, quam materia, & res potius dicantur materia, quàm forma dictum est in prima parte huius tractatus vbi de materia, & forma Sacramentorum in communi.

4. Quæritur an omnia peccata sint materia remota sacramenti Pœnitentiæ? Resp. negatiuè; sed tantùm illa, de quibus debet haberi contritio, confessio, & pro quibus debet fieri satisfactio.

Hinc sequitur primo quòd peccatū originale non potest esse materia sacramenti Pœnitentiæ, quia de peccato originali non requiritur contritio, quia non est comissum ob nostrum defectum, sed ob defectum primorū parentum, & propterea nec de illo debet esse confessio.

Secundò inde sequitur quòd peccata actualia siue mortalia, siue venialia comissa ante Baptismum non sunt materia sacramenti Pœnitentiæ, quia de illis, licet requiratur dolor, non tamen debet esse confessio sacramentalis, neque est necessaria satisfactio, nisi sint in damnum tertij; nam tunc facienda esset restitutio non ad delendam pœnam peccati, sed ad euitandum nouū peccatum, quod esset contra præceptū non detinendi rem proximi, & propter hoc supra in secundo quæsito, in deffinitione sacramenti Pœnitentiæ, dictum est Pœnitentiam esse sacramentum remissionis peccatorum, quæ post Baptismum comittuntur.

Tertiò inde sequitur quòd peccata venialia non sunt principalis, aut necessaria materia sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi sint comissa post Baptismum, quia ad delenda peccata venialia nō necessariò requiritur confessio, sed possunt remitti varijs alijs modis, vt per solam contritionem, etiam sine voto sacramenti Pœnitentiæ; per tunsionem pectoris, per aquā benedictā, per benedictionem Episcopi; & per ingressum in Ecclesiam consecratam, seu per alios modos, vt dicetur infra cap. quarto.

Quartò infertur quòd peccata venialia, licet non sint necessaria materia sacramenti Pœnitentiæ, possunt tamen esse

esse materia sacramenti Pœnitentiæ, quia de talibus potest esse contritio, & etiam confessio, licet nó necessario, & pro illis potest fieri satisfactio.

Quintò infertur, quòd peccata mortalia, quæ fuerunt comissa post Baptismum, de quibus aliquis credit se rectè confessum esse semel, & ab illis absolutionem veram habuisse, non sunt necessaria materia sacramenti Pœnitentiæ, quia non amplius necessariò talia peccata debeat manifestari confessario.

Sextò sequitur quòd peccata mortalia, de quibus semel quis est absolutus, possunt iterum esse materia remota sacramenti Pœnitentię, quia licet non necessariò quis teneatur ad confitendum peccata, quæ iam rectè confessus est; potest tamen ad benè esse iterum de illis habere dolorem; & illa iterum confiteri; & pro illis efficere opera satisfactoria.

6 Septimò, inde sequitur quòd materia principalis, & necessaria sacramēti pœnitētię sunt tantùm peccata mortalia post Baptismū comissa, quæ quis alias non est rectè confessus; vel si ea est confessus, credit se de illis nó fuisse rectè absolutum.

7 Vltimò infertur quòd ridiculum est putare, vt aliqui doctores potius superstitiosi, quàm contemplatiui putarunt; Beatiss. Virginem habuisse sacramentum Pœnitentiæ à D. Ioanne Euangelista, quia ibi non potest esse sacramentum, vbi non est materia, sed in Beatiss. Virgine nunquam fuit macula peccati, saltem actualis, quia in instanti Conceptionis suæ ita in gratia confirmata fuit, vt nunquam potuerit peccare.

8 Quinto quæritur quænam sit forma Sacramēti Pœnitentiæ? Resp. formam sacram. Pœnitentiæ esse hanc, Ego te absoluo; & ita determinatum est in Conc. Flor. sub Eug. 4. & in Conc. Trident. sess. 14. cap. 3. supracitato; & propterea hoc est de fide; & ita tenuerunt semper catholici Doctores. Quòd si aliquæ deprecationes, seu orationes huic formæ adduntur, illæ non adduntur, quia sint pars formæ sacramenti Pœnitentiæ, aut quia sint de necessitate sacramenti Pœnitentiæ, vt optime dicit Conc. Trid. loc. cit. sed tantùm adduntur ad benè esse; sicut & formæ Baptismi adduntur orationes; Imò & ante illam fit exorcismus, & catechismus, non tamen necessariò necessitate sacramenti, sed tantùm ad benè esse; & ait D. Th. in 3. p. quęst. 89. art. 3. in resp. ad primum arg. quòd licet formæ sacramenti Pœnitentiæ non sit necessarium addere deprecationes, conueniētissimè tamen adduntur, quia materia sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, qui, quoniam procedunt à voluntate humana, quæ est variabilis, ac proindè facilè ab inimico nostro possunt impediri; ideò per orationes Deus est orandus in sacramento Pœnitentiæ ante absolutionem, ne effectus absolutionis ab inimico impediatur.

Sexto quæritur vnde fuerit desumpta hæc forma, Ego te absoluo? Resp. ex D. Th. art. cit. in præcedenti quæsito hanc formam desumptam fuisse ex illis verbis Domini Nostri Iesu Christi Matt. cap. 16. Quodcunque solueris super terram erit solutum, & in Cœlo. Quæ verba repetuntur, sed in numero plurali Mat. 18. Quodcunque solueritis, &c.; nam sicut forma sacramenti Baptismi, quæ est Ego te baptizo, &c. benè desumpta fuit ex illis verbis Mat. vltimo. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.; ita benè potuit desumi forma sacramēti Pœnitentiæ, idest Ego te absoluo, ex illis verbis Matth. 16. Quodcunque solueris, &c. & hoc dicit D. Th. art. cit. in arg. sed contra; & quidem hæc verba Ego te absoluo, vt ibidem ait D. Thomas, sunt conuenientissima forma sacramenti Pœnitentiæ, quia illa verba

debuerunt esse forma sacramenti Pœnitentiæ, quæ expressè significant effectum sacramenti Pœnitentiæ, sed effectus sacramenti Pœnitentiæ nõ potest magis exprimi, quàm per hæc verba Ego te absoluo; est enim effectus Pœnitentiæ absolutio à peccatis, quæ peccata animam nostrã constringunt iuxta illud Prouerb.5. Iniquitates suæ detinent impium, & funibus peccatorum suorum quisq; constringitur.

9 Septimo quæritur quare formæ sacramenti Pœnitentię non insit necessariò inuocatio Sanctiss. Trinitatis, sicut in Baptismo? Si. n. nõ diceretur Ego te baptizo in nomine Patris &c. non efficeretur Baptismus; at sacramentũ Pœnitentiæ potest consistere quantum ad formam si dicatur tantum Ego te absoluo, etiamsi non addatur inuocatio Santiss. Trinitatis: Ad hoc resp. D.Th. ar.cit. quòd inuocatio Sanctissimę Trinitatis est necessaria in Baptismo, quia Christus quando instituit formam Baptismi Matt. vlt. dixit Baptizantes eos in nomine Patris &c. non autem Matt. 16. dixit, Quodcunque solueris in nomine Patris, &c.

Quòd si dicas, quare Christus voluit inuocationem sanctiss. Trinitatis esse partem formę sacramenti Baptismi; & non sacramenti Pœnitẽtię? Resp. quòd sacramentum Baptismi est sacramentum fidei, & propterea in eius forma necessariò erat nominanda SS. Trinitas, circa quam pręcipuè versatur catholica fides; sacramentum verò Pœnitentię præsupponit Baptismum, & fidem ipsam, ideò in ipsius forma nõ necessariò nominatur SS. Trinitas; sed potest & nominari, & non nominari, vt ait D.Th. 3.p.q.84.ar.3. vnde vt ait ibidem D.Tho. aliqui, dum absoluunt dicunt, Per virtutẽ passionis Christi ego te absoluo; aliqui verò dicunt; Per auctoritatem Dei omnipotẽtis ego te absoluo; aliqui autẽ dicunt Ego te absoluo in nomine Patris, &c. Qui modi sunt boni, debet tamen se quilibet sacerdos in orationibus, & alijs, quę dicuntur ante, vel post hęc verba, Ego te absoluo, conformare vsui, & cõsuetudini suę Ecclesię.

10 8. Quęritur vtrum si quis diceret, Ego tibi remitto peccata, verè absolueret? Resp. ex D.Th. ar.cit. ad 3. & Caiet. in cõm. sup. eundẽ art. quòd si quis ministraret sacramentũ Pœnit. sub his verbis, Ego tibi peccata remitto, esset vera forma sacramenti Pœnitentię, & vera absolutio, ꝓpter duas rationes, quarũ prima est, quia sicuti Christus Mat. 16. & 18. dans Apostolis potestatem clauium dixit, Quodcunque solueris; vel quodcunque solueritis, ita Ioã. 20. dans Apostolis eandem potestatem clauium legitur quòd dixerit, Quorũ remiseritis peccata remittuntur eis: ergo sicuti est vera Pœnitentię forma hęc; Ego te absoluo, erit etiam vera Pœnitentię forma hęc Ego tibi remitto peccata. Secũda ratio est, quia hęc verba, Tibi remitto peccata, habent omnino eandem significationem, quam habent illa, Ego te absoluo; neque est credendum, ait Caiet. loc. cit. quòd à Deo ita sit alligata potestas absoluendi istis verbis Ego te absoluo, quin etiam collata sit æquipollentibus, idest habentibus eandem significationem; Et in prima par. huius tract. vbi agitur de forma sacramentorum in communi; dicitur quòd in forma Sacramentorum variatio ipsius formæ, quantùm ad verba, seu quantùm ad sonum verborum, non obest sacramento, modò seruetur idem sensus.

Et de additione formæ sacramenti Pœnitentiæ, diminutione, variatione, interpollatione, transpositione, seu alia quauis mutatione seruanda est regula D.Th. quam ponit in 3.p.q.60.ar. 8. Quæ explicata fuit supra in prima par. & de qua fusè exempla ponuntur ibidem. & in 2. part. vbi agitur de forma Baptismi; Quæ regula est hæc, Quotief-

tiescunque formæ sacramenti fit talis additio, diminutio, variatio, &c.quæ tollat sensum verborum formæ, nō remanet forma; Si verò non tollat sensū verborum formæ remanet forma, licet peccet tollens, diminuens, &c.si id fiat spontè, vel sine iusta caussa.

Ex hac regula fit, quòd si quis absoluens non diceret Ego te absoluo, sed tantum Te absoluo, vera remaneret forma, quia idem significant hæ duæ dictiones absoluo te, ac istę tres ego te absoluo, quia pronomen (ego) intelligitur in verbo absoluo; pronomen verò (te) est de necessitate formæ; quia non subintelligitur in verbo absoluo, sicut (Ego;) secus esset si per passiuum quis diceret Tu absolueris à me, quia tunc pronomen (tu) non esset necessarium, quia subintelligeretur in verbo passiuo, absolueris.

Secundò inde fit, quòd, vt dicunt omnes Casistæ, si quis honoris, & grauitatis caussa, vt si esset Episcopus absoluens, vel absoluendus, diceret Nos absoluimus te, vel Ego vos absoluo, remaneret forma, quia in tali casu pronomen, vos, vel nos, ex accomodatione vsus, significat idem, quòd tu, vel Ego.

11 Sed dicet aliquis, illa est vera forma Pœnitentiæ, quæ significat effectum sacramenti Pœnitentiæ; sed hæc verba, Ego te absoluo, non semper significant effectum sacramenti Pœnitentiæ, quia potest fieri, quòd aliquis confiteatur tantùm peccata, quæ alias est confessus, & de quibus verè est absolutus: Item potest fieri quòd aliquis antequàm accedat ad confessionem, fuerit contritus contritione perfecta, & per illam iam sint illi remissa peccata. Ad hanc difficultatem soluendam varii varia dixerunt. Mag. sentent. libro quarto. distinct. 18. dixit quòd quando sacerdos in sacramēto Pœnitentiæ profert hæc verba, Ego te absoluo, habent hunc sensum, Ego ostendo te esse absolutum; sed hoc est falsum; nam interpretari hæc verba, Ego te absoluo, per hæc alia ostendo te esse absolutum, est ab Ecclesia demere potestatem tum ordinis, tùm etiam iurisdictionis absoluendi à peccatis; nam ostendere aliquem esse à peccatis absolutum non est illum absoluere, sicut ostendere imaginem, vel aliam rem, non est imaginem, aut aliam rem facere.

D.Thom. in tertia parte. quæst.84. articulo tertio, ad vltim. argum. resp. ad propositam difficultatem, quòd quando sacerdos dicit, Ego te absoluo, hæc verba significant, Ego tibi absolutionis sacramentum impendo; Quod quidem sacramentum absoluit à peccatis, si sunt peccata, de quibus possit esse absolutio; Sin minus efficit alium effectum, quem etiam efficit quando absoluit à peccatis, idest dat gratiam, & virtutes; Ita ferè Caiet. in Comment. supra cit. artic.

Et Sot. in 4. distinct. decimaquarta. quęstione prima. articulo tertio. dicens quòd quando sacerdos dicit, Ego te absoluo, verè absoluit quantùm pertinet ad sacramentum Pœnitentiæ à peccatis: Quòd si deinde peccata iam antea erant remissa, nō absoluit à peccatis; forma tamen remanet vera, quia semper subintelligitur in quātùm tu indiges.

Et ego dico verissimam esse responsionem D. Thomæ, & eam probo etiā per sacramentum Baptismi; nam supposito quòd baptizetur sacramentaliter aliquis, qui iam sit baptizatus Baptismo flaminis, ille Baptismus sacramentalis non tollit peccatum originale, quia iam sublatum est per Baptismum flaminis, & proprerea ille Baptismus sacramentalis non abluit animam à peccatis, tamen vera est eius forma secundum omnes;

quæ

quæ est Ego te baptizo, seu Ego te absoluo in nomine Patris, &c. Quod verbum abluo, seu baptizo maximè intelligitur secundum effectum, qui interius fit in anima, idest secundum ablutionem à peccatis, & maximè ab originali: Vnde idem est dicere Ego te baptizo, ac dicere; Ego sacramentum Baptismi tibi impendo, quo quidem sacramento ablueris à peccato originali, si illud habes; & datur tibi gratia; & dantur virtutes: Si verò non adest peccatum originale non ablueris à peccato originali; sed per Baptismum augetur tibi gratia, & dantur virtutes.

12 9. Quæritur quid operetur conditionalis coniunctio (si) si apponatur formę sacram. Pœnitentiæ? Resp. quod si apponatur verbo temporis pręteriti, aut pręsentis; vt si fecisti hoc, aut habes animum faciendi hoc, Ego te absoluo, operatur quòd stante veritate conditionis valet absolutio, si adsint cætera requisita ex parte Confessarij, & pœnitentis: Si verò non stet veritas conditionis, particula (si) efficit, vt nequaquam valeat absolutio, etiamsi sint cętera requisita ad veram absolutioné ex parte Confessarij, & pęnitentis. Errat tamen Sacerdos, vt ait Caiet. in sum. ver. Absolutio, àpponendo huiusmodi conditiones formæ Sacramentorum: Et si hęc consuetudo esset in aliqua Ecclesia; aut in aliquo Sacerdote esset omnino exterminanda, ait Caietanus, in tantum quòd si aliquis Sacerdos haberet licentiam à superiore absoluendi à peccatis reseruatis aliquem cum hac conditione, vt talem, vel talé postea faciat pœnitentiam, non debet talis Sacerdos conditionaliter exhibere formam absolutionis dicendo, Si promittis mihi facere talem pęnitentiam, quam iussit Episcopus, te absoluo: Sed debet Sacerdos prius imponere pęnitentiam, quam si pœnitens acceptat, debet deinde dicere absolutè, & sine conditione, Ego te absoluo, & cętera.

Excipitur tamen vnus casus, in quo licitè apponitur conditio (si) formæ Pęnitentiæ, sicut & formę aliorum Sacramentorum; Et hic est quando Sacerdos dubitat an protulerit talia verba, quia forsan tunc habebat animum ad alia distractum; nam in tali casu potest dicere, Si à me nunc non fuisti absolutus Ego te absoluo.

Si verò conditionalis (si) apponatur verbo temporis futuri, vt si sacerdos diceret Ego te absoluo si restitues, tunc conditionalis (si) omnino tollit formam sacramenti Pęnitentię siuè postea ponatur in actu, aut verificetur; siuè non; quia vt ait Caiet. in sum. ver. absolutio, non est in potestate Sacerdotis nunc dare absolutionem, & suspendere eius effectum vsque ad tépus impletę conditionis.

13 10. Quæritur vtrum sacramentum Pœnitétiæ sit ad salutem necessarium? Resp. secundum omnes DD. sacramentum Pœnitentiæ non esse omnibus necessarium ad salutem, sed tantùm omnibus illis, qui post Baptismum susceptum mortaliter peccauerunt; & propterea sacramentum Pœnitentię non dicitur simpliciter necessarium ad salutem, sed tantùm ex suppositione, idest supposito peccato mortali comisso post Baptismum: & propterea supra in quæsito 2. dictum fuit Pęnitentiam esse sacram. remissionis peccatorũ, quę post Baptismum comissa sunt; Peccata enim comissa post Baptismũ, si mortalia sunt, non remittuntur alia via, quàm per sacramentum Pęnitentię in re, vel saltem in voto, & hæc doctrina est D. Th. in 3. p. quęst. 84. art. 5. & habetur in Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. de sacramento Pęnitentię; & affertur ab omnibus Doctoribus dicentibus ex D. Hieron. in suis comment. supra 3. cap. Esaię, Pęnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, quia rupta innocentia baptismali, quę est prima tabula ad salutem necessaria sola relinquitur

tur

tur secunda, idest sacramentum Pœnitentię, quę possit nos saluare. Rumpitur verò innocentia baptismalis tantùm per peccatum mortale.

14 11. Quæritur quis instituerit sacramentum Pœnitentię? Resp. quòd Christus, qui & alia noue legis sacramenta instituit, & hoc est de fide determinatum in Conc. Trid. sess. 7. ca. 1. & antea fuerat determinatum in Concil. Flor. sub Eug. quarto.

Quòd si dixeris ante Christum erat contritio. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, &c. Erat confessio. Dixi confitebor tibi. Erat & satisfactio. Quia ante Christum erat ieiunium, eleemosina, & oratio, quę sunt pręcipua opera pœnalia ad satisfactionem necessaria; imò erat ipsa pœnitentia; nam dicebatur Deus dissimulās peccata hominum propter pęnitentiam Sapien. 11. Ergo Christus non instituit sacramentum Pęnitētię. Resp. quòd contritio, satisfactio, & pęnitentia, prout est quædam virtus, imò & confessio aliquo modo erant ante Christum, sed contritio, confessio, & satisfactio, ante Christum non erant partes materiales alicuius sacramenti, sed Christus instituit vt essent materia sacramenti Pęnitentiæ, addendo illis formam, quę est, vt antea diximus, Ego te absoluo. Et sic ex illis pœnitentis actibus, & hac forma voluit instituere vnum sacramentum nouę legis; sicut & ante Christum erant corpora cōtrahentium Matrimonium, & consensus, quibus contrahebatur Matrimonium, ex quibus voluit Christus constare vnum sacramentum, quod antea non erat.

15 Vltimo quęritur quando Christus instituerit hoc sacramentum? Resp. ex Conc. Trid. sess. 14. c. 1. quòd Christus pręcipuè tunc instituit sacramentum Pœnitentiæ quando dedit Apostolis auctoritatem remittendi peccata, quod fuit post eius resurrectionem Io. 20. cùm insufflauit in Apostolos, & illis dixit Quorum remiseritis peccata, &c. Dixit autem Conc. Trid. tunc (præcipuè) Christum, instituisse sacramentum Pœnitentiæ, & non absolutè; quia etiam ante passionem Christus mētionem fecerat sacramenti huius, vt Mat. 16. & 18. in illis verbis quodcūq; solueritis, &c. ex quibus præcipuè desumpta fuit forma sacramenti Pœnitentiæ, vt dictum fuit supra, cap. 6.

CAPVT II.

De Pœnitentia, quatenus est quædam specialis virtus.

1 *Sitne pœnitentia virtus specialis.*
2 *Sitne annexa iustitiæ.*
3 *De necessitate huius virtutis.*
4 *An semper fuerit talis necessitas.*

QVoniam Pœnitentia hoc habet peculiare præ cæteris sacramētis vt non tantùm sit sacramentum; sed etiam sit quædam specialis virtus: ideò vt eius natura omnino nobis innotescat, postquàm de Pœnitentia dictum est in communi, prout est sacramentum quoddam, antequam magis progrediamur, de ea in hoc capite agendum est, prout est virtus quædam specialis.

1 In quo primò quæritur vtrum Pœnitentia sit virtus quædam specialis, seu actus alicuius specialis virtutis? Resp. ex D. Th. in 3. p. q. 85. ex Caieta. ibid. in comment. & ex Sot. in 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 2. imò & ex multis alijs Scholast. in eadem dist. 14. Pœnitentiā non tantùm esse sacramentum, sed & virtutem quandam specialem, seu specialis virtutis actum, & probatur à suprascriptis DD.

Primo illa est virtus specialis, seu specialis virtutis actus, quæ versatur circa obiectum bonum, & consistit inter

ter duo extrema, sed Pœnitentia versatur circa obiectum bonum, & consistit inter duo extrema: igitur Pœnitentia est virtus. Quòd Pœnitentia verſetur circa obiectum bonum, probatur. Quia deteſtari peccatum comiſſum cũ ſpe veniæ, & habere animum non amplius illud comittendi eſt bonum, ſed circa hoc verſatur Pœnitentia: igitur Pœnitẽtia verſatur circa bonum: quòd verò Pœnitentia ſit inter duo extrema probatur, quia vnum extremũ eſt gaudere de malo, ſunt enim aliqui, qui lætantur cum malè fecerint, vt habetur Prouerb. 2. Aliud extremum eſt deſperatio, nam ſunt aliqui tam demiſſi animi, qui talem pœnitentiam de peccato concipiunt, vt putent nullam illis fore ſpem veniæ, & ita in deſperationẽ cadunt, & in hanc incidit Caim cùm dixit. Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear; Et Iudas, qui pœnitẽtia ductus laqueo ſe ſuſpendit. Inter hæc duo extrema Pœnitentia cõſiſtit; & propterea eſt virtus.

Secundò probatur quòd Pœnitentia ſit virtus, quia zelus, quo quis execratur peccata aliena, & illa odit, eſt act⁹ virtutis: ergo, & multò magis erit act⁹ virtutis zelus, quò quis execratur peccata propria, & illa odit. Rurſus officium Iudicis, quo caſtigat malefactores ob ſalutem, & quietem Reipublicæ, eſt actus virtutis: ergo, & multò magis officium illud, quo quis in ſeipſo caſtigat propria peccata ob ſalutem animæ propriæ erit actus virtutis.

2 Secundò quæritur vtrum Pœnitentia ſit annexa Iuſtitiæ, an verò Temperantiæ, vel Prudentiæ, aut fortitudini: Et hoc quæritur, quia omnis virtus vel eſt theologica, vel moralis. Prudentia non eſt virtus theologica, quia nec eſt fides, neque ſpes, neque charitas: igitur eſt virtus moralis: Sed omnis virtus moralis vel eſt prudẽtia, vel iuſtitia, vel fortitudo, vel temperantia, vel dependens ab vnâ iſtarum: Et hoc ſuppoſito ad quæſitum reſpondeo quòd Pœnitentia eſt virtus dependens à iuſtitia, ſeu ſpecies iuſtitiæ, Et probatur. Quia D. Aug. in lib. De vera, & falſa pęnit. cap. 6. dicit Pęnitentiam, qua quis in ſe punit malũ, quod perpetrauit, eſſe quandam vindictam: Et Cic. lib. 2. De inuent. dicit vindictã iuſtam eſſe ſpeciem iuſtitiæ.

3 Tertiò quæritur vtrum Pœnitentia, prout eſt virtus, ſit ad ſalutem hominum neceſſaria? Dico primo pro reſponſione ad hoc quæſitum, quòd Pœnitentia, prout eſt virtus neceſſaria eſt ad delenda peccata poſt Baptiſmum comiſſa; maximè ſi ſunt mortalia, Et probatur; quia vt probatum eſt in anteced. cap. quæſito. 10. Pœnitẽtia, prout eſt ſacramentum, eſt neceſſaria ad delenda peccata comiſſa poſt Baptiſmum, ergo multo magis erit neceſſaria Pœnitentia, prout eſt virtus ad delenda peccata mortalia poſt Baptiſmum comiſſa; quia in ſacramento Pœnitentiæ neceſſariò includitur Pęnitentia, prout eſt virtus; eſt enim idem, quòd contritio, quæ eſt præcipua inter partes materiales ſacramenti Pœnitentiæ.

Dico ſecundo, ꝙ Pœnitentia, prout eſt virtus, eſt neceſſaria ad delenda peccata etiam comiſſa ante Baptiſmum; vt optimè dicit Victor. ĩ ſum. ſacram. num. 107. & elicitur ex 2. cap. Act. in illis verbis. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum; vbi nomine Pœnitentiæ non intelligitur Pœnitentia vt eſt ſacramentum; Sed prout eſt virtus, quia ſacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe ante Baptiſmũ.

Atque hinc fit, vt dictum fuit in 2. par. huius tract. quæ fuit de Baptiſmo adultum baptizandum neceſſariò debere habere dolorem de peccatis mortalibus, ſi quæ commiſit, ne Baptiſmi effectus impediatur: & ita tenent omnes Doctores catholici.

4 Dico tertio, quòd Pœnitentia, prout eſt

est virtus, semper fuit necessaria à principio mundi vsquè adhuc; & semper erit necessaria ad deléda peccata mortalia, vt optimè refert, & probat Nau. in Man. cap. 1. num. 28. Et probatur, quia habetur Ezechiel. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus est, vita viuet, & non morietur. & ibidem. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatũ, quæ operatus est, nõ recordabor. & sap. 11. dicitur Deus dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Hoc idé apertè demonstrat D. Aug. cap. 6. de vera, & falsa pœnitentia. Imò ait Nau. num. 28. cit. quòd licet quis possit saluari etiam nunc sine sacramento Pœnitentiæ in actu, quia aliquando sufficit illud habere in voto, non tamen potest quis saluus fieri sine pœnitentia vt est virtus. Vnde si aliquis in peccato mortali morte etiam repentina corripitur propter defectum virtutis Pœnitentiæ ad inferos ibit, si non concepit doloré de peccato.

CAPVT TERTIVM.

De effectu sacramenti Pœnitentiæ, quantùm ad remissionem peccatorum mortalium.

1 *Sitnè aliquod peccatum irremissibile per pœnitentiam, & de quibus dubium sit.*
2 *Possit nè aliquod peccatum remitti sine pœnitentia.*
3 *Comparatio baptismi cum pœnitentia.*
4 *Virtutes Theologicæ quomodo peccata deleant.*
5 *Quid de eleemosina, iniuriarum condonatione &c.*
6 *Martyrij efficacia in peccatis delendis.*
7 *Possitnè vnum mortale remitti sine alio.*
8 *An reseruata absoluantur cum nõ reseruatis.*
9 *Quomodo peccata oblita denuo cadant sub obligatione illa clauibus submittendi.*
10 *Cum culpa remittaturnè pœna.*

IN hoc capite primo quæritur: Vtrum detur aliquod peccatum, quod per Pœnitentiam deleri non possit: Et vtrum detur aliquod peccatum, de quo non possit haberi pœnitentia?

Dico primo, quod peccata Dæmonum, & hominum damnatorum non possunt per Pœnitentiam deleri; quia Dæmones, & homines damnati adeò sunt in malo obstinati, vt non possint illis displicere propria peccata, prout sunt Dei offensa; Nam immortali odio Deum prosequuntur: Vnde habetur Ps. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit ad te semper. Quare licet damnatis displiceat pœna, & propterea et peccata, quatenus sunt caussa pœnæ; non tamen illis displicent peccata, quatenus sunt Dei offensa propter odium, quo Deum prosequuntur. Item licet damnati habeãt pœnitentiam quodãmodo, est tamen illa pœnitentia cum desperatione salutis.

Dico secundo, quòd in homine viatore nullum datur peccatum, de quo non possit haberi pęnitentia: Et probatur primo, quia secus tolleretur libertas arbitrij. Secundò, quia tolleretur efficacia virtutis, & gratiæ Dei, qua mouetur cor hominis ad pœnitendum.

Dico tertio, quòd nullum datur peccatum in viatore, quod per Pœnitentiam deleri non possit. Et prob. primo quia secus derogaretur misericordiæ Dei; quæ, vt habetur Ioel. 2. est præstabilis supra omnem hominum malitiã. Secundò, quia derogaretur virtuti passionis

sionis Christi; quæ, vt habetur in 1. ep. D. Ioan. cap. 2. est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm; sed pro peccatis totius mundi.

Sed circa prædicta sunt nonnullæ auctoritates Sacræ scripturæ, quæ videntur facere difficultatem. Quarum prima est D. Paul. ad Hebræ. capit. 12. vbi dicit de Esau, quòd non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam eam cum lachrimis inquisiuisset. Vbi & Glos. ait. idest non inuenit locum benedictionis, & veniæ propter pœnitentiam: igitur non est verum, quod diximus, scilicet quòd de omni peccato mortali potest esse pœnitentia; quòd per pœnitentiam deleri possit.

Secunda auctoritas est in libr. 2. Macab. cap. 9. Vbi de Rege Anthioco dicitur. Orabat scelestus Deum, à quo non erat misericordiam consequuturus.

Tertia auctoritas habetur Matth. c. 12. Vbi Christus Dominus dicit. Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc, neque in futuro sęculo.

Sed ad has tres auctoritates sacræ Scripturæ optimè resp. D. Th. 3. par. q. 86. art. 2.

Et primo ad primam auctoritatē, quæ est D. Pauli de Esau, respondet, quòd Esau non habuit veram peccatorum suorum pœnitentiam; quia habebat animum peccandi; Nam Esau tunc quando quærebat pœnitentiam dixit, Venient dies luctus Patris mei, & occidam fratrem meum Iacob.

Ad secundam auctoritatem de Rege Anthioco 2. Machab. resp. D. Thom. quòd nec Anthiocus habuit veram pęnitentiam peccatorum suorum, quia non dolebat de peccatis quatenus fuerant offensa Dei, sed propter infirmitatem, quam habebat, quam putabat se habere propter peccata, quod poterat esse.

Ad tertiam auctoritatem, quæ est ex D. Matth. resp. D. Thom. quòd iuxta opinionem D. Aug. serm. vndecimo, De verbis Domini, per verbum, In Spiritum sanctum, intelligitur impœnitentia finalis. Vnde dicere quòd peccatum in Spiritum sanctum non remittitur, est idem ac dicere quòd peccatum sine pœnitentia non remittitur. Alij DD. vt ibidem asserit D. Thom. dicunt quòd per verbum in Spiritum sanctū intelligitur peccatum, quod cōmittitur ex certa malitia; Nam sicut peccatum, quod committitur propter infirmitatem, potest dici peccatum contra Patrem, quia Patri attribuitur potentia. Et peccatum, quod cōmittitur ex ignorantia, potest dici peccatum in filium, quia filio attribuitur sapientia: ita peccatum, quod committitur ex certa malitia, dicitur peccatum in Spiritum sanctum. Et tale peccatum dicitur irremissibile, non quia per Pęnitentiam non possit remitti, sed quia maxima difficultate remittitur, eò quòd peccatum, quòd committitur ex malitia non habet aliquam excusationem; sicuti peccatum, quod committitur propter infirmitatem, & propter ignorantiam.

2 Quæritur secundo, vtrum detur aliquod peccatum, quod possit deleri per aliud, quàm per Pœnitentiam? Respond. quòd ex his, quæ dicta sunt in capite antecedenti, quæsito vltimo. Et in primo cap. quæsito quarto, & decimo. numquam datum est, vel dabitur peccatum mortale, quod potuerit, vel possit deleri sine pœnitentia.

Sed sunt nonnullæ auctoritates Sacræ scripturæ, quæ circa hoc videntur difficultatem facere.

Quarum prima est de fide, & Baptismo; nam per fidem, & Baptismum viden-

videntur remitti peccata; si quis crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.

Secunda est de charitate, de qua dicitur in 1. ep. D. Petri. c. 4. Quòd operit multitudinem peccatorum.

Tertia auctoritas est de spe, de qua dicitur ad Rom. cap. 8. spe salui facti estis.

Quarta auctoritas est de eleemosina, de qua dicitur Lucæ 11. Date eleemosinam, & omnia munda erunt vobis.

Quinta auctoritas est de remissione iniuriarum, de qua dicitur Matth. 6. Quòd si dimiserimus hominibus peccata eorum, dimittet & nobis Pater cælestis peccata nostra.

Sexta auctoritas est ex Nauar. in 1. cap. man. quòd videlicet maximus Dei amor, qualis est in eo, qui propter Deum vult subire martyriũ, remittit peccata mortalia; Vt si esset aliquis peccator tentatus à Tyranno, vt fidem negaret, & iste non habuisset dolorem de peccatis proprijs, nec tunc haberet; vel quia illi in mentem peccata non occurrunt, cùm de illis non cogitet: Vel quia non cogitet de dolore; Talis si, potius quàm negare fidem, subiret martyrium, remitterẽtur illi omnia peccata propter maximum amorem Dei, qui illum inducit ad subeundum martyrium.

Sed ad dictas auctoritates responsio est. Quòd Baptismus, Fides, Spes, Charitas, Eleemosina, iniuriarum remissio, & martirium sunt quidem remedia ad delenda peccata mortalia; sed non sine Pœnitentia. Et vt in particulari loquar.

3 Dico primo De Baptismo. Quòd Baptismus quantùm ad illud, propter qđ est principaliter institutus, non requirit vt cum pęnitentia suscipiatur: Quia principaliter institutus est ad delendũ peccatum originale, ad cuius deletionem non requiritur contritio: Quia sicut peccatum originale sine nostra propria culpa est commissum; ita sine nostra pœnitentia per Baptismum potest remitti. Sed si peccato originali addatur peccatum mortale, dico quòd Baptismus non potest remittere peccatum originale cum mortali simul, nisi adsit, & Pœnitentia, iuxta illud Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Vnde, vt dicit Nau. in 1. cap. manu. & Victor. in sum. num. 107. & alij DD. Et vt probatum fuit in 2. par. huius Tractatus, in eo, qui comisit peccatum mortale requiritur pœnitentia, idest dolor de tali peccato necessariò ad dignè suscipiendum Baptismum. An verò requiratur perfectus dolor, idest contritio; vel an sufficiat attritio, dictum est supra in eadem 2. par. huius Tractatus; idest quòd sufficit attritio, qua per Baptismum, sicut & per alia sacramenta, homo ex attrito fit contritus.

4 Dico secundo, quantùm ad fidem, spem, & charitatem; Quòd fides, & spes valent ad deletionem peccati mortalis; quia sunt fundamenta Pœnitentiæ, sicut & charitas; Nam fides, & spes non possunt delere peccatum nisi prout sunt viuæ, & formatæ. Sunt autem viuæ, & formatæ per charitatem: Charitas verò non potest esse in eo, qui peccauit mortaliter, nisi illum pœniteat peccati: ergo fides, spes, vel charitas non possunt remittere peccatum sine pœnitentia.

5 Dico tertio, quantùm ad eleemosinam, & remissionem iniuriarum, quòd eleemosina, & iniuriarum remissio duobus modis valent ad peccata remittenda. Primò modo dispositiuè, quia disponunt eum, qui est in peccato mortali ad pœnitentiam; & efficiunt, vt Deus præstet illi auxilium speciale ad remissionem. Se-

cundò post remissionem peccati mortalis. Quantùm ad culpam eleemosina, & condonatio iniuriarum valent ad delendam peccati pœnam, & propterea dicuntur remittere peccata eo modo, quo in Bullis pontificijs dicitur dari remissio peccatorum per indulgẽtias; non quia indulgentiæ remittant culpam, sed quia remittunt pœnam: Et hoc modo de eleemosina dicitur Ecclesiastici cap.3. Eleemosina exstinguit peccatum, sicuti aqua extinguit ignẽ; & Dan. 3. Peccata tua eleemosinis redime.

6 Dico vltimo; quòd martyrium est quidem remedium ad peccata delẽda, sed non sufficiens sine pœnitentia actuali, vel virtuali, vt optimè dicit Nauar. loc. cit. Nam si alicui offertur martyrium, qui dùm illi offertur animaduertit se esse in peccato mortali, & ꝙ tenetur dolere de peccatis, talis si subit martyrium absque eo, quòd de peccatis doleat damnabitur; quia non habuit pœnitentiam peccatorum. Imò ait Sot. in 4. sent. distin. 15. q. 1. artic. 2. quòd si talis habet copiam Confessarij tenetur confiteri; Et si non confitetur damnabitur. Si verò repente offertur illi martyrium, itaut peccata illi non occurrant in memoriam, vel non cogitet quòd requiritur pęnitentia, quia casus est nimis repentinus dicit Sot. ꝙ martyriũ ex particulari priuilegio tũc remittit illi peccata. Nau. verò lo. cit. dicit, quòd pęnitentia virtualis illi remittit peccata in tali casu; quia ille maximus amor, qui illum impellit ad subeundum martyrium propter Deũ, non pateretur quòd non haberet dolorem peccatorum si aduerteret se esse in peccatis, & quòd de peccatis est necessarius dolor.

7 Quæritur tertio. Vtrum vnum peccatum mortale possit remitti sine altero? D.Th. 3. p. q. 86. art. 3. dicit esse impossibile vnum peccatum mortale remitti sine alio. Idem dicit Caieta. in cõment. supra ar. cit. Idem dicit Dom. Sot. in 4. sent. d. 15. q. 1. art. 3. Vbi & dicit, quòd ita tenent omnes Doctores. Et hoc probat. Quia nullum peccatum potest remitti sine gratia gratum faciente; sed gratia gratum faciens non potest esse cum aliquo peccato mortali: ergo adueniente gratia gratum faciente necessariò recedunt omnia peccata mortalia: Alioquin sequerentur contradictoria; Nempè quòd aliquis esset in gratia, & non in gratia; in peccato, & non in peccato; ad Deũ conuersus, & non conuersus; à Deo misericordiam consequutus, & non consequutus. Et propterea dicunt prædicti D.D. D.Tho. Caiet. & Sot. Quòd nec per diuinam potẽtiam potest alicui remitti vnum peccatum mortale sine alio mortali.

8 Sed hìc est difficultas. Nam aliquando quis quando confitetur habet peccata reseruata, & non reseruata, & absoluitur tantùm à non reseruatis si ille, cui confitetur, nõ habet auctoritatem absoluendi à reseruatis: ergo saltem in tali casu potest remitti unum peccatũ sine alio. Ad hoc resp. Quòd quando aliquis confitetur peccata reseruata, & non reseruata habenti potestatem absoluendi tantùm à non reseruatis, si ab eo absoluitur, absoluitur sacramentaliter à non reseruatis, sed non à reseruatis, à quibus tamen etiam absoluitur consequutiuè; vel, vt alij dicunt virtualiter. Vel vt alij dicunt efficit illa absolutio vt peccata reseruata nõ imputentur illi.

Et quidem quòd talis non absoluatur à peccatis reseruatis sacramentaliter in tali casu probatur. Quia ad constituendum sacramentum præter materiam, & formam, requiritur etiam intentio ministri; sed intentio ministri in tali casu non potest esse absoluendi à reseruatis; Quia erraret minister, nam non absolueret; Et in nostra Ecclesia fieret excommunicatus.

Quòd

Quòd verò consequutiuè ad absolutionem non reseruatorum sequatur ab solutio reseruatorum patet ex præcedenti argumento, quod attulimus ad probandum, quòd vnum peccatũ mortale non potest sine alio remitti.

Demum quòd iste, cui remittuntur hoc modo peccata reseruata, non sit censendus absolutus sacramentaliter à reseruatis etiam patet. Quia tenetur illa iterum confiteri, & ab illis quærere absolutionem sacramẽtalem ab eo, qui potest ab illis absoluere.

9 Neque hoc videtur mirum: Quia & accidere solet in peccatis, quorũ quis obliuiscitur; Nam supposito casu, qui plerumque accidit quòd aliquis commiserit nonnulla peccata mortalia, & post diligentem examinationẽ aliquorum tantùm recordetur, si illa, quorũ recordatur, confitetur talis ab omnib⁹ absoluitur, idest & ab illis, quæ confitetur, & ab illis, quæ non confitetur, quia non recordabatur, si deinde recordabitur, iterum tenebitur confiteri ea, quæ non est confessus; quia eorum nõ recordabatur. Et ratio huius est; quia si fuerat antea absolutus à peccatis, quorum non meminerat, illa absolutio non erat sacramentalis, sed tantùm consequutiua. Alioquin non esset cur iterum teneretur quærere absolutionẽ à peccatis, quorum oblitus fuerat. Et hæc opinio, & doctrina apertè affertur à Sot. in 4. sent. dist. 13. quæst. 1. artic. 3.

10 Quæritur vltimò. Vtrum semper remissa culpa peccati, remittatur etiam tota eius pœna? Resp. quòd non. Et est de fide, vt probabitur infra cap. 10. Vbi de satisfactione. Et alioquin tollerentur omnia opera satisfactoria, idest ieiunium, eleemosina, Indulgentiæ. &c. Imò & tolleretur tertia pars sacramenti Pœnitentiæ, quæ est satisfactio. Et sic erraret Confessarius imponendo pœnitentiam.

Neque hoc videtur inferre præiudicium diuinæ misericordiæ, vt dixerunt contra catholicos impijssimi Lutherani afferentes exemplum de homine, qui remittit iniuriã alteri homini, qui non censetur verè remittere iniuriam si post remissionem iniuriæ intendit pœnam in iniuriantem: Vt si aliquis occidit meum patrem, vel mea surripuit, & à me petit veniam iniurię non dicar ego verè illi remittere iniuriam, si dicam tibi parco, sed volo vt suspendaris, sed istud exemplum non valet. Primò, quia satisfactio, quã quærit Deus non est tanta, quantam merentur peccata mortalia. Quia talis satisfactio esset pœna æterna. Imò neque pœna æterna esset sufficiens pro satisfactione vnius peccati mortalis; Quia offensio in peccato est infinita, cùm offendatur Deus infinitus. Deinde non repugnat quòd aliquis remittat iniuriam & exigat simul satisfactionem; Nam quando irrogatur alicui iniuria offenditur amicitia, & offenditur iustitia: Vnde possem ego remittere iniuriam, & acceptare inimicum in amicitiam saluo debito iustitiæ; idest ponendo pactũ, vt resarciat damnum mihi illatum. Vt si quis occidit patrem meum, vel mea surripuit possum dicere, ego remitto illi iniuriam, quam mihi fecit, sed volo vt resarciat damnum, quod mihi intulit, idest vt me alat si meus pater me alebat, vel vt mea mihi restituat. Simili modo Iudex potest furi condonare iniuriam, ita vt non suspendatur ponendo hoc pactum quòd resarciat dãnum parti læsæ.

Quòd verò aliquando à Deo remittatur culpa peccati, & non tota pœna apertè patet, vt dicunt Doctores, ex 2. Reg. cap. 12. de Dauid, qui dixit Nathan, Peccaui Domino. Cui dixit Nathan, Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris tu: Veruntamen filius, qui tibi natus est, morte morietur. Quod quidem fuit, vt patet ex dicto capite, in pœnam præceden-

tis

tis peccati. Et ita determinatum est in Conc. Trid. sess. 14. ca. 13. & clarius cap. 12. Cuius verba sunt hæc. Si quis dixerit remissa culpa peccati, etiam totam remitti pęnam, &c. anathema sit.

CAPVT QVARTVM.

De effectu Sacramenti Pœnitentiæ quantùm ad remissionem peccatorum venialium.

1 *An pœnitentia remittat venialia.*
2 *An ad hoc requiratur propositum confitendi, & omnia peccata vitandi.*
3 *An requiratur pœnitentia actualis.*
4 *An cum remissione vnius remittantur omnia.*
5 *Cur vnum sine alio remitti possit.*
6 *Quomodo aqua benedicta remittat venialia.*

1 IN hoc capite quęritur primo. Vtrũ, Per Pęnitentiam possint remitti peccata venialia? Ad hoc respond. Quòd Pęnitentia actualis, idest dolor de peccatis venialibus cõmissis, & propositum non amplius ea committendi, saltem in particulari est sufficiens remedium ad delenda peccata venialia. Et probatur. Quia si dolor de peccatis cõmissis, cum proposito non committendi ea amplius, est remedium ad delenda peccata mortalia: multò magis erit remedium ad delenda venialia, quæ sunt mortalibus longè inferiora.

2 Sed quantùm ad hoc est differentia inter peccata venialia, & peccata mortalia.

Primò, quod ad delenda peccata mortalia dolori de peccatis comissis debet esse annexum propositum illa confitendi, seu confessio ipsa: Ad delenda verò venialia non requiritur ipsorum cõfessio, aut confessionis votum. Quoniam, vt supra diximus in cap. 1. peccata venialia licet sint sufficiens materia sacramenti Pęnitentiæ, non tamen sunt necessaria materia, sicuti peccata mortalia.

Secundò est differentia quòd propositum, quòd requiritur ad delenda venialia simul cum dolore non requiritur quòd sit euitandi in posterum omnia peccata venialia in generali, & in particulari; Sed sufficit quòd sit propositum euitandi omnia venialia in particulari. Quia homo non viuit, aut viuere potest longo tempore, sine peccato veniali. Nam septies in die cadit iustus, nisi adeò sit in gratia confirmatus, sicuti fuit Beata Virgo. De peccatis verò mortalibus debet homo habere propositum non committendi amplius illa neque in generali, neque in particulari. Atque hæc ex doctrina D. Thom. tertia parte, quæstione octuagesimaseptima, articulo primo. Tunc autem dicitur quis habere animum euitandi omnia venialia in particulari quando deliberat non committere hoc, vel illud peccatum veniale, & aliud, quod sibi tunc in mentem occurrat.

3 Tertiò est differentia quòd ad delenda peccata venialia non semper requiritur pęnitentia actualis, sicut ad delenda peccata mortalia necessariò requiritur, vt supra diximus in cap. antecedenti; & vt dicit D. Thom. quæst. 87. cit. artic. primo. Sed sufficit pęnitentia, seu dolor virtualis. Hæc autem Pęnitentia tunc maximè est, quando

do aliquis elicit actum quendam amoris erga Deum. Nam ille, qui actu diligit Deum, virtualiter desiderat Deo placere: Et qui desiderat ei placere, virtualiter desiderat ei non displicere. Et qui desiderat Deo non displicere, virtualiter desiderat esse sine peccato; & qui desiderat esse sine peccato, habet necessariò displicentiam peccatorum; Et proindè, qui actu Deum diligit, virtute dicitur habere pęnitentiam, per quam, vt ait Diu. Thom. loc. cit. delentur peccata venialia.

4 Quęritur secundo. Vtrum semper quando remittitur vnum peccatum veniale, remittantur etiam alia venialia, sicuti supra diximus de mortalibus in cap. antecedenti quæsito penult. Vbi dictum fuit ex communi Doctorum opinione, non posse vnum peccatum mortale remitti sine alio? Respond. ex D. Thom. tertia par. quæst. 87. articulo secundo. Quòd per Pęnitentiam actualem virtualem, seu peccatorum venialium tantùm remittuntur ea peccata venialia, de quibus non habetur actualis delectatio; Nam si aliquis habet plura peccata venialia, & de aliquibus dolet; & de alijs non: vel proponit se abstinere ab aliquibus, & ab aliquibus non: per talem dolorem, & per tale propositum non remittuntur ei illa peccata, de quibus non dolet; & quæ proponit iterum committere; sed alia remittuntur. Simili modo si aliquis simul cum actuali dilectione Dei, delectatur de aliquo peccato veniali; Illud veniale, de quo delectatur, non remittitur illi, sed alia per dilectionem Dei, in qua dilectione virtualiter continetur pęnitentia eò modo, quo supra diximus de sanctissima Eucharistia, quòd per eius dignam sumptionem remittuntur sumenti omnia peccata venialia, de quibus non est actualis delectatio. Quare si aliquis dùm sumit Eucharistiam, proponeret committere peccatum veniale, vel delectaretur de peccato veniali commisso, illud peccatum tunc non remitteretur per Sanctissimam Eucharistiam: sed tantùm alia venialia remitterentur.

5 Ratio autem, cur possit remitti vnum veniale sine alio, & non sic in mortalibus; est quia peccatum veniale non contrariatur gratię, sicut mortale. Quare peccatum veniale potest simul stare cum gratia; Et propterea non semper dimisso vno veniali dimittitur & aliud veniale.

Ex ijs, & ex dictis in capite antecedenti, infertur primo quòd peccatum mortale non potest remitti, nisi remittantur & alia mortalia si sunt.

Infertur secundò, quòd vnum peccatum veniale potest remitti etiamsi non remittatur aliud veniale.

Infertur tertio. Quòd peccatum mortale potest remitti etiamsi non remittantur omnia venialia cum eo: Vt patet in eo, qui habet veram contritionem peccatorum mortalium, & simul complacentiā vnius peccati venialis, vel aliquorum:

Infertur quartò. Quòd numquam potest remitti aliquod peccatum veniale in eo, qui est in peccato mortali, nisi prius remittatur peccatum mortale. Et ratio huius est. Quia non remittitur peccatum veniale nisi adsit pęnitentia actualis, aut virtualis, vt diximus in præcedenti quæsito. Quæ pęnitentia actualis, vel virtualis non potest esse in eo, qui est in peccato mortali; Et hæc est doctrina D. Thomæ in articulo supra citato.

6 Quæritur tertiò. Quomodò per aquam lustralem, per Episcopi benedictionem, per tunsionem pectoris, & alia huiusmodi possint deleri peccata venialia si semper ad eorum

dele-

deletionem requiritur pœnitẽtia actualis, aut virtualis? Ad hoc resp. D.Th. in 3.p. q.87. art.3. Quòd ad delendum peccatum veniale sufficit aliqua pœnitentia virtualis. Vt est actus charitatis, & gratiæ, per quem homo explicitè, vel implicitè, aut interpretatiuè mouetur ad detestandum peccatum. Ex quo fit, inquit D.Tho. vt tribus modis possint remitti peccata venialia p actum, in quo interpretatiuè, vel virtualiter continetur pœnitentia.

Primo modo remittuntur peccata venialia per receptionem gratiæ diuinæ, & hoc modo Sanctissima Eucharistia, Extrema vnctio, & alia nouæ legis sacramenta dicuntur remittere peccatum veniale; Quia infundunt gratiam in animam nostram.

Secundo modo dicuntur remittere peccata venialia, quædam, quibus eleuatur anima nostra ad motum detestationis peccati. Et hoc modo dicuntur remittere peccatum veniale confessio generalis; qualis est illa, quæ fit a Sacerdote ante Missam, tunsio pectoris; & oratio dominica; Quia in ea dicitur. Dimitte nobis debita nostra.

Tertio modo dicũtur remittere peccatum veniale illa, quibus eleuatur animus noster ad quandam Dei, & rerum diuinarum reuerentiam, in qua reuerentia implicitè continetur peccati detestatio. Et hoc modo remittuntur peccata venialia per aquam benedictam, per Episcopi benedictionem, & per ingressum in Ecclesiam consecratam, seu per orationes in ea factas. Ita D.Thom. loc.cit. Sed Sot. non sequitur in hoc doctrinam D.Thomæ; neq; Victoria in sum. Sacramentorum. nume. 109. Qui dicunt tunsionem pectoris, benedictionem Episcopi, confessionẽ generalem, & aquam lustralem non remittere peccata venialia; quia eleuetur semper propter illa animus noster ad motum detestationis, seu reuerentiæ in Deum; sed remittere peccata venialia ex opere operato propter Ecclesiæ institutionem, nempè. Quia Ecclesia instituit, vt illi remittantur peccata venialia, qui dixerit orationem dominicam, aut reuerenter acceperit benedictionem Episcopalem; & alia huiusmodi fecerit, quæ supra diximus. Quare ait Sot. si aliquis cum aliqua reuerentia in Deum aspergeret se aqua nõ benedicta, quam putaret esse benedictam, quòd non remittuntur ei peccata venialia, quia Ecclesia instituit aquam benedictam ad remittenda peccata venialia, & non aliam. Hæc dicit Sot. in 4. sentent. distinct. 15. qu. 2. artic. 3.

Quòd si quis dixerit Soto. Igitur Ecclesia potest instituere remedia operantia ex opere operato remissionem peccatorum; & sic posset etiam instituere sacramenta; Quod est contra veritatem. Ad hoc resp. ipse ibidem. Quòd Ecclesia propter hoc non potest instituere sacramenta, quia sacramenta non tantùm remittunt peccata ex opere operato; sed etiam infundunt gratiam ex opere operato. Sacramentalia verò, qualia sunt confessio generalis, aqua benedicta, &c. remittunt quidem peccata venialia, sed non dant gratiam ex opere operato. Et ideò potuit Ecclesia, & potest instituere sacramentalia ad delenda venialia, ad quorum deletionem non requiritur gratiæ infusio; Non autem potuit instituere sacramenta, in quibus confertur gratia ex opere operato, aut remedia ad delenda mortalia ex opere operato. Quia non delentur mortalia sine infusione gratiæ. Sed quicquid dicat Sotus, Ego credo quòd prædicta remedia ad delenda venialia, licet sint instituta ab Ecclesia; non tamen delent venialia, nisi adsit aliquis motus compunctionis peccati, aut reuerentiæ in Deũ saltem virtualis. Et ideo dico. Quòd si aliquis se aspergeret cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, aqua non be-

ne-

nedictâ, quam putaret esse benedictâ, remitterentur illi peccata venialia propter suam reuerentiam, & bonam fidem.

Quòd si dicas. Aqua benedicta asperguntur morituri, qui sunt amentes, & tamen deuotio, non est vana, etiamsi nulla adsit est occasio, vel reuerentia aspersi cùm sit amens. Resp. Quòd si talis amens esset sanus, esset adeò deprauatus, vt ad aspersionem aquæ benedictæ non se excitaret ad aliquâ reuerentiam, seù deuotionem, talis asper sio nihil illi proficeret. Secus si foret melius dispositus.

CAPVT QVINTVM.

De reditu peccatorum mortalium per Pœnitentiam dimissorum.

1 *Peccata dimissa redeant, nec ne per nouum peccatum.*
2 *In peccato tria considerantur.*
3 *Quoad culpam peccata remissa non redeunt.*
4 *Nec minus quantum ad pœnam sensus.*
5 *Redeunt quodam modo quoad pœnam damni.*
6 *Peccata dimissa dicuntur redire per ingratitudinem.*
7 *Qualis ingratitudo sit circunstantia peccati.*

1 IN hoc capite hoc tantùm quæritur. Vtrum si committatur vnum peccatum, postquam per sacramentum Pœnitentiæ remissa sunt multa alia peccata, propter illud peccatum nouum redeant peccata iam remissa; ita vt anima nostra fiat maculata non tantùm macula peccati noui; sed etiam maculis peccatorum antea dimissorum? Et pars affirmatiua videtur vera. Quia habetur in epist. D. Iacobi cap. 2. Quòd qui offendit in vno factus est omnium reus. Secundò, quia opera mortificata, idest opera, quæ facta fuerunt in gratia, & deinde sunt indigna præmio propter peccatum mortale sequens, per Pœnitentiam viuificantur, & fiunt digna præmio: ergo peccata iam remissa per nouum peccatum redeunt.

Pro solutione istius difficultatis notandum est ex D. Th. 3. p. q. 88. art. 1.

2 Quòd in peccato mortali sunt tria, scilicet culpa, quæ tollitur per Pœnitentiam: Pœna damni, idest priuatio visionis Dei, quæ etiam tollitur per Pœnitentiam. Et pœna sensus æterna, quæ est ignis Inferni, & cruciatus, quibus afficitur anima damnati. Quæ pœna per Pœnitentiam non semper tota tollitur, sed commutatur in pœnam temporalem, quæ deinde deletur per satisfactionem, per indulgentias, aut per ignem Purgatorij.

3 Hoc notato dico primo, quòd peccata per Pœnitentiam remissa non redeunt per nouum peccatum commissũ quantùm ad culpam. Quia anima, quę per homicidium erat maculata culpa ipsius homicidij, si mundetur per Pœnitentiam, non deinde fit maculata macula homicidij si furtum, & non homicidium committatur post pęnitentiam homicidij. Vnde ille, qui semel ab homicidio fuit absolutus, non tenebitur homicidium iterum confiteri si postea furtum committat, sed sufficiet confiteri furtum. Quia talis tantùm indiget, vt à furto absoluatur. Ita dicit D. Tho. art. supra cit. Et Victor. in sum. n. 110.

4 Dico secundo. Peccata iam remissa per Pœnitentiam non redeunt per nouum peccatum post Pœnitentiam commissum quantùm ad pœnam sensus. Quia alioquin Confessarius deberet iterum imponere pœnitentiam illi, qui secundò confitetur pro peccatis primò remissis: Quod tamen non fit. Nam videmus, quòd si quis

cõmisit homicidium, & illud confitetur, & pro illo satisfacit si deinde cõmittat furtum Confessarius non dabit illi nouam pęnitentiã pro homicidio, sed pro furto. Nisi id fiat in Confessione generali, ad maiorem vtilitatem, & cautelam, aut abundantiam.

Quòd si dicas. Si quis moreretur post remissum homicidium, & post cõmissum furtum non remissum pateretur pœnam æternam sensus: sicuti pateretur si illi non fuisset remissum homicidium: ergo aliquo modo pœna sensus debita homicidio redit persequens peccatum. Resp. Quòd licet dictus propter furtum cõmissum post homicidium remissum pateretur pœnam æternam sensus; non tamen tantã idest tam intensam pateretur, quantam pateretur si illi non fuisset per Pœnitentiam remissum homicidium.

5 Dico tertiò, quòd peccata per Pœnitentiam remissa largo quodam modo dicũtur redire post nouum peccatum cõmissum post Pœnitentiam quantùm ad pœnam damni. Quia non minus punitur priuatione visionis Dei qui cõmisit vnum peccatum mortale, quàm qui plura cmomisit.

Quare ad primam rationem, quę ponebatur in contrarium ex auctoritate D. Iacobi dicendum est cum D. Th. ar. cit. D. Iacobum esse intelligendũ, quantùm ad pœnam damni. Quia, vt dixi, non secus priuatur visione Dei, qui decedit cum vno peccato, quàm qui cum multis.

Ad secundum resp. cum Sot. in 4. d. 16. q. 1. ar. 1. Quòd misericordia Dei est magis potens ad viuificandũ, quàm sit peccatum ad mortificandum. Et propterea non est mirum. Si opera per peccatum mortificata redeunt, & non redeunt peccata iam remissa. Secundò dicit Sot. ibidem, Quòd opera bona per peccatum mortificari non est idem, quòd tolli; Non enim tolluntur opera bona per peccata, sed tantùm impediuntur, vt non possint habere meritum propter indignitatem personæ, quæ est in peccato mortali. Et ideò reuiuiscunt si per Pœnitentiam tollatur peccatum mortale. Peccata verò remitti est omnino peccata tolli, ita vt non possint amplius redire, nisi iterum cõmittantur. Imò & si iterum cõmittãtur, non redeunt eadem numero, sed redeunt similia.

6 Dico quartò, quòd peccata dicuntur redire, etiamsi sint remissa, quandò committitur nouum peccatum aliquo modo per ingratitudinem. Quia si aliquis per peccatũ offendit Deum, & deinde ab eo recipit beneficium absolutionis, & remissionis per pœnitentiam, ostendit magnam ingratitudinẽ si iterum per nouum peccatum Deũ offendit, a quò iam beneficium absolutionis alterius peccati erat consequutus. Ita D. Th. & Vict. lo. cit. quæ tamen ingratitudo, quoniam est tantũ peccati circunstantia, & non mutat speciem peccati, non est necessariò manifestanda Confessario, vt dicũt prædicti DD. Vnde qui cõmisit homicidium, nõ tenetur si postea cõmittit furtum quando confitetur furtum dicere. Postquam mihi fuit remissum homicidium cõmisi tale furtum, sed sufficit dicere. Cõmisi furtum tale. Sed Sot. in 4. d. 16. q. 1. ar. vltimò dicit.

7 Quòd potest fieri aliquem ita sæpè cõmittere vnum peccatum, a quo sæpè fuerit absolutus, vt propterea teneatur confiteri hanc circunstantiam, quòd sæpè fuit absolutus ab eodem peccato saltem, vt possit Confessarius præbere efficacia remedia ad euitandum peccatum, quod sępe cõmittit. Sed de hoc agetur infra in cap. 9. circam conditionem confessionis integra.

Sed dices. Ingratitudo est speciale ali-

aliquod peccatum : ergo aliquando tenebitur quis dicere. Peccaui peccato ingratitudinis. Resp. Quòd duplex est ingratitudo. Alia, quæ est circunstantia peccatorum, & de hac non est necessaria confessio. Alia verò est speciale peccatum, vt si quis ideò peccaret, vt contemneret beneficium a Deo acceptum, idest peccaret in contemptum beneficij, talis teneretur dicere in confessione. Cómisi tale peccatum in contemptum benefitij a Deo accepti, itaut caussa cómissionis illius delicti, qui est contemptus beneficij accepti & formaliter ingratitudo sit necessario ad integritatem confessionis; manifestanda confessario, non ita, si quis deinde peccat post remissum peccatũ ex fragilitate, aut etiam ex malitia, sed non in contemptum benefitij accepti.

CAPVT SEXTVM.

De effectu Sacramenti Pœnitentiæ, quantùm ad recuperationem gratiæ, & virtutum.

1 *Sex opera hominis distinguuntur, mortifera, mortua, mortificata, viua, viuificantia, & viuificata.*

2 *Quænam opera viuificantia; vtrum baptismus, contritio, penitentia &c. viuificent opera.*

3 *Cętera sacramenta a pęnitentia viuificant per accidens.*

4 *Quomodo opera mortificata viuificentur.*

5 *Possintnè opera mortua viuificari.*

6 *Pęnitentia restituatne homini virtutes infusas.*

7 *Causetnè penitenti maiorem gratiam, vbi variæ circa hoc opiniones afferuntur.*

IN hoc capite primo quæritur. Vtrũ opera mortificata per Pœnitentiam viuificentur. 1

Pro solutione istius quæsiti notandum est. Quod sex sunt genera operum hominis quantùm ad nostrum propositum nunc attinet, idest mortifera, mortua, mortificata: Viuificantia, viua, & viuificata.

Opera mortifera sunt peccata mortalia, quæ ideò dicuntur mortifera, quia mortem animæ nostræ inferunt.

Opera mortua sunt opera bona de sua natura, quæ tamen fiunt ab eo, qui est in peccato mortali; Quæ ideò dicuntur mortua, quia nó procedunt ex charitate, & gratia, quæ est vita nostrarum bonarum operationũ, & quia non sunt meritoria vitæ æternæ, sicut sunt opera bona, quæ fiunt in gratia.

Opera mortificata sunt opera bona, quæ fiunt ab eo, qui est in gratia, & sunt meritoria vita æterna, sed mortificantur persequens peccatum mortale, ita ut manente peccato mortali nó possint habere meritum non de sua natura, sed propter indignitatem personæ, quæ est in peccato mortali.

Opera uiua sunt opera bona, quæ fiunt in gratia manente ipsa gratia, antequàm accedat peccatum. Et dicuntur uiua, quia fiunt ex charitate, & manente gratia, quæ est uera uita uirtutum: Vnde fides, quæ est cum charitate, & gratia dicitur uiua, Quæ uerò est sine charitate, & gratia dicitur mortua.

Opera uiuificantia sunt opera bona, quæ faciunt hominem de mortuo uiuum; Et hæc sunt Baptismus, contritio, & sacramentum Pœnitentiæ p 2

se; & alia sacramenta nouæ legis per accidens, quæ possunt facere hominē de mortuo uiuum quantùm ad uitam spiritualem. Dixi (Baptismum per se) Quia Baptismus per se valet ad remittendum peccatum originale, quo stante stat etiam anima nostra mortua; & quo remoto anima nostra viuificatur. Quia quando remittitur peccatum originale, necessariò accedit gratia, quæ est vita spiritualis animæ nostræ. Dixi (Contritionem per se) Quia contritio sola sine sacramento in re valet ad delendum peccatum mortale, vt supra dictum est in capit. secundo huius par. quæsito vltimo. Quòd peccatum mortale est mors animæ nostræ, & quo ablato per gratiam anima viuificatur.

Dixi (Sacramentum Pœnitentiæ per se,) quia si adsit tantùm attritio, sacramentum Pœnitentiæ cum illa potest per se animam nostram viuificare, si sit mortua per peccatum mortale, quia solum sacramentum Pœnitentiæ fuit institutum ad delenda peccata mortalia, & ad viuificandam animam, quæ est in peccato mortali post baptismum.

3 Dixi (& alia sacramenta nouæ legis per accidens) quia licet Sanctissima Eucharistia, Extrema vnctio, &c. non fuerint instituta ad delendum peccatum mortale, sed propter alios peculiares effectus, vt dictum est in prima parte istius Tractatus; tamen per accidens aliquando possunt delere peccata mortalia, & ita possunt viuificare animam nostram, & possunt viuificare nostra opera mortificata, vt expositum fuit in quarta parte istius Tractatus De Sanctissima Eucharistia; Nam fieri potest quòd aliquis per Eucharistiam, Extremam vnctionem, vel per aliud Sacramentum fiat ex attrito contritus, & tunc illud sacramentum dabit primam gratiam, & remittet peccatum mortale.

4 Demum opera viuificata sunt opera viua, & viuificantia, quæ fuerunt facta in gratia, & quæ erant meritoria vitæ æternæ, sed deinde fuerunt mortificata persequens peccatum mortale; Et de his operibus mortificatis nunc est quæsitum, Vtrum per Pœnitentiam viuificentur, Idest vtrum si per Pœnitentiam remoueatur peccatum mortale fiant illa opera eiusdem meriti, & virtutis, cuius erant ante peccatum mortale? Et respondeo affirmatiuè. Et hoc patet ex ipsamet explicatione. Nam quando aliquid non potest operari propter aliquod impedimentum, si remoueatur impedimentum, tunc potest operari, sed opera mortificata vt dictum est non sunt viua idest digna vita æterna propter peccatum sequens: ergo si remoueatur peccatum per Pœnitentiam, opera mortificata viuificabuntur, idest iterum viua fient. Et hoc potest probari ex eo, quod habetur Ioel 2. Vbi postquam Deus dixit, Conuertimini ad me &c. Subdit, Et ego reddam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus. Vbi glos. interpretatur hæc verba Dei de operibus mortificatis, quæ per conuersionem, idest Pœnitentiam iterum viuificantur. Et Ezechiel 33. dicit Dominus, Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum suarum, iniquitas ei non nocebit: ergo opera mortificata per Pœnitentiam viuificantur, alioquin si non viuificarentur, etiamsi tolleretur peccatum mortale, adhuc iniquitas noceret: Quia opera, quæ erant digna præmio propter peccatum remanerent priuata præmio. Et Christus Dominus Lucæ 15. dicit quòd Pater postquam pepercit filio prodigo, iussit vt daretur illi prima stola, quod interpretantur Doctores de merito bonarum operationum, quæ fuerant mortificatæ propter peccatum. Demum

D. Ambrosius, vt refert etiam D.Th. in tertia parte quæstione 89. articulo secundo, dicit quòd Pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus ad perfectum reuocat.

5 Quæritur secundo. Vtrum per Pœnitentiam opera mortua possint viuificari? Respond. cum Diu. Thom. in tertia parte, quæst. 89. articulo sexto. Quòd opera mortua per Pœnitentiam non possunt viuificari: sicuti per Pœnitentiam viuificantur opera mortificata: Quia opera mortua quando facta fuerunt non habuerunt principium vitæ spiritualis, scilicet charitatem, & gratiam, & de sua natura non habent meritum vitæ æternæ. Quare si per Pœnitentiam auferatur peccatum mortale, opera mortificata, & opera mortua manent sicut erant quando facta fuerunt: Vnde ait D. Paul. in 1. Ad Corinth. cap. decimotertio. Si tradidero corpus meum itaut ardeã, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

6 Quæritur tertio. Vtrum per Pœnitentiam restituantur homini virtutes infusæ, quæ amittuntur per peccatum? Pro solutione istius quæsiti sciendum est. Quòd gratiam commitantur virtutes infusæ, quæ sunt supranaturales, sicuti intellectus, & voluntas commitantur animam rationalem. Vnde supra diximus in secunda parte per Baptismum infundi virtutes. Quia cùm infundatur gratia, infunduntur etiam virtutes, quæ eam commitantur. Hæ autem virtutes sunt charitas, iustitia, temperantia, & huiusmodi virtutes supranaturales, quæ non possunt esse sine gratia: Et de his quæritur. Vtrum Per Pœnitentiam homini restituantur? Et resp. affirmatiuè. Si enim necessariò consequuntur gratiam, cùm per Pœnitentiam restituatur gratia, & ipsas restitui necesse est. Et ita D. Tho. in tertia parte, quæst. supracitata, articulo 2.

7 Quæritur vlt. Vtrum per Pœnitentiam homo resurgat in maiori gratia; An in æquali; An in minori, quàm erat ante peccatum mortale? Hæc quæstio inter DD. est celeberrima propter varias eorum opiniones, Quæ commodè ad quatuor reduci possunt. Quarum prima fuit Henrici in 4. sentent. distinct. 22. Quòd per Pœnitentiam omnes homines resurgunt in æquali gratia; Sed hæc opinio est falsa. Quia facit homines similes pueris, qui baptizantur; & ita non esset differentia quantùm ad acquisitionem gratiæ inter eũ, qui accedit ad sacramentum Pœnitentiæ cum maxima contritione, & deuotione; & eum, qui cum minima, sed sufficienti. Deinde sequeretur, quòd si D. Ioannes Baptista, qui semper sanctissimè vixit, in fine vitæ suæ commisisset aliquod peccatum mortale, cuius deinde illum pœnituisset per Pœnitentiam, tantũdem gratiæ tantùm habuisset, quantùm habuisset alius homo, qui semper flagitiosè vixisset; & in fine vitæ suæ illum pœnituisset scelerum suorum: Et sic nulla haberetur ratio retroactæ vitæ, quantùmuis sanctissimæ: Cuius contrarium apertè probatum fuit in quæsito primo istius capitis: Vbi dictum, & probatum fuit, Opera mortificata per Pœnitentiam viuificari.

Secunda opinio fuit Scoti in quarto sententiarum, distinctione vigesimasecunda, qui dixit. Quòd homo per Pœnitentiam semper resurgit in ordine ad maiorem gloriam: sed non semper in maiori gratia. Quia homo per Pœnitentiam ordinatur ad eam gloriam, ad quam erat ordinatus iuxta meritum bonarum operationum antequàm peccaret; & ad maiorem gradum propter contritionem, quam habet quando resurgit.

Ad gratiam verò ordinatur iuxta maiorem, vel minorem contritionem,

quam

quam habet quando resurgit. Vnde secundum opinionem Scoti gloria mẽsuratur secundum merita bonarum operationum, quæ fuerant mortificata; & secundum maiorem, vel minorem contritionem, quam quis habet quando resurgit. Gratia verò mensuratur tantùm iuxta cõtritionem, quam quis habet quando resurgit. Sed hæc opinio non videtur vera. Quia communiter omnes alij DD. dicunt. Quòd gloria mensuratur iuxta mensuram gratiæ, & gratia mensuratur iuxta mensura meritorum, & merita mensurantur iuxta mensuram bonarum operationũ factarum in charitate. Quare tanta erit gloria, quanta gratia; tanta erit gratia, quanta erunt merita; & tanta erunt merita, quantæ fuerunt bonæ operationes viuæ.

Tertia opinio fuit antiquissimorum DD. Scholast. Alber. magni. Alex. de Ales. Riccar. Duran. Bonau. & D. Tho. quos omnes citat, & sequitur Sot. in 4. sent. dist. 16. & Victor. in sum. Sacram. nu. 112. Qui dixerunt. Quòd non semper resurgit homo per Pœnitentiam ad maiorem, aut æqualem gratiam, à qua ceciderat per peccatum mortale: Sed resurgit ad gradum gratiæ secundum proportionem contritionis. Quare si est contritio maxima per Pęnitentiam dabitur tanta gratia, quanta erat ante peccatum mortale; & aliquid plus propter contritionem. Si verò est contritio mediocris, resurget homo ad dimidiam gratiam, quam habebat ante peccatum, & ad aliquid plus, quàm sit dimidium propter contritionem [illegible]

Quarta opinio fuit Almaini, Ochã, Maiol. & Gab. in 4. sententi. Qui dixerunt. Quòd semper homo per Pœnitentiam resurgit ad maiorem gratiã, & ad tantò maiorem, quantò maior est contritio. Quia per Pœnitentiam restituitur tota gratia, à qua caditur per peccatum mortale; & insuper datur alius gradus gratiæ, quæ est maior, vel minor contritio, qua resurgitur.

Ego verò dico. Quòd licet tertia opinio sit probabilis propter auctoritatem tantorum Doctorum, qui eam sequuti fuerunt; Quarta tamen est vera. Et probatur ex ijs, quæ dicta sunt in primo quæsito istius capitis. Nam si opera mortificata viuificantur sortiuntur idem meritum, & eandem gratiam, quæ illis debebatur. Deinde Ezechiel. 33. dicit Deus si impius egerit pœnitentiam &c. non recordabor amplius iniquitatum suarum. Tertio Ioel. 2. dicit Deus. Reddam vobis omnes annos, quos comedit locusta, & bruchus. Quòd si homo non resurgeret ad omnem gratiam, quam amiserat, non redderet ei Deus omnes annos, quos comedit locusta, & bruchus. 4. Lucæ 15. Pater iussit reddi filio prodigo, cui pepercerat, primam stolam, idest eam, quam habebat ante peccatum; Sed non redderetur prima stola, si non restitueretur ei tota gratia amissa, sed alia minus pretiosa. Quintò, non esset verum, quod dicit D. Amb. videlicet. Per Pœnitentiam omnes defectus reuocari ad perfectum, si per Pœnitentiam non daretur tota gratia amissa per peccatum.

Sed dicet aliquis experientia patet, quòd aliquando aliqui magis resistũt, & facilius peccato, & tentationibus mundi, carnis, & diaboli antequã peccent, quàm postquam per Pœnitentiã resurrexerunt: ergo signum est, quòd homo per Pœnitentiam nõ resurgit ad pristinam gratiam.

Dicet quis secundò. Videmus experientia, quòd sæpè homines feruẽtius, & facilius operantur opera virtutum, & charitatis, antequàm peccent, quàm postquam à peccatis resurrexerunt; ergo signum est, quòd homo per Pœnitẽtiam non resurgit ad eundem gradum gratiæ, à quo per peccatum ceciderat.

Dicet quis tertiò. Contritio est dispositio ad gratiam: igitur quantò maior erit contritio, tantò maior erit gratia

tia

tia nullo habito respectu ad opera meritoria præterita per peccatum mortificata:

Ad primum, & secundum argumentum respondeo quòd difficultas, quam habet pœnitens ad benè operandum, & ad resistendum peccatis, & tentationibus, nō ideò est, quia in eo sit minor gratia, quàm esset ante peccatum, sed quia potest fieri, quòd in eo sit minor feruor charitatis, & quid in eo remaneat inclinatio ad peccandum, qui est habitus acquisitus ex actibus illicitis; quæ inclinatio retardat hominem ab operationibus bonis, itaut non tam facilè possit se exercere in actibus virtuosis, sicuti faceret, si numquam peccasset. Quæ inclinatio non semper tota tollitur per Pœnitentiam, licet debilitetur, & deinde tollatur per frequentationem actuum virtutum contrariarum.

Ad tertium respond. Quòd cōtritio non dicitur dispositio ad acquirendā gratiam per peccatum amissam, nisi prout tollit pecc. mortale, quod prohibet, ne opera meritoria iam facta habeant suam mensuram gratiæ: Et proptereà gratia, quæ datur propter opera bona mortificata, non est mensuranda ad mensuram Contritionis, sed ad mēsuram bonarum operationum, quæ reuiuiscunt; Sed tantùm nouus gradus gratiæ, qui deinde datur propter ipsammet contritionē, debet mensurari secundùm mensuram ipsiusmet contritionis, qui gradus accrescit magis, vel minus, secundum maiorem, vel minorem contritionem, toti gratiæ, quæ datur propter opera, quæ reuiuiscunt.

CAPVT SEPTIMVM.

De partibus integralibus Sacramenti Pœnitentiæ, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio in communi.

1 *Quænam partes sint essentiales sacramenti pœnitentiæ.*
2 *Quænam integrales, ex varijs opinionibus.*
3 *Soluuntur obiecta contra veram opinionem.*
4 *Contritio quomodo sit sensibilis.*
5 *Satisfactio quomodo sit simul cum forma huius sacramenti.*
6 *Satisfactio quomodo gratiam conferat.*
7 *Sacramentum pœnitentiæ possitnè stare sine satisfactione.*

1 IN hoc capite Hoc tantùm quæritur. Quot sint partes integrales sacramenti Pœnitentiæ. Pro responsione ad hoc Quęsitum notandum est, quòd vnius rei possunt esse partes essentiales, & partes integrales. Essentiales sunt illæ, ex quibus aliqua res essentialiter componitur, tamquàm ex materia, & forma. Vt in homine partes essentiales sunt anima rationalis, quæ est forma; & corpus, quod est materia; ex quibus conflatur homo: Ita in sacramento Pœnitentiæ partes essentiales sunt absolutio Sacerdotis, & actus pœnitentis; ex qua absolutione, tamquàm ex forma, & ex quibus actibus tamquàm ex materia conflatur vnum totum essentiale, quod dicitur sacramentum Pœnitentiæ. Partes integrales sunt illæ, ex quibus rei materia integratur; vt in homine partes integrales hominis sunt caput, brachia, manus, pedes, & cætera hominis membra,

bra, ex quibus integratur corpus, quod est materia hominis: Et propterea partes integrales dicuntur etiam materiales, ita in sacramento Pœnitentiæ partes materiales erunt actus pœnitentis, qui quoniam possunt esse multi, ideò de illis nunc quæritur quotnam sint? De hoc quæsito fuerunt variæ opiniones. Nam Scot. in 4. sent. d. 14. q. 1. dicit nullam esse partem integralem sacramenti Pœnitentiæ. Quia existimauit solam absolutionem esse totum sacramentum Pœnitentiæ, sed hanc opinionem reiecimus in primo cap. istius partis quæsito 2. Duran. in 4. sent. d. 14. quæst. 2. art. 1. existimauit solam confessionem esse partem materialem Pœnitentiæ. D. Thom. in 3. p. quæst. 90. ar. 2. quem sequuti fuerũt omnes alij DD. dixit quòd partes integrales, seu materiales sacramenti Pęnitentię sunt tres, idest contritio, confessio & satisfactio. Quę opinio est adeò vera, vt contrarium dicere, videatur in fide periculosum. Nam ita videtur determinasse Concil. Flor. sub his verbis. Quartum sacramentum est Pęnitentia, cuius quasi materia sunt contritio, qua pœnitentes detestantur peccatum, & proponunt non amplius peccare. Confessio, qua proprio Sacerdoti peccata integrè aperiuntur. Et satisfactio, qua pro peccatis satisfit maximè per orationem, ieiunium, & eleemosinam, Idem ferè habetur in Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. De Pœnit. & can. 4. item De Pœnit. Cuius verba citauimus in cap. 1. istius partis, quæsito 3.

Quòd si dicas. Concilia citata non dicunt contritionem, confessionem, & satisfactionem esse materiam sacramenti Pœnitentiæ, sed quasi materia. Respondendum est prout respõdimus in primo cap. istius partis, quæsito tertio.

3 Sed circa prædicta sunt nonnullæ obiectiones; Quarum prima est hæc. Contritio non est res sensibilis, igitur non videtur posse esse pars materialis, aut integralis alicuius sacramenti. Quòd contritio non sit sensibilis patet, quia est sita in corde; Quòd verò partes sacramenti debeant esse sensibiles, patet ex deffinitione sacramenti, quam attulimus ex Catechis. Rom. D. Aug. & alijs DD. in prima parte huius Tractatus. Quæ deffinitio est hęc. Sacramentum est sacræ rei signum; seu inuisibilis gratiæ visibile signum. Hæc obiectio est Durandi in 4. sent. dist. 15. q. 1. propter quam dixit, contritionem esse quidem necessariam ad Pœnitentiam; sed non esse partem integralem sacramenti Pœnitentiæ.

Secunda obiectio est de satisfactione. Et est hęc. Materia sacramenti debet esse simul cum forma; sed satisfactio non est simul cum absolutione sacerdotis, quę est forma sacramenti Pęnitentię: igitur satisfactio non potest esse pars materialis sacramenti Pœnitentiæ. Quòd in sacramentis materia necessariò debeat esse simul cum forma patet ex ijs, quæ dicta sunt in 1. p. istius Tractatus, vbi determinatum fuit, quòd de necessitate sacramenti necessariò requiritur, vt materia sacramenti sit simul cũ forma simultate saltem morali. Vnde in Baptismo si quis diceret, Ego te baptizo &c. & deinde post aliquod notabile tempus ablueret, non esset sacramentum Baptismi, quia forma non esset simul cum materia. Quòd verò satisfactio non sit simul cũ absolutione patet. Quia poterit quis post menses aliquot exequi satisfactionem à Confessario iniunctam. Hæc obiectio ponitur etiam à Duran. loc. cit. propter quam dixit, satisfactioné non esse partem materialem sacramenti Pœnitentiæ.

Tertia obiectio est etiam de satisfactione. Et est hęc. Satisfactio non confert gratiam: ergo satisfactio non est pars sacramenti Pœnitentiæ.

Quarta demum obiectio est etiã de sa-

satisfactione, & est etiam Duran. loc. cit. & est hæc. Sine satisfactione potest esse sacramentum Pœnitentiæ: ergo satisfactio non est pars materialis sacramenti Pœnitentiæ.

4 Ad primam obiectionem resp. cum D. Th. in 3. p. q. 90. ar. 2. cit. quòd contritio, licet de sua natura non sit sensibilis; est tamen sensibilis per aliud, idest per confessionem, per genuflexionem, quæ fit ante confessarium; & per alios exteriores pœnitentis actus: maximè per acceptationem pęnitentiæ, quæ iniungitur, si acceptatur. Et hoc sufficit ad hoc, quod aliquid possit esse pars materialis alicuius sacramenti quantùm ad sensibilitatem. Sicut in sacramento Matrimonij forma est consensus contrahentium, qui consensus de sua natura non est sensibilis, sed per nutus, per verba, aut per signa expressus. Quare dicunt DD. quòd consensus expressus per verba est forma sacramenti Matrimonij; Et ita dicendum est, contritionē prout exprimitur per alios actus pœnitentis esse partem materialem sacramenti Pęnitentiæ.

5 Ad secundā resp. quòd non necessariò requiritur vt tota materia alicuius sacramenti sit simul cū forma, sed sufficit, vt aliqua pars illius sit simul cū forma; Vt in Pęnitentia sufficit, vt vel cōtritio, vel confessio sint simul cum forma. Resp. secundo quod semper cu absolutione est aliqua pars satisfactionis; Quia contritio, & confessio sunt satisfactio, imò & cæteri actus pœnitentis: Quia contritio, & cōfessio, & alij actus pęnitentis sunt actus pœnales, ac proinde satisfactorij; & ideò dixerūt DD. Quòd semper per sacramentum Pœnitentiæ, idest per contritiones, & confessiones non tantùm commutatur pęna sensus æterna in temporalem; sed ét remittitur aliqua pars ipsius temporalis, & aliquando tota; Vt quando pauca sunt peccata, & leuia; sed magna est contritio, & confessio fit cum magno dolore. Resp. tertio ex D. Th. art. cit. quod ad hoc vt satisfactio tota à confessario iniuncta sit pars materiæ sacramenti Pœnitentiæ, sufficit vt sit simul cū forma, idest absolutione, in proposito pęnitentis, licet non in exequutione.

6 Ad tertiā obiectionē resp. cū D. Th. art. cit. ad 2. Quòd satisfactio confert gratiam quando est in proposito pœnitentis tempore absolutionis, sed deinde eā auget in exequutione ét ex opere operato. Quæ doctrina, vt ait Caiet. in comm. eiusdem articuli, & in sua sum. ver. satisfactio; est diligenter notanda, & prædicanda; quia ex ea habetur, quod plus valet vnū psalterium recitatum ex impositione Confessarij, quàm aliud recitatū sine tali impositione. Quia pęnitentia à Confessario iniuncta nō tantùm est nobis vtilis, quia est res bona, sicuti aliæ res pœnales; sed etiā est bona, quia operatur gratiā, & satisfactionē ex opere operato cùm sit pars sacramenti. Et hinc ait Caiet. colliguntur duo. Primum est. Quòd errant pœnitentes volētes acceptare tantùm paruam pœnitentiam. Secundum est, quod errant Confessarij imponentes tantùm paruā pœnitentiam paratis acceptare etiam magnam pro ratione peccatorū. Quia dicunt Confessarij, quòd pœnitentia parua impletur facilius in gratia; tales enim confessarij, inquit ille, volunt sapere plus quam oporteat sapere.

7 Ad quartam obiectionem respond. quòd sine satisfactione potest esse sacramentum Pœnitentiæ: quia non est pars ita necessaria sacramenti Pœnitentiæ; sicuti confessio, & contritio, sed sicut pes in homine. Quare, sicut homo potest esse sine pede, non tamen integer; ita sacramentum Pœnitentiæ potest esse sine satisfactione, non tamen integrum. Deinde dico semper esse & satisfactionem aliquam, vt dictum est.

CAPVT OCTAVVM.

De contritione, quæ est prima Pars sacramenti Pœnitentiæ.

1 IN hoc capite primo quęritur, Quid sit contritio? Pro responsione notandũ est primo, quòd contritio, quantùm ad nomen, significat fractionem quandam alicuius rei duræ in minutissimas partes, vnde lapis contritus, aut sal contritum dicitur illud, quod est in minutissimas partes redactum. Atque ex hoc, per quandam similitudinem, dolor cordis de peccato dicitur fuit à DD. contritio. Quia per talem dolorem cor, quod antea per peccatũ erat obduratum, fit molle, & quodammodo in puluerem redactum. Vnde in sacris litteris, & apud sacros DD. antiquos talis contritio aliquando appellatur cordis scissio, & Ioel. 2. dicitur. Scindite corda vestra. Aliquando cordis compunctio. Et ex hoc ex antiquis sacris scriptoris nõnulli libros suos de contritione, inscripserunt de corporis compunctione, vt ait Cat. Rom. vbi agit de Pœnitentia.

2 Notandum est secundo, quòd, quantùm ad rem ipsam, contritio, de qua nos in hoc capite loquimur, variè à varijs DD. deffinitur. D.Th. Dom.Sot.& quamplurimi alij DD. Scholast. in 4. sent.dist.17. Armil.in sum.ver:contritio. Sylu.in sum.ver. contritio.& multi alij Summistæ ita deffiniunt contritionem. Contritio est dolor de peccatis voluntariè assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Sed hęc deffinitio non videtur integra. Quia vt ait Conc. Trident.sess.14.cap.4.De Pœnit. propositum non amplius peccandi necessariò requiritur ad contritionem, quod tamen non continetur in prędicta deffinitione. Nau.in 1.cap. Man. num.1. ita deffinit contritionẽ. Contritio est pœnitudo voluntaria cũ dolore maxime actuali, vel virtuali peccati proprij, iam commissi, quatenus est offensa Dei, super omnia dilecti, cum spe veniæ, & proposito non peccandi amplius saltem mortaliter, & confitendi, & satisfaciendi saltem virtualiter.

Sed hæc deffinitio non est bona primò,

mò, quia deffinitio secundum Regulā benè deffiniendi, debet esse breuissima, sed hæc est nimis lunga. Secundò, quia deffinitio debet esse clara, sed hæc est nimis obscura, quia continet in se nōnullás particulas, de quibus est dubitatio apud Doctores, An sint necessariæ ad contritionem. Tertiò quia est nimis confusa, nam vna pars ipsius cōtinetur in alia, In ea enim dicitur, cum proposito non amplius peccandi, confitēdi &c. sed nullus potest hàbere propositum non peccandi nisi etiam habeat propositū confitendi peccata sua tempore debito: peccat enim mortaliter qui proponit non confiteri tempore debito. In additionibus D. Tho. ad 3. par. quæst. 1. art. 1. afferuntur sex cōtritionis deffinitiones ex antiquis DD. quas ego, ne lungum faciam, prætermitto. Conc. Tridentinum sess. 14. ca. 4. De Pœnit. ita deffinit contritionem. Contritio est dolor animi de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Hanc deffinitionem solā de contritione affert Cat. Rom. quam ego existimo esse meliorem inter eas, quæ afferri possent. Primò, quia est sacri Conc. Trident. In quo fuerunt tot Patres in Spiritu sancto congregati. Secundò, quia est breuis, clara, atque distincta. Tertiò, quia in se continet omnia, quę necessariò requiruntur ad veram contritionem, vt patebit ex ei⁹ expositione. Quartò, quia est communis contritioni perfectæ, & attritioni, quæ est sufficiens ad sacramentum Pœnitentię.

3

4 Quæ deffinitio sic explicatur. Contritio dicitur primo (dolor animi) ad differentiam doloris corporis, & partis sensitiuę. Quia contritio non est sita in corpore, sed in anima. Et licet fletus, & alij cruciatus corporis maximè conducant ad contritionem, non tamen necessariò requiruntur ad eam. Rursus contritio dicitur (dolor animi) & non tantùm pœnitudo, seù detestatio. Quia ad contritionem requiritur necessariò dolor, ideſt tristitia animi, & non solùm nolle peccasse, vt existimauit Nau. cap. 1. cit. num. 3. dicens. Nolle peccasse esse essentialiter contritionem. Nam si nolle peccasse essentialiter esset contritio, & non simul cum dolore, seu tristitia animi, sequeretur quòd in beatis, qui peccauerunt, esset contritio; nam beati, qui peccauerunt, nollent peccasse; sed in beatis repugnat quòd sit contritio, Quia contritio affert tristitiam, quæ non potest esse cum beatitudine. Secundò, Contritio dicitur (dolor de peccato commisso) scilicet proprio. Nam dolor de peccatis alienis est quidem actus virtutis, sed non contritio, quæ est prima pars Pœnitentię; Et ad includendum dolorem de peccato actuali siuè mortali, siuè veniali; Nam licet de veniali non sit necessaria contritio actualis, sed sufficiat virtualis, tamen de eo potest esse vera contritio. Imò, si quis vellet tantùm confiteri peccata venialia, quia non haberet mortalia, necessariò deberet habere contritionem actualem illorum peccatorum venialium, quę vult confiteri. Quia sacramentum Pœnitentię non debet esse sine actuali contritione. Tertio, & vltimò, Contritio dicitur dolor de peccato cum proposito non peccandi, de cęterò, primò quia propositum non peccandi de cęterò necessariò requiritur ad contritionem. Secundò ad includendum actuale, vel virtuale propositum confitendi tempore debito. Si enim quis non haberet propositū confitendi tempore debito, peccaret, vt dictum est. Tertiò ad includendam spem veniæ. Quia vbi non est spes veniç, est desperatio, vbi est desperatio est peccatū. Quia ipsa desperatio peccatum est, quare qui non habet spem venię non habet animum non peccandi, quia tunc peccat. Vltimò ad excludendum dolorem peccatorum, qui est

5

in damnatis. Nam licet damnati habeant tristitiam de peccatis, non habent tamen propositum non peccandi. Quia adeò sunt obdurati, & obstinati in malo, vt Deum destruerent si possent.

7 Quæritur secundò, Quæ differentia sit inter contritionem, & attritionẽ?

Notandum est. Quòd licet Caiet. in sum. ver. contritio, ponat varias contritionis species: ego tamen eas omittam. Quia ex illis nonnullæ, vt & ipsemet fatetur, non sunt sufficientes ad dignè suscipiendum sacramentũ Pœnitentiæ. Et ego in cap. præsenti tantũ intẽdo loqui de ea attritione, quæ põt esse pars integralis sacramenti Pœnitẽtiæ, & quæ necessariò continetur sub deffinitione contritionis assignata in præcedenti quæsito, deffiniuimus enim cõtritionem largo modo sumptã, idest prout comprehendit & contritionem perfectam, quæ stricto modo dicitur contritio; & contritionem imperfectam, quæ stricto modo dicitur attritio; Et quæ, vt sit pars integralis sacramenti Pœnitentiæ, vt dicunt omnes DD. debet esse dolor animi de peccato commisso cum proposito non peccandi de cæterò.

8 Hoc supposito Dom. Sot. in 4. sẽt. d. 17. q. 2. ar. 5. dicit contritionem differre ab attritione. Primò, quia contritio est dolor de peccatis cum proposito non peccãdi de cæterò propter Deum, seù propter Dei amorem, attritio verò est dolor de peccatis cum proposito non peccandi de cæterò propter pœnas inferni, seù aliorum incommodorum corporalium. Secundò, quia contritio nascitur ex timore filiali, attritio verò nascitur ex timore seruili, quia, vt dictum est, illa est propter amorem Dei, hæc verò propter timorẽ pœnarũ inferni, seu aliorũ incommodorum. Tertiò, ad contritionem necessario requiritur speciale Dei auxilium cũ motu nostri liberi arbitrij; ad attritionem verò sufficit concursus Dei generalis cum motu nostri liberi arbitrij. Vltimò, Contritio semper cõstituit hominem in gratia, et propterea numquã potest esse informis, inquit Sotus, idest sine gratia; attritio verò non constituit hominem in gratia, & propterea si illi non addatur sacramentum, quod facit de attrito contritũ, poterit esse informis de sua natura idest sine gratia.

9 Nau. in Man. cap. 1. nu. 43. in resp. ad 7. Dubit. P. Vincentij apertè dicit quòd attritio, quæ est propter pœnas Inferni, vel alia temporalia incommoda; nulla ratione potest esse sufficiens ad sacramentum Pœnitentiæ. Et numero trigesimoseptimo dicit. Quòd attritio, quæ est sufficiens ad sacramentum Pœnitentiæ; est illa, qua quis odit, & detestatur peccatum, sed non supra omne odibile. & detestabile; Et proponit euitare peccatum, sed non supra omne euitabile. Contritio verò est illa, inquit Nau., qua quis odit, & detestatur peccatum supra omne odibile, & detestabile, & proponit euitare peccatum supra omne vitabile; hoc tamen posito, quòd tàm in attritione, quàm in contritione odium peccati sit propter Deum.

10 Scot. in quarto sentent. distinctione decimaseptima, dicit, quòd contritio in hoc differt ab attritione. Quia contritio est dolor de peccato perfectus, & propositum non peccandi perfectum propter Deum; attritio verò est tantùm dolor imperfectus etiam propter Deum; sed cum hac conditione, vt odio habeat peccatũ supra omne odibile. Quare secundum ipsum distinguitur contritio ab attritione, Quòd contritio est dolor intensus, & maximus, attritio verò est dolor paruus, & remissus.

Atque ex ijs patet, quòd secundum Sotum, quem sequuntur quamplurimi alij DD. & cuius opinionẽ innuit Cõc. Trid. sess. 14. cap. 4. de Pœnit. attritio in

hoc

hoc differt à contritione, quia attritio est dolor de peccatis propter pœnas Inferni; contritio verò est dolor de peccatis propter Deum. Secundum Nau. in hoc differt contritio ab attritione, quòd contritio est odium de peccato supra omne odibile, & propter Deum; attritio verò est odium de peccatis propter Deum, sed non supra omne odibile. Secundum Scotum contritio est odium de peccatis supra omne odibile propter Deum, quando odium est cum dolore intenso; attritio verò est quando est remissus dolor de peccatis propter Deum, ita tamen vt cum eo sit odium peccati supra omne odibile. Atque hæ oẽs opiniones sunt probabiles.

11 Quęritur tertiò, Vtrum attritio possit fieri contritio? Resp. Quòd secundũ opinionem Nau. & Scoti, ille dolor, & illa detestatio, quæ est attritio potest fieri contritio, quia dolor paruus seu remissus, & detestatio parua seu remissa potest fieri dolor intẽsus, & detestatio intensa si augeatur. Sed secundum opinionem Soti attritio non potest fieri contritio, quia dolor, qui est de peccatis propter pœnas inferni quantũlibet augeatur non fiet contritio: Et dolor de peccatis propter pœnas inferni non differt secundum magis, & minus ab eo dolore, qui est de peccatis propter Deũ, sed sunt diuersæ speciei. Quare post attritionẽ in via Soti poterit esse cõtritio. Quia postquã quis habet dolorẽ de peccatis propter pœnas inferni, poterit ẽt habere dolorẽ de peccatis propter Deũ, sed secũdus dolor nõ erit ille, qui erat primò. Secundum omnes DD. tamen dicimus: Quòd quis ex attrito potest fieri contritus etiam secũdũ eos, qui sequuntur viam Soti. Quod intelligendum est hoc modo, non ꝙ illa, quæ erat attritio, fiat contritio, ꝗa pòt fieri quòd aliquis ante susceptionẽ Sacramenti habeat dolorẽ remissũ seu propter pœnas inferni, & eundẽ tãtum habeat in susceptione Sacramenti, & etiam post; Et tamen per susceptionẽ Sacramenti talis dicetur fieri ex attrito contritus: Sed dicitur quis fieri ex attrito cõtritus per sacramentũ: Quia attritio si illi addatur sacramẽtũ, efficit idem ac efficit contritio, idest; vt homo sit in gratia, quod poterat efficere contritio sine sacramento in re.

12 Quæritur quarto, Vtrum si quis magis doleret propter mortẽ patris, aut filiorum, quàm de offensa Dei, seu quàm propter peccatum, censeretur contritus? Respond. Quòd duplex est maximus dolor. Alius, qui dicitur maximus, quantùm ad æstimationem, seu appræciationem, aut firmitatem. Alius qui dicitur maximus, secundum intensionem, seu secundum teneram affectionem. Si aliquis magis doleret de morte fratris, aut filiorum, quam de peccato primo modo, talis nec esset contritus, nec in statu gratiæ; Nam dicit Christus in Euang. Qui amat Patrem, aut matrem plusquàm me non est me dignus. Si verò magis doleret de morte patris, aut filiorum, secũdo modo talis posset esse contritus; Nam cum dicunt Doctores dolorem in contritione debere esse maximum, intelligunt quantùm ad appretiationem, & non quantùm ad teneram affectionem, vt videre est apud Th. 1. 2. q. 109. ar. 3. & Nau. in Man. cap. 1. n. 9.

13 Quęritur quintò, Vtrum censeretur prudens Confessarius, qui, vt tentaret an pœnitens haberet veram contritionem, interrogaret eum, An mallet patrem suum esse mortuum, quàm peccasse, vel filios suos mori, quàm peccare? Respond. Quòd talis Confessarius non esset prudens inijciendo hanc tentationem in animum pœnitentis, vt ait Nau. capit. cit. num. vigesimoprimo. Quia potest fieri, quòd aliquis in generali detestetur peccatum supra omne detestabile, & proponat euitare peccatum supra

omne

omne euitabile, qui si ad particularia descenderet comparando mortem filiorum, vel alia temporalia detrimenta cum peccato forsitan a proposito desisteret. Quare sufficit Confessario, vt intelligat pœnitentem odisse peccatum supra omne odibile, & habere animum euitandi illud supra omne vitabile in generali. Et dicit Nau. lo. cit. Quòd si pœnitens non potest peruenire ad tam excelsum dolorem etiã in generali, sufficit vt doleat, quòd non habeat talem dolorem.

14 Quęritur sextò, Vtrum Qui habet plura peccata debeat habere plures dolores; ita ut de singulis peccatis sint singulę contritiones: an verò sufficiat vna contritio de omnibus peccatis? De hoc fuerunt duę opiniones. Aliqui enim dixerunt de singulis peccatis esse necessarias singulas cõtritiones; & ita videtur dicere D. Th. 3. p. q. 87. ar. 1. ita Sum. Angel. uer. contritio. §. 4. vt eam citat Nau. cap. cit. n. 25. ita Sylu. in sum. ver. contritio. §. 5. Alij verò dixerunt de omnibus peccatis sufficere vnicam contritionem, quę uirtute se extendat ad omnia peccata commissa, Quę cõtritio sufficit si sit in principio rememorationis peccatorũ, vel in medio, aut in fine, seu quolibet alio tempore, modo sit ante absolutionem sacramentalem; Ita Nau. n. 25. cit. Victor. in sum. Sacram. n. 115. & Caiet. in comment. supra ar. cit. D. Th. Et probatur hęc secunda opinio. Quia alioquin non posset aliquis in momento temporis fieri in gratia, & saluari, quod est contra c. Ponderet d. 50. Vbi & citatur tex. Ezechiel. ca. 33. In quacunque hora, idest in quolibet temporis momẽto, ingemuerit peccator, &c. Nam si aliquis haberet plurima peccata, & statim mori deberet non posset saluari propter penuriam temporis si requireretur singula de singulis peccatis contritio, Nam non haberet tempus cogitandi singula peccata, & eliciendi de eis singulas contritiones.

15 Quęritur septimò, Vtrum de maiori peccato necessariò sit habenda maior contritio?

Dico primò, Quòd conuenientissimum esset elicere maiorem dolorẽ de maiori peccato, Vt si aliquis contritus est, & confessus de furto vnius aurei nummi, & deinde suadente Diabolo furatur centum, vel hominem occidat, conuenientissimum esset vt de hoc peccato magis doleret, quàm antea doluerat de furto vnius aurei nummi.

Dico secundò, quòd non tenetur sub pœna noui peccati aliquis habere maiorem dolorem de maiori peccato, quã de minori, modo talis dolor sit sufficiens. Et probatur primò quia, vt supra dictum est in antecedenti quęsito, de omnibus peccatis commissis sufficit vnica contritio: Quare si aliquis & furta, & homicidia commisit, vnica cõtritio sufficiet ad delenda & furta, & homicidia, & sic non maior contritio requiritur de homicidio, quod est maius peccatum, quam de furto. Secundò, quia alioquin sequeretur quòd pœnitens teneretur cognoscere inter peccata quęnam sint maiora, & quę minora? Quod tamen non est verum cùm ex pœnitentibus multi sint rudes, imò pauci sint qui benè cognoscant de multis peccatis quę sint maiora & quę minora. Et ita Victor. in sum. n. 117.

16 Quęritur octauò. Vtrũ statim post peccatum teneatur quis habere contritionem de eo? Ad hoc resp. Nau. in man. cap. 1. n. 33. Iuxta cuius, & aliorum doctrinam.

Dico primò. Quòd summę prudentię, sanctiq; consilij est statim post peccatum, aut quantò citius procurare de peccato contritionem. Primò Ne iacturam homo faciat omnium bonarum operationum, quas faciet ante cõtritionem, quę operationes erunt mortuę, nec habebunt aliquod meritũ gratię, vel glorię. Secundò, Quia potest fieri,

fieri, quòd moriatur morte subitanea, & si non habuerit contritionem peccati secundum fidem Catholicam sepelietur in infernũ. Nec scit homo quando fur venturus sit.

Dico secundò, Quòd hoc non obstante non tenetur quis statim post peccatum habere contritionem de peccato, nisi statim sit moritur⁹, vel suscepturus, aut ministraturus aliqnod sacramentnm, vel sit annus a tempore vltimæ confessionis.

Quæritur nonò, Quo tempore teneatur quis sub pœna peccati mortalis habere contritionem? Resp. secundum 17 Nau. in cap. cit. num. 31. Quòd secundum communem DD. opinionem tunc necessariò est habenda contritio sub pœna noui peccati mortalis quando imminet periculum mortis, & quando aliquis est suscepturus, vel ministraturus aliquod sacramentum. Addit Nau. etiam quando imminet aliquod periculum populo, cui prouideri non possit aliter, quàm per orationes: Tunc enim si qui homines sunt in peccato mortali tenentur de peccato habere contritionem, vt eorum orationes sint Deo gratæ, & propterea magis impetratoriæ. Scot. in 4. sent. & sum. Ang. dicunt, quòd in die festo tenemur ha- 18 bere contritionem de peccato mortali, quia in die festo tenemur cessare ab operibus seruilibus, vt vacemus operibus diuinis: ergo in die festo tenemur habere contritionem de peccato. Sed alij DD. dicunt id non esse verũ; quia licet præceptum sit cessandi ab operibus seruilibus in die festo, vt incumbamus diuinis, tamen medium, quod est cessatio ab operibus seruilibus tantùm, est in præcepto in die festo, & non finis, idest incumbere diuinis; ita Caiet. in sum. ver. festus dies.

19 Quæritur vltimo. Vtrum post hanc vitam detur locus pœnitentiæ? Resp. primo, quòd quantùm ad peccatũ mortale non datur. Quia vbi ceciderit lignum ibi semper manebit, vt dicitur Eccles. 11. & Christus Dominus Ioan. 9. Veniet nox quando nemo potest operari.

Quòd si dicas. Traianum fuisse liberatum ab inferno. Resp. quòd vel hystoria, quæ fertur de Traiano liberato ab inferno est falsa, vt dicũt multi catholici DD. Vel si vera est, dicendum est eum fuisse liberatum per potẽtiam Dei absolutam, quæ potest etiam omnes damnatos beatificare; Et hoc fuit prçter legẽ propter orationes viatorum, non propter pœnitentiam Traiani; Nos verò loquimur semper de potentia Dei ordinaria.

Respondetur secundò, quòd quantũ 20 ad peccatum veniale datur locus remissionis illius etiam post hanc vitam, si tamen est sine peccato mortali, Vt si quis moritur cum peccato veniali sine mortali in Purgatorio expurgatur à peccato veniali, vel per orationes viuentium. Vnde dicitur in libris Machab. quòd sancta, & salubris est oratio pro defunctis vt à peccatis soluantur. Vel propter suam contritionem, quç licet nõ sit meritoria tunc gratiç, forsitan poterit esse valida ad delenda venialia.

CAPVT NONVM.

De Confessione, quæ est secunda pars integralis sacramenti Pœnitentiæ.

1 *Quid sit confessio sacramentalis.*
2 *Malum est in confessione confiteri peccata non commissa.*
3 *In absoluente requiritur iurisdictio.*
4 *Confessio num sit de necessitate salutis.*
5 *Sitnè de iure diuino.*
6 *Conditiones confessionis.*
7 *Quomodo debeat esse simplex.*

8 Quo-

In

1 IN hoc capite quæritur primo, quid sit confessio sacramentalis? Resp. Esse accusationem peccatoris de peccatis suis coram sacerdote facultatem habente, vt ab illis absoluatur.

Dixi (accusationem peccatoris) ad differentiam accusationum, & querelarum, quæ fiunt in iudicio exteriori, ad quas necessariò requiruntur ad minimum tres personæ, scilicet Accusator, qui dicitur actor: Accusatus, qui dicitur reus: Et Iudex, coram quo fit accusatio: In iudicio verò sacramentali Pœnitentiæ semper sufficiunt duæ personæ, scilicet Accusator, qui est reus, & actor: Nam in iudicio sacramentali peccator seipsum, & non alios accusat: Et Iudex etiam, coram quo fit accusatio.

Dixi (de peccatis) quia in confessione non debet fieri manifestatio, seu accusatio de bonis actibus, sed de malis, idest de peccatis.

2 Dixi (suis) primo quia nullus in confessione sacramentali debet dicere se commisisse peccata, quæ non commisit, alioquin peccaret. Secundò, quia confessio non debet esse de peccatis alienis, imò peccatum est, aliorum peccata in cõfessione manifestare, nisi fortasse in aliquo casu, de quo infra.

3 Dixi (coram Sacerdote) quia confessio facta coram laico non est sacramentalis; Nam illa verba Io. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. dicta fuerunt Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus tantùm, & non laicis: Et propterea dicunt DD. quòd in sacramento Pœnitentiæ necessariò requiritur potestas, quæ est character sacerdotalis.

Dixi (iurisdictionẽ habente,) quia præter characterem sacerdotalem, qui dicitur potestas ordinis ad absoluendũ à peccatis requiritur alia potestas, quæ dicitur iurisdictionis, de qua fusè dicetur in vltimo ca. hujus partis vbi de ministro sacramenti Pœnitentiæ.

Dixi demum (vt ab illis absoluatur) quia confessio peccatorum, quæ fit alio fine, quàm vt quis ab illis absoluatur, non est sacramentalis, cùm absolutio sit præcipuâ pars sacramenti Pœnitentiæ, vtpotè forma. Huic deffinitioni similem affert Nau. in Man. cap. 2. num. 1. Sed accusationi addit hanc particulam (secreta) quam ego omisi, quoniam non est necessaria, vt infra videbimus; & vt ipsemet Nauarrus eodem capite fatetur. Imò & hoc dicit Concil. Trident. sess. decimaquarta, cap. 5.

4 Quæritur secundò. Vtrum confessio sit de necessitate salutis? Resp. secundum communem DD. catholicorũ opinionem confessionem sacramentalem supposito peccato mortali commisso post Baptismum esse necessariam ad salutem vel in re, vel in voto; in re si adest copia Confessarij, & tempus, ac facultas obseruandi præceptum de confessione, de quo præcepto infra dicam quando obliget, est enim affirmatiuũ, & propterea obligat tantùm loco, & tempore certo. In voto verò si tali tempore non adest copia Confessarij.

5 Quæritur tertio, An hæc necessitas præcepti confessionis sit de iure diuino? Resp. contra modernos Hæreticos, qui dicunt confessionem, quam appellant auricularem, esse institutam in Conc. Later. esse de iure diuino. Et est de fide: Nam in Conc. Trid. sess. 14. cap. quinto. sunt hæc verba. Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ iã explicata vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere &c. Et in can. sexto. eiusdem sess. habentur hæc verba. Si quis negauerit Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutẽ necessariã esse iure diuino, &c. anathema sit. & in can. 7. sequenti

V ha-

habentur hæc verba. Si quis dixerit in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſioné peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia, & ſingula peccata, &c. anathema ſit. Ad cuius propoſitum etiam facit canon 8. ſequens.

6 Quæritur vltimo. Quot ſint conditiones confeſſionis ſacramentalis? Reſpond. quòd ad perfectam, & omnibus numeris abſolutam confeſſionem requiruntur ſexdecim conditiones, quas enumerat Mag. ſent. cum Scholaſt. in 4. Et quæ in additionib. D. Thom. ad 3. p. enumerantur quæſt. 9. artic. 4. & à Summiſtis in ver. confeſſio in ſuis ſum. & à Nau. in Man. cap. 2. num. 5. & continentur iſtis quatuor verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lachrimabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Quas conditiones cæteris fuſius explicat Caiet. in ſua ſum. quem ego ſequutus in hoc quæſito vltimo explico eas oſtendens duas tãtùm eſſe neceſſarias, ideſt integram, & lachrimabilem, ſi pro lachrimabili intelligamus doloroſam quantùm ad dolorem animi. Alias verò eſſe quidem apprimè vtiles, ſed non neceſſarias, niſi prout ad vnã ex dictis duabus reducuntur.

De prima conditione confeſſionis, quæ eſt vt ſit ſimplex.

CONfeſſio debet eſſe ſimplex, ideſt non compoſita. Tunc autem dicitur compoſita, vt ait Caiet. in ſum. Primò, quando penitens narrat ſua peccata ea arte, vt velit delectare aures confeſſarij vana eloquentia. Secundò, vt velit Confeſſarium non ponderare peccata cognoſcendo eorum grauitatem: Et hæc conditio quantùm ad primum eſt vtilis, ſed non neceſſaria: Quia velle delectare aures confeſſarij per eloquentiam de ſua natura non eſt plus, quàm peccatum veniale. Quantùm verò ad ſecundum eſt neceſſaria hæc conditio; quia ſi componatur cõfeſſio ea arte vt confeſſarius non poſſit ponderare, aut in effectu non ponderet grauitatem peccatorum, ita vt non cognoſcat an ſint mortalia nec ne, vel in qua ſint ſpecie; tunc enim neceſſaria eſt conditio: quia coincidit cum integra; non enim eſt integra confeſſio etiamſi pœnitens omnia peccata dicat cum ſuis circunſtantijs ſi confeſſarius ea non audit, vel ex defectu pœnitentis non cognoſcit an ſint mortalia, nec ne; aut cujus ſint ſpeciei.

Quòd ſi dicas. Penitens forſitan confitebitur, & illud peccatum, quid facit. Reſp. quòd ſi vult, vt ſit integra confeſſio debet & ea repetere, quæ confeſſarius non ponderauit propter ſuam artem.

De ſecunda conditione, quæ eſt vt ſit humilis.

8 CONfeſſio debet eſſe humilis in anima, & in corpore, vt inquit Caiet. in ſumm. In anima quantũ ad intellectum, vt peccator cognoſcat ſe miſerum, & indignum venia. Quantũ ad voluntatem, vt deſideret potius miſericordiam Dei, quàm iuſtitiam. In corpore quantùm ad caput, vt confeſſio fiat diſcooperto capite, quãtùm ad maſculos ſi ſanitas patitur; Secus in fœminis. Quantùm ad linguam, vt pœnitens vtatur verbis humilibus, vt faceret reus ſi confiteretur delictum ſuũ coram Iudice humiliter petendo miſericordiam. Quantùm ad genua, vt genua flectat ſi poteſt. Quantùm ad ornatum

natum vt humiliter ſit veſtitus iuxta ſtatum ſuum. Atque hæc conditio humilis ſic explicata eſt admodùm vtilis, & eſſet neceſſaria ſi tanta eſſet ſuperbia in pœnitente, quæ eſſet peccatum mortale, Vt ſi pœnitens putaret ſe eſſe dignum venia propter ſua merita, & non propter paſſionem Chriſti. Simili modo ſi nollet caput diſcooperire, vel genua flectere cùm commodè poſſet, ſed vellet deambulando confiteri ſua peccata; hæc enim eſſet irreuerentia quædam notabilis, quæ fieret ſacramento. Et in tali caſu hæc conditio coincideret cum integra, & doloroſa, vel ſaltem cum doloroſa ſi tale peccatum confitetur pœnitens: Quia ſi tunc peccat per ſuperbiam, vel irreuerentiã notabilem tunc non habet contritionem, contritio enim includit propoſitum non peccandi, & iſte peccat.

De tertia conditione, quæ eſt, vt confeſsio ſit pura.

9 Confeſſio debet eſſe pura, ideſt nõ permixta impertinentibus; non enim debet pœnitens in cõfeſſione permiſcere ea, quæ non pertinent ad confeſſionem cum illis, quæ ad eam pertinent: Vnde ſi aliqua perſona vult petere aliquod conſilium à confeſſario, quod non pertineat ad confeſſionem, vt de nubenda filia, de danda eleemoſina, &c. deberet prius confiteri peccata ſua, & abſolui; & poſtea petere, ſi vult, conſilia. Rurſus debet eſſe pura 10 confeſſio, ideſt non permixta peccatis aliorum; Non enim debet quis in confeſſione manifeſtare peccata aliena, ſed propria: Imò manifeſtare peccata aliena in cõfeſſione videtur eſſe peccatum.

Et ideò hìc quæritur. Vtrum aliquãdo poſſit aliquis in confeſſione manifeſtare aliena peccata ſine peccato? Et pro reſponſione ad hoc quæſitum, notandum eſt: Quòd propter quatuor 11 cauſas poteſt contingere, vt quis manifeſtet aliena peccata in confeſſione. Primò ſi non poteſt cõfiteri proprium peccatum cum neceſſaria circunſtantia mutante ſpeciem, niſi nominet cõplicem: Vt ſi pœnitens vnam tantùm haberet conſobrinam, & eam confeſſario notam, cum qua peccaſſet; Tunc enim non poſſet confiteri ſpeciem peccati niſi manifeſtaretur & peccatũ cõſobrinæ. Secundò ſi id fiat propter vtilitatem illius, cuius peccata manifeſtantur, vt ſi mater aliqua diceret confeſſario in ſua confeſſione peccata filię eum rogando vt eam argueret cùm confitebitur. Tertiò quando pœnitens cõfitetur peccatum alterius, vt habeat remedium pro anima propria, vt ſi mulier ſerua diceret, Pater, ego ſolicitor à quodam proteruo homine, qui ſæpè me inducit ad peccatum, & cum quo toties peccaui tãtùm in tali ſpecie peccati; & illi reſpondeat confeſſarius, ꝙ in poſterum nolit eum aſpicere, cum illo loqui, &c. Sed cùm videat illa mulier hæc remedia non uideri ſibi idonea, quia ille, qui eam ſollicitat, eſt herus, poteſt dicere, Pater, talis eſt herus meus, quomodò potero cum illo non loqui? & hoc vt habeat aliud remediũ de quo infra dicetur. Quartò poteſt fieri vt pœnitens dicat peccatum alterius propter aliam cauſſam.

12 De primo, ideſt vtrum quis poſſit manifeſtare complicem, vt confiteatur circunſtantiam peccatorum videtur varia opinio inter Doctores. Nau. in Man. ca. 7. num. 1. 2. & 3. dicit. Quòd pœnitens potius debet non confiteri circunſtantiam peccati, quàm manifeſtare complicem ſi non poteſt eam confiteri ſine ipſius manifeſtatione. Et probat hac ratione. Quando eodem tempore concurrunt duo præcepta, quæ non poſſint ſimul ſeruari, omittẽdum eſt minus præceptum, vt ſeruetur maius. In hoc caſu eſt præceptum de in-

tegritate confessionis, de cuius ratione requiritur confessio circũstantiæ necessariæ, idest mutantis speciem peccati; Et simul concurrit præceptum de non infamãdo proximum; & cùm vtrumq; non possit seruari, omitti debet primũ, quia est tantùm diuinũ, vt seruetur secundum, quia est diuinum, & naturale simul. Quare ex doctrina Nau. ille, qui non potest confiteri circunstantiã necessariam alicuius peccati sine manifestatione complicis quantùm ad illã circumstantiã est censendus, ac si non haberet copiã cõfessarij. D.Th.D.Bonau. Duran.in 4.sent.& cõiter DD.quos citat, & sequitur Sot.in 4.d.18.q.2.art.5. dicunt, ꝙ quando aliquis non potest dicere circumstantiam necessariam sine manifestatione tertiæ personæ complicis debet manifestare illam tertiã personam, nisi talis manifestatio vergat in periculũ vitæ, aut notabilis infamiæ, vel notabilis alterius dãni illius tertiæ personæ, vt si quis peccauit cũ cõsobrina sua, quæ est soror Confessarij, si timetur, ꝙ confessarius vindictã sumat contra sororem, tacenda est illa circũstantia, Et hoc intelligunt dicti DD. etiamsi confessarius illam tertiã personã nõ tanti apud se faciet, quanti apud se antea faciebat. Ratio aũt cur nõ possit manifestari circumstantia qñ ex eius manifestatione imminet periculũ tertiæ personæ, est, vt dicũt prædicti DD. quia aliter confessio esset contra charitatem. Ratio aũt cur possit manifestari quando non adest tale periculum etiãsi non tanti fiat tertia persona apud confessarium ipsum, quanti antea, est quia confessio debet esse integra; & cõfessarius tenetur seruare omne rei secretum, quæ in confessione illi dicitur. Et propterea si confessarius est bonus cessat ratio infamiæ.

14 Ego pro determinatione istius dubitationis. Dico primò. Quòd qñ aliquis vult confiteri tenetur dicere circunstãtiã necessariam etiamsi sit nominanda tertia persona, vt manifestetur, quando cõfessarius est homo probus, & nõ est periculum alicuius dãni tertiæ personæ, neq; quoad existimationẽ apud ipsummet confessariũ. Et hoc dico propter rationem Nauarri supradictam, qui etiam pro se citat Innoc. & Host. cap. Omnis vtriusq; sexus. De pœnit.& remissione.

Dico secundò, quòd si ex manifestatione tertiæ personæ esset periculũ alicuius dãni animæ, famæ, aut vitæ alterius, ille, qui vult confiteri, primò deberet quærere aliũ confessariũ, cui posset manifestare circunstantiã sine periculo. Secundò, si non inueniatur alius cõfessarius debet omitti cõfessio tota, nisi sit necessitas cõfitendi. Tertiò, si est necessitas confitendi, debet pœnitens, si potest, mutare habitũ, mutare vocem, & ita omnia peccata confiteri cum circũstantijs, ita vt non cognoscatur tertia persona à confessario, quia ipse nõ cognoscit; & si cõfessarius petat quisnam sit, poterit respondere pœnitens, ꝙ est ei subditus, & quod potest eũ absoluere. Ita Nauar.cap.cit. & Caiet.in sum.ver.confessio. Quartò, si nõ potest mutare habitũ, neq; vocẽ, & necesse est vt confiteatur, & non reperitur alius confessarius, debet peccata confiteri sine tali circunstantia propter rationem Nauarri supradictam.

De secundo casu dicunt omnes DD. quòd potest manifestari tertia persona, cùm manifestatio solùm fiat in vtilitatem ipsius.

De tertio dicam infra.

15 De quarto dico, ꝙ sine iusta caussa manifestare peccatũ alterius ẽt sine periculo infamiæ est peccatũ, & si confessarius animaduerteret pœnitentem velle manifestare peccata alterius sine iusta caussa, deberet obuiare; maximè si est periculũ infamiæ, ne & ipse peccet peccato infamiæ. Et quando ex manifestatione peccati alterius sine iusta caussa oritur infamia, conditio (pura) est

est necessaria, quia coincidit cum integra, vel dolorosa, vt supra dictum est de alijs duabus conditionibus.

De quarta conditione confessionis, quæ est vt sit fidelis.

16 Confessio debet esse fidelis, idest sine mendacio. Et ideò hic quæritur, Vtrum mentiri in cōfessione sacramentali sit semper peccatum mortale. Et pro responsione prænotandum est. Quòd, vt ex supradictis elici potest, ea, quæ in cōfessione dici possunt, sunt in triplici differentia; Alia sunt omninò impertinentia, vt ea, quæ nec sunt peccata venialia, nec mortalia, neq; eorū circunstantiæ. Alia verò pertinent quidē ad confessionē, sed non principaliter; Et hæc sunt peccata venialia, & multæ circunstantiæ peccatorū mortaliū, quæ nō mutant speciem, & peccata mortalia de quibus quis est alias cōfessus, & credit se fuisse absolutum. Alia demū sunt, quæ principaliter pertinēt ad confessionem sacramentalē, & hæc sunt peccata mortalia, de quibus quis non est rectè confessus; & eorū circunstantiæ mutātes speciē. Hoc supposito.

17 Dico primò, q; mentiri in cōfessione sacramentali circa impertinētia, idest circa ea, quæ nulla ratione pertinent ad cōfessionē, nō est peccatū mortale. Quare si confessarius petat à pœnitente, An habeat bonum vinum; & pœnitens respondeat se non habere etiamsi habeat, non pecc. mortaliter: Quia tale mendaciū nō est perniciosum, nec per illud fit iniuria sacramento cùm sit circa ea, quæ non pertinent ad sacramentum. Est tamen veniale peccatum; quia omne mendacium est saltem veniale.

18 Dico 2. quòd mentiri circa peccatū veniale in confessione, est tantùm peccatū veniale; quia tale mendaciū non est circa rē, quæ principaliter, & necessariò pertineat ad sacramentū. Sed tantū est circa rē, quæ pōt pertinere ad sacramentū si pœnitēs vult, & nō pertinere si nō vult. Quia pœnitens non tenebitur confiteri veniale. Ita Caiet. in sum. ver. Confessio conditione 4.

Excipitur tamen hic casus, qn̄ scilicet ille, qui confitetur, dicit tantùm aliqua peccata venialia, quę non perpetrauit. Nam talis peccaret mortaliter, Quia constitueret materiā sacramenti id, quod nō pōt esse materia sacramēti, idest peccatum, quod non fecit; & esset caussa vt cōfessarius applicaret formā sacramenti materiæ indebitæ, quod est sacrilegium de sua natura; licet excusaretur Confessarius existimans pœnitentem dicere verū. Sicuti etiam peccaret mortaliter, qui panem fictum, seu hostiam fictā exhiberet Sacerdoti consecrandam. Ita Caietanus loco citato.

19 Dico 3. quòd mentiri circa peccata mortalia in confessione, de quibus quis non est alicui confessus, vel credit se non fuisse absolutū ab illis, est mortale de sua natura. Vnde si quis in confessione diceret se cōmisisse aliquod peccatū mortale, quod nō cōmisit, aut se nō cōmisisse quod cōmisit, & de quo non est alias rectè cōfessus, est peccatū mortale. Similiter si negat circunstantiā peccati mortalis mutantē speciē, aut si affert circunstantiā mutantē speciē, quæ non fuerit vera. Ita Caiet. loc. cit. & ratio est, vt & ipse inquit, quia mentiri circa ea, quæ principaliter pertinēt ad confessionē, est perniciosum, nam infertur magna iniuria sacramento, & efficitur vt Iudex spiritualis, qui est confessarius, rectè iudicare non possit de conscientia confitentis. Vndè si in iudicio exteriori est peccatū mortale, vt dicūt omnes DD. mentiri circa ea, quæ principaliter, & propriè pertinent ad tale iudicium, multò magis erit peccatum mortale mentiri in confessione sacramētali circa ea, q̄ principaliter, & propriè pertinent ad iudiciū sacramētale.

Dico

20 Dico quartò, quòd si aliquis dubitaret, An comiserit aliquod peccatum ne mendacium in confessione committeret, non deberet dicere se cōmisisse, vel non commisisse tale peccatum, Sed debet ita se exhibere in verbis confessario, qualem sibi se exhibet in mente. Idest debet dicere. Dubito me commisisse tale peccatū, dubia pro dubijs, & certa pro certis asserendo.

Quod si dicas. Si aliquis ad maiorē cautelam diceret se cōmisisse quod dubitat, an commiserit, peccaret ne mortaliter? Resp. Quòd pecc. mortaliter si est circa peccatum mortale. Quia diceret mendacium circa materiā principalem sacramentalis iudicij. Secus si talis excusaretur propter magnam suā simplicitatem, quæ ducit eum ad accusandum potius quàm ad excusandum.

De quinta conditione confessionis, quæ est vt sit frequens.

21 Confessio debet esse frequēs; idest debemus sæpè confiteri; & hoc est maximè vtile. Primò, quia qui sæpè confitetur magis se conseruat in timore Dei. Secundo, Magis vitat periculum obliuionis peccatorum. Tertiò, Magis, & magis in seipso auget gratiā, confessio enim est sacramētum, & propterea si rectè frequentetur magis augetur gratia. Non est tamen necessarium sæpè confiteri, nisi occurrat præceptum confitendi. Quod communiter obligat tribus in casibus.

22 Primus est quando aliquis est in periculo mortis, & habet peccatum, de quo non est alias rectè confessus, & habet copiam confessarij, qui possit illum secretò audire. Dixi (qui possit illum secretò audire) nam licet aliquando laudabile sit confiteri non secretò, nullus tamen tenetur vnquam confiteri si non potest secretò confiteri. Sed de hoc infra circa conditionem, Secreta. Per periculum autem mortis intelligo illud, quo posito communiter, aut vt plurimùm sequitur mors, vt est naufragium, grauis infirmitas, qualis est febris acuta, vulnus mortale, & condemnatio ad mortem, proximitas etiā partus in fœmina, quæ solet pati difficiles partus, &, vt aliqui dicunt, quæ alias non peperit. Ita Nau. in Man. ca. 2. in his enim, & similibus casibus præceptum confessionis obligat de iure diuino, vt dicunt omnes DD.

23

24 Secundus casus est, semel in anno si quis habet peccatum mortale, de quo non est alias rectè confessus. Dixi (si habet peccatum mortale &c.) Quia peccata venialia nunquam sunt necessaria ad confessionem nisi credantur mortalia. Et hoc præceptum de confitendo semel in anno est diuinum secundum se, sed quantùm ad determinationem temporis, idest quòd fiat semel in anno est ecclesiasticum, vt habetur cap. Omnis vtriusque sexus De Pœnit. & remiss.

Sed dicet quis. Tenebiturne aliquis confiteri ante annum aliquod peccatum, de quo non est confessus propter obliuionem, vt si hodie quis confessus est, & oblitus est vnius peccati, tenebiturne confiteri illud peccatum, cuius oblitus est, cras, vel ante finem anni? Resp. Quòd si omisit confiteri illud peccatum propter negligentiam crassam, quia noluit benè considerare sua peccata; aut ex ignorantia non excusabili, aut ex verecundia, aut malitia, tenetur iterum confiteri antequàm transeat annus. Si verò non est confessus illud peccatum ex obliuione excusante potest expectare annum, quia talis rectè cōfessus est, & confessio eius fuit integra per se, licet non per accidens. Et præceptum quod est in cap. Omnis vtriusque sexus, obligat ad confessionem sacramentalem, & bonam, & hæc fuit

sacra-

sacramentalis, & bona, Ita Nauarr. in Man. cap. 2. nu. 9. & Sot. in 4. distinct. 18. q. 1. art. 4.

25 Tertius casus est quãdo aliquis vult sumere sanctissimam Eucharistiam, & habet copiam Confessarij, & peccatũ mortale, de quo non est alias rectè confessus. Et hic casus apertè ponitur in Conc. Trid. sess. 13. ca. 7. & can. 11. Cuius canonis verba sunt hæc; Et ne tantum sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur, declarat sancta Synodus illis, quos conscientia grauat quantumcunque et contritos se existiment, habita copia Confessarij necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiã publicè disputando deffendere præsumpserit, eo ipso excómunicatus existat. Atque hæc verba Conc. Trid. directè faciunt contra opinionem Caietani, qui in sua Sum. ver. Cómunio in principio existimat, quòd sicuti ad recipiẽda alia sacramenta sufficit contritio habenti copiam confessarij, ita & ad sumendam sanctiss. Eucharistiam.

De sexta conditione confessionis, quæ est vt sit nuda.

26 Confessio debet esse nuda, idest, vt explicat Nau. cap. 2. Manualis, & Caiet. in sum. ver. Confessio, non vestita iocis, aut alijs rebus, quæ possint obscurare peccata, ita ut confessarius illud non percipiat, nam hoc modo cõfiteri, inquit Caietanus, est non confiteri. Debet etiam esse nuda confessio, idest non vestita quibusdam circunstãtijs, quæ nec multum minuant, nec grauant peccatum. Nam dicere tales circunstantias, quæ ad rem non faciunt, non potest non obscurare peccatum, & tædium affert Confessario.

De septima conditione confessionis, quæ est vt sit discreta.

Confessio debet esse discreta, idest debet prudenter fieri. Primò quãtùm ad electionem Confessarij, maximè si peccata sint grauiora. Nam si in infirmitate corporali quãtò maior est infirmitas, curat infirmus, vt potior, & melior requiratur, & eligatur medicus; multò magis in infirmitate spirituali, quæ est magis quam corporalis periculosa, debet infirmus esse prudens in inquisitione, & electione optimi medici, qui infirmitatem suam spiritualem curare possit. 27

Secundò, debet confessio esse discreta, & prudens quantùm ad verba, itaut pœnitens in confessione vtatur verbis honestis, maximè in peccatis carnis, asserendo in eisdem peccatis carnis, etiam tantùm eas circunstantias, quæ necessariæ sunt, si necessarias circunstantias à non necessarijs discernere potest.

Tertiò, debet confessio esse prudẽs, & discreta in modo enumerandi peccata; nam debet pœnitens prius confiteri peccata omnia, quæ ad vnam speciem pertinent simul. Vt si quis decies blasphęmauit eadem blasphęmia, non debet dicere semel blasphęmaui, & deinde iterum blasphęmaui, &c. Sed decies blasphæmaui hoc modo. Et hac ratione discretus pœnitens vno verbo centum peccata confiteri poterit, & ita non erit confessario tædiosus. Deinde debet confiteri peccata, quæ sunt alterius speciei, puta furta, deinde fornicationes, &c. Alioquin si confunderentur species, cõfessio fieret magna confusio; & si fieret tanta confusio vt confessarius non posset species peccatorum discernere, esset peccatum, & non confessio.

De

De octaua conditione confessionis, quæ est vt sit libens.

28 Confessio debet esse libens, Id est debet libenter fieri à pœnitente desiderando liberationem à peccato, & maximè optando salutem animæ ꝓpriæ. Debet etiam libenter fieri confessio, id est potius propter amorē Dei, quàm propter timorem pœnæ. Si tamen aliquis confiteretur propter timorem pœnæ, id est ad euitandum pœnas inferni non malefaceret, sed benè, quia talis confessio sufficit ad salutem imperfectorum, vt ait Caiet. in sum. ver. Confessio. Quia timor attrahit amorem, sicuti seta filum; & etiam quia, vt dictum est in antecedenti cap. quæsito 2. secundum sentent. aliquorum DD. Vt contritio sit sufficiens ad delenda peccata per sacramentum sufficit si est propter pœnas Inferni, ita etiā & confessio sufficiet si est propter pœnas inferni. 29 Quòd tamen intelligendum est seclusо animo non confitendi si non esset infernus, etiam si esset non confiteri contra Dei præceptum; Nam in tali animo inuoluitur peccatum, Si.n. aliquis haberet animū peccandi si non esset infernus, peccaret. Quare cùm dicunt DD. sufficere dolorem de peccatis ob pœnas inferni, ad attritionem intelligūt, modò non sit propositum peccandi, si non esset infernus. Quia si aliquis doleret de peccatis, & confiteretur peccata propter pœnas inferni cū hoc animo quòd non doleret, vel illa non confiteretur, si non esset infernus, etiamsi esset contra præceptū Dei, non esset in eo attritio, sed peccatum mortale. Ita Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. Sub his verbis. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat non solū non facere hominem Hypochritā, &c. & postea subsit. Et quamuis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorē nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramēto Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ ad Ionæ prędicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.

De nona conditione confessionis, quæ est vt sit verecunda.

30 Confessio debet esse verecunda, id est pœnitens debet habere in cōfessione erubescentiam, & verecundiā quantùm ad seipsum considerando fęditatem propriorum peccatorum. Et si habet verecundiam, & erubescentiā propter Confessarium, apud quem pęnitens ostendit se defectuosum, talis erubescentia, & verecundia non est mala, sed bona; Et quia pœnalis est, id est quia infert animę pœnam imputatur ad partem satisfactionis, Ita Caiet. in sum. ver. Confessio. Non tamen debet pœnitens habere talem verecundiam apud Confessarium, vt propter illam taceat aliquod peccatum: Quia tunc confessio non esset integra.

De decima conditione confessionis, quæ est vt sit integra.

31 Circa hanc conditionem quæritur primò. Vtrum Confessio debeat esse integra? Et quæ dicenda sint in con-

confessione, vt sit integra.

Resp. primò, quòd Confessio debet esse integra de iure diuino; Non enim tantùm Ecclesia præcepit vt confessio fiat de omnibus peccatis, sed Deus ipse immediatè, vt dicunt omnes Doctores catholici, & vt determinatum est in Concil. Trident. vt proximè patebit.

Resp. 2. Quòd ad hoc vt confessio sit integra per se, debet pœnitens in vna, & eadem confessione, coram vno, & eodem Confessario dicere omnia peccata mortalia, simul cum circunstantijs necessarijs, quæ commisit post Baptismum, quæ alias non est confessus, et à quibus credit se non fuisse aliàs rectè absolutum: Quorum peccatorum, & quarum circunstantiarum pęnitens recordatur, præmissa diligenti meditatione.

32 Quęritur secundo. Quomodo confessio dicatur per se non integra? Resp. quòd tunc dicitur per se non integra, quando aliquis propter verecundiam, vel malitiam, vel propter aliam caussam non licitam, tacet aliquod peccatum mortale, seu eius circumstantiã necessariam mutãtem speciem. Et hoc modo dicitur confessio non integra voluntariè directè & per se: Alio modo dicitur etiam confessio voluntariè, & per se non integra, sed indirectè, vt cũ quis tacet aliquod peccatum, seu circumstantiam eius mutãtem speciem, quia noluit quantùm sufficiebat examinare conscientiam suam. Quibus verò modis dicatur confessio non integra per accidens, idest non voluntariè dicam infra. Sed quòd de iure diuino sit necessaria integritas confessionis, & quòd ad integritatem confessionis per se requiratur confessio omnium peccatorum mortalium, & circumstantiarum mutantium speciẽ, habetur ex Concil. Trident. sess. 14. can. 7. sub his verbis, Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur; & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, &c. anathema sit.

33 Quæritur tertiò, quid sit circumstãtia peccati? Resp. Cum Nau. in Man. ca. 6. n. 1. Quòd circumstantia peccati est accidens, quod circumstat actũ, qui est peccatũ. Dixi (Quòd circumstat actũ, idest stat circum actũ, qui est peccatum, & non quod circũstat peccatũ) quia põt fieri, vt ille actus, qui est peccatũ, de sua natura sit bonus, sed peccatũ ob circumstantiã. Vt si quis dat eleemosinã ob inanem gloriã, actus ipse, idest dare eleemosinã, est bonus, sed est peccatũ propter circumstantiã finis.

34 Quæritur quartò, quot sint circũstãtiæ peccatorũ? Resp. quòd circumstantiæ peccatorũ, et vniuscuiusq; rei sũt innumerabiles, quæ tamẽ oẽs reducũtur ad septẽ, quas enumerat Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. & Nau. in Man. c. 6. n. 2. Et quæ continẽtur in hoc versiculo.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Quarum circumstantiarum explicatio est hæc.

Quis, idest quęnam persona fuerit illa, quæ actũ, seu peccatum cõmiserit, puta an coniugata, an non; an ecclesiastica an non; an iuuenis, an senex; & huiusmodi alia.

Quid, idest an incęstum, an tantùm fornicationem cõmiserit, an magnũ, an paruũ furtum, an magnum, an paruum vulnus inflixerit.

Vbi, idest quonam in loco, an in Ecclesiã, an extra Ecclesiã, an in platea, an domi quis peccatum commiserit.

Quibus auxilijs, idest an solus, an ꝑ exploratorẽ aliũ occiderit, an ꝑ lenonẽ fornicatus sit, an auxilio Turcharũ, an christianorum bellum gesserit.

Cur, idest propter quẽ finem, an propter amorẽ Dei, an verò propter malũ

finem, hoc vel illud quis fuerit.

Quomodo, vt an vi surripuerit, aut fornicationem commiserit, an debita diligentia adhibita, an verò sine diligentia auem occidere voluerit, & hominem interfecerit.

Quando, ideſt an nocte, an diu, an in die feſto, an alia die quis actū aliquem commiſerit ſiue bonum, ſiue malum. Et hæ omnes circumſtantiæ ſemper reperiuntur in vno, & eodem actu, ſiue peccato. Puta ſi quis commiſit furtū, vel eſt vir, vel mulier, vel coniugatus, vel non, deinde vel magnam, vel paruam rem furatus eſt. Tertiò vel in platea, vel domi. Quartò, vel ſolus, vel cū ſocijs. Quintò, vel vno, vel alio modo. Sextò, vel propter bonum, vel malum finem. Et ſi propter malū finē, vel propter auaritiam, vel propter gulam; vltimò vel manè, vel veſperi.

Sed dicet quis. Aliqui inter circunſtantias numerāt quoties: igitur nō sūt tātùm ſeptē circūſtātiæ. Reſp. ex Nau. loc. cit. ꝙ quoties, ideſt numerus peccatorū non eſt verè circūſtantia peccati, ſed multiplicatio peccati, & propterea numerus peccatorū ſemper eſt dicēdus in confeſſione ſi eſt certus, & ſi non eſt certus ſaltē quātū ad æſtimationē tangendo veritatē quantò magis fieri pōt.

35 Quæritur 5. Vtrum ſemper in omni peccato ſint dicendæ iſtæ circūſtantiæ in confeſſione, vt cōfeſſio dicatur integra? Reſp. ꝙ non: ſed tantùm neceſſariò dicendæ ſunt illæ circuſtantiæ peccati mortalis, quæ mutant ſpeciem, ſeu quæ aggrauant, vel minuunt in infinitum;

36 Idem enim eſt mutare ſpeciem, & grauare, & minuere in infinitum. Sunt autem circumſtantiæ mutántes ſpeciē in quadruplici differentia: Nam aliæ augent in infinitum, & faciunt actum de non peccato peccatum mortale, aut de peccato veniali peccatum mortale. Vt ſi quis daret eleemoſinam ad fornicandum, circumſtantia finis grauat in infinitum. Quia facit, quòd dare eleemoſinam, quod non eſt peccatum, ſit peccatū mortale; & ſic actus, qui erat in ſpecie boni moralis de ſua natura, tranſit in ſpeciem mali mortalis.

Secundò, circumſtantia dicitur mutare ſpeciē qñ è contrario de peccato mortali facit peccatū veniale, vel nullū peccatū: Et hæc dicitur minuere in infinitū; Vt ſi quis furatur, quò ſibi, vel alteri exiſtenti in extrema neceſſitate ſubueniat. Vel ſi quis die veneris carnes comederit, quia eſt maximè ægrotus, & ita cōſuluit medicus; In ijs enim actibus ſit, vt licet ſint peccata mortalia de ſua natura, ideſt furtum, & eſus carnium in die veneris, per circūſtātiā fiant non peccata, & ſic per circumſtātiam mutant ſpeciē, erant enim in ſpecie mali, & fiūt in ſpecie boni. Hoc modo circumſtantiæ ſunt manifeſtandæ confeſſario ſi pœnitens voluerit confiteri actum ipſum. non tñ tenetur pœnitens confiteri actum ipſum; quia nō eſt peccatū; vt ſi quis voluerit dicere ꝙ furatus eſt aureum nummum, peccatū mortale eſſet dicere furatus ſum aureū nummum abſolutè, ſi illū furatus eſt, vt ſibi exiſtēti in extrema neceſſitate ſubueniret, & non diceret; Vt ſubuenirem mihi in extrema neceſſitate: Quia tunc iſte confiteretur peccatum mortale, q̄d non fuit. Quare vel debet addere circūſtantiam, vel vtramque tacere.

Tertio, circūſtantia dicitur mutare ſpeciem peccati mortalis qñ efficit, vt peccatum mortale quod de ſua natura eſt vnius ſpeciei, fiat peccatū mortale alterius ſpeciei, vt ſi quis furat̄, vt fornicetur, actus, qui de ſua natura eſt in ſpecie furti, tranſit in ſpeciem fornicationis; & propterea talis circūſtantia neceſſariò eſt manifeſtanda vt cōfeſſio ſit integra.

Quartò, circūſtantia dicitur mutare ſpeciē peccati mortalis largo modo, qñ efficit, vt act⁹, qui de ſua natura eſt in vna ſpecie peccati mortalis, ſit ēt in eadem ſpecie propter aliā rationem. Vt

ſi quis

si quis occidat seruũ, vt postea facilius possit occidere dominũ; vel furatur claues, vt postea possit furari merces, tale .n. peccatũ de sua natura est in specie furti, quia est furtũ, sed ẽt est in specie furti propter finẽ. Dicitur aũt circumstantia finis in hoc casu mutare speciẽ largo modo, quia effici, et vt actus esset in specie furti si de sua natura nõ esset in ea specie; & propterea talis circumstãtia est in cõfessione manifestãda, vt sit integra, vt de alijs tribus dictũ est.

37 Sed dices. Quid si circumstantia nõ mutaret speciẽ, sed multùm aggrauaret, vel minueret, tenereturne pœnitẽs eam confiteri? Ad hoc resp. Sot. in 4. d. 15. q. 2. ar. 4. affirmatiuè. Vt si quis per lungum tempus habuit animũ occidendi inimicũ, non sufficiet illi si dicat cõfessario: Semel habui animũ occidendi inimicũ, sed debet addere per multum tempus. Et si mulier ob timorem mortis consentit in fornicationem, nõ sufficiet illi si dicat. Fornicata sum semel; sed debet addere, quia alioquin fornicator me volebat occidere, nisi suæ petitioni acquieuissem; vel in extrema necessitate perijssem; quia hæc circumstantia timoris mortis, licet non mutet speciem, quia remanet peccatum mortale fornicationis; multùm tamen alleuiat illud. Nau. tamen, & alij multi dicunt non esse necessariũ similes circũstantias, quæ nõ mutãt speciẽ, cõfiteri.

Quòd si dicas. Si quis vnico ictu occideret duos, vel tres hoĩes, aut vnico actu furaretur mille aureos, tenereturne confiteri q̃ occidit duos vel plures, vel q̃ furatus est mille? An sufficeret dicere, occidi semel hoiem, vel homines; & furatus sum? Ad hoc nisi respõderet forsitan Nauar. q̃ furtum mille non est eiusdem speciei cum furto centum, & homicidiũ duorũ nõ est eiusdẽ speciei cũ homicidio vnius, ita vt sicut numerus binarius non est eiusdẽ speciei cum ternario, ita occisio triũ, vel furtũ triũ moraliter, non sit eiusdẽ speciei cũ occisione, vel furto vnius, vel duorũ, dicerem verissimã esse opinionẽ Soti. Quia non video quomodo esset integra confessio illius, qui furatus semel est mille, vel occidit semel decem, si diceret se furatum esse tantùm decem, vel occidisse hominem. Et propterea credo opinionem Soti esse probabilissimam.

38 Quæritur 6. quibus in casibus Cõfessio non integra sit valida? seu, vt alij dicũt, quibus in casibus cõfessio possit dimidiari? Resp. q̃ põt dimidiari in illis casibus, in quibus est iusta, & legitima caussa eam dimidiandi; & tunc confessio dicetur dimidiata, seu non integra, non per se, sed per accidens. Et hi casus sunt quinque.

Quorũ primus est qñ pœnitens, qui vult cõfiteri, nõ põt oĩa proferre peccata; q̃a est statim moriturus: Vel statim postq̃ dixit aliqua peccata obmutescit paulò post moriturus: In hoc .n. casu si infirmus habẽs multa peccata vnũ, vel duo tantũ potuerit proferre in particulari, danda est illi absolutio. Quia licet confessio non sit integra, est tamen valida, quia non est non integra per se, sed per accidens; hoc .n. accidit præter voluntatem infirmi.

Sed dicet aliq̃s primo, si infirmus tñ diceret. Ego sũ magnus peccator; vel cõmisi quatuor peccata mortalia, q̃ nunc volo confiteri, & deinde obmutescit; itaut nõ possit prosequi, possetne talis absolui? Ad hoc resp. Nau. ĩ Man. c. 26. nu. 28. & fusius c. 27. n. 269. littera B. & Sot. in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. q̃ talis nõ esset absoluẽdus, q̃a cõfessus est tñ in generali sua peccata; absolutio verò est actus iudicialis, & iudiciũ fit tantùm de particularibus, nec põt absolui, qui dicit tñ, Ego sũ peccator, vel cõmisi tot peccata, nisi explicet species peccatorum.

39 Dicet q̃s 2. Si aliquis infirmus ostẽdens magna signa cõtritionis iussit vocari cõfessariũ, vt illi cõfiteat, & adueniẽte Cõfessario obmutescit, & dat ẽt signa cõtritionis pñte Cõfessario, potestne

absolui? Resp. Quod si illa signa contritionis, quæ fiunt præsente Confessario non demonstrant aliquod peccatum in particulari, quod tunc per illa signa intendat confiteri infirmus non põt illi dari absolutio, quia vbi nõ est materia non est applicanda forma: sed hic non apparet aliqua materia, idest peccatum aliquod in particulari non enim peccata in communi sunt materia confessionis, sed in particulari; Quia, vt dictum est non vniuersalia, sed particularia subijciuntur iudicio.

3. Dicet quis, Quomodo possit Confessarius illum inducere ad confitendum aliquod peccatum in particulari per signa? Respond. Quòd sic vt si diceret confessarius si fecisti aliquod mẽdacium iocosum, stringe manum si nõ potes loqui, vt ita confitearis, & tunc posset illi impendi absolutio si stringit manum, quia iam apparet materia in particulari, idest mendacium iocosũ, quod confitetur per signa, alioquin mutus nunquam posset confiteri, sed de hoc infra fusius.

40 Dicet quis quartò, si ipse non potest dare signum in particulari alicuius peccati, sed alius, qui sit præsens dicat, Pater, Iste commisit adulterium quæsò eum absoluas, quia ego scio certò ita esse, potestne absolui? Resp. Quòd non. Quia hæc non est confessio infirmi, sed alterius: Et ita tenent omnes Doctores.

Dicet quis quinto, Si ipsemet Confessarius vidisset infirmum peccantem quando erat sanus, possetne eum absoluere cum non possit dare signum illius peccati? Resp. Quòd non. Quia nullus potest absolui; nisi confiteatur per verba, vel alia signa.

Dicet quis sextò. Quid si aliquis diceret alicui amico, quæso voca confessarium; Et si quando hic erit ego obmutescam, ita ut non possim confiteri dicas illi me cõmisisse hoc, & illud peccatum, vt possit me absoluere? Ad hoc resp. Dom. Sot. & Nau. Quòd nec talis potest absolui si obmutescit adueniente confessario: Quia confessio alterius non est confessio infirmi: Nec verum esset dicere. Quòd infirmus confessus fuerit confessario, sed alteri; alioquin confessio, quæ fieret per nuncium, esset valida: Vt si quis diceret. Vade, & dic confessario, me commisisse talia peccata, & dic, vt veniat ad me, & me absoluat; & tamen talis confessio non esset valida, nisi Confessarius ipse diceret pœnitenti postquàm venit. Commisistine hæc peccata, quę talis mihi dixit? ea enumerando; & pęnitens affirmaret, si non potest verbo, saltem aliquo signo; tunc enim posset absolui: quia illa affirmatio esset confessio. Quòd verò confessio per nuncium non sit valida dicetur infra in conditione. Secreta. contra Nauar. qui dixit esse validam, vt videre est in Man. cap. 27. n. 269. Littera. C.

41 Quòd si dicas. Confessio facta per interpretem est valida: ergo confessio, quam facit infirmus per alium, est valida. Resp. Quòd non est par ratio. Quia confessio, quæ fit per interpretẽ, fit sacerdoti; non enim pœnitens alloquitur interpretem quando cõfitetur, sed alloquitur confessarium, & interpres tantùm declarat confessario verba pœnitentis.

42 Notandum igitur est, vt sciat Confessarius quid facere debeat, quando infirmus obmutescit, & dat signa contritionis: Debet enim ipse solus manens in cubiculo cum infirmo semotis alijs personis diligentissimè procurare, vt infirmus per aliquem nutum, si fieri potest, confiteatur aliquod peccatum in particulari, vel plura si potest. Vt si Confessarius sciat infirmum commisisse fornicationem; quia id ab alijs audiuit, debet dicere infirmo. Vt possim te absoluere quæsò dicas mihi, an aliquando commiseris fornicationem;

& si

& si non potes verbo, annue aliquo signo, etiamsi tale peccatum alias confessus fueris; Vt si verè commisisti fornicationem stringe manum, si potes, vel inclina caput, & ego te absoluam. Quod si infirmus effecerit, poterit, si per tempus licebit; & de alijs interrogare eodem modo si de alijs est probabilis suspicio quòd ea habeat; & postea absolui. Et hoc modo remanebit absolutus ab omnibus peccatis, siue sacramentaliter, siue consequutiuè. Et ratio cur possit absolui si peccatum in particulari ostendit, est, quia apparet materia, cui potest applicari forma.

Dicet quis septimò, In multis ritualibus datur forma absoluendi a peccatis eos, qui non possunt loqui; maximè si velint suscipere extremam vnctionem; etiamsi non dent signum alicuius peccati in particulari. Rursus afferuntur nónulli canones ex Con. Carthag. & aliorum antiquorum Patrum, in quibus dicitur. Quòd infirmi morituri sunt absoluendi, etiamsi non possint loqui.

Ad primum resp. vt resp. Nau. lo. cit. Quòd illæ absolutiones dictorum Ritualium non sunt sacramentales, sed generales.

Ad secundum resp. vt fusè, & optimè resp. Sot. in 4. d. 18. ar. 5. Quòd illi canones loquuntur de absolutione quadam non sacramentali, sed de absolutione à pœnitentia quadam solemni, quæ antiquitus erat in vsu, vt neruosè probat ibidem Sotus.

Neque est dicendum primo, Quòd ille, qui tantùm dat signa contritionis in generali, sit absoluendus, quia in tali casu tutior pars sit eligenda; Nam, vt optimè ait Sot. lo. cit. in tali casu tutius est nō absoluere, quàm absoluere, quia si quis in tali casu vellet absoluere, exponeret se periculo sacrilegij, sacrilegium enim est applicare formam sacramenti materiæ indebitæ, seu non sufficienti.

Nec secundò, dicendū est? Quod in tali casu sit danda absolutio a sacerdote, eò quod alioquin sequeretur quòd a Deo non satis esset prouisum saluti hominum occurrentibus similibus casibus. Primò quia si talis ratio valeret, sequeretur quòd si non inueniretur Sacerdos, posset laicus absoluere; vel posset ipse seipsum absoluere, quia alioquin non satis esset prouisum saluti hominum. Secundo, dico quòd est satis prouisum saluti hominis etiam in tali casu, quia infirmus, qui non potest loqui, aut per nutus ostendere peccatum in particulari, non tenetur cōfiteri; & propterea non peccat si non confitetur. Et si habet peccata ab illis mundatur per contritionem; Et si non habet contritionem, debet eam procurare; nam si dolet de peccatis propter pœnas inferni debet dolere propter Deū & si dolet propter Deum remissè, debet dolere intensè; & si non potest dolere intensè debet dolere quòd non habeat maximum dolorem. Tertiò dico, quòd si iste habet tantùm attritionem, debet fieri contritus per extremam vnctionem, aut per sumptionem Sāctiss. Eucharistiæ; In tali enim casu, vt dicunt Sot. & Nau. loc. cit. infirmus est cōmunicandus si decenter fieri potest; & illi danda est Extrema vnctio.

Nec tertiò dicendum est, quòd si ostendenti signa contritionis in generali possunt ministrari alia sacramenta, idest Baptismus, Communio, & extrema vnctio, possit etiam eidem ministrari sacram. Pœnitentiæ. Quia vt optimè ait Nauarrus, in alijs sacramentis non requiritur actus iudicialis sicut in sacramento Pœnitentiæ. Vnde ait Cōcil. Trid. sess. 14. cap. 5. Constat enim sacerdotes, iudicium hoc incognita caussa exercere nō potuisse, neq; æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere tantū, & non potius in specie, ac singillatim

sua

sua ipsi peccata declarassent.

Neque 4. dicendum est. Quòd in tali casu possit applicari forma, quia habetur materia, quæ est contritio, nã cõtritio licet sit pars materiæ sacramenti Pœnitentiæ; non tñ sola sufficit, sicuti confessio est pars materiæ sacraméti Pœnitentiæ, non tñ sola sufficit. Vndè sicut confitenti sine contritione, aut attritione non est danda absolutio; si id aduertit cõfessarius per aliquod signũ; ita habenti contritioné sine confessione non est danda absolutio; nã sicut cõtritio est pars integralis, sed necessaria ad sacramentũ Pęnitentiæ, est.n sicut caput in homine; ita confessio est pars necessaria, sicuti cor in homine.

Neque vltimo dicendũ est. Quòd in prædicto casu dãda sit absolutio, quia ita dixit S. Ant. 3. p. tit. 10. c. 2. quia D. Ant. est doctor particularis, & pro cõtraria sententia est Dom. Sot. Nau. loc. cit. Abulen. supra D. Mat. Io. Med. vt eũ citat Nau. loc. cit. Dico secundo, quòd falsum est D. Ant. dixisse hoc, vt & optimè ait Nau. loc. cit. Nã hæc sunt verba D. Ant. cap. cit. vbi agit de infirmis, si casu euenerit, vt infirmus non possit loqui, sed tantùm signa contritionis præbeat; debet sacerdos illi exhibere omnia hamanitatis remedia, eũ cõmunicando, absoluendo, & inungendo. Et similia verba dicit D. Th. opusc. 65. quę verba D. Ant. & D. Th. explicat Nau. de absolutione generali, & deprecatiua, & nõ sacramentali, & de absolutione à pœnis per Indulgentias.

Ad hunc primum casum, in quo potest dimidiari cõfessio, & præberi absolutio si saltẽ confiteatur pœnitens aliquod peccatũ in particulari, vel ꝑ verba, vel per nutus, reducunt aliqui Neotherici casum istũ, ꝙ si multi reperirẽtur in eadem naui, quæ esset in euidẽti periculo submersionis, & vnus tantùm cum eis esset Sacerdos, ita vt non liceret illis per tẽpus confiteri omnia sua peccata, possent tales vnum tantũ peccatum confiteri, & sic percipere absolutioné. Quæ responsio est probabilis.

43 Secundus casus, in quo potest licitè dimidiari cõfessio, est ꝑꝑ casuũ reseruationé. Vt si aliquis haberet peccata reseruata, & nõ reseruata, secundum aliquos si talis vellet confiteri Sacerdoti habenti facultaté absoluendi tm̃ à nõ reseruatis, sufficit si illi cõfiteatur tantùm nõ reseruata; & ita erit dimidiata cõfessio per accidens. Sed hoc nõ est verũ, quia talis cõfessio nõ erit bona, nã sunt manifestanda cõfessario nõ reseruata, & reseruata in eadé confessione, qui confessarius deinde debet absoluere ab illis, à quibus potest; Et ratio huius est. Quia in tali casu non datur caussa, propter quã talis confessio debeat esse dimidiata; Nã licet absolutio dari nõ possit de omnibus, confessio tamé, cùm possit fieri de omnibus, debet esse de oibus. Ita Nau. in Man. ca. 9. nu. 11. Vbi dicit, quòd ad integritatem cõfessionis requiritur, vt pęnitens dicat omnia sua peccata siuè cordis, siuè oris, siuè operis, siuè occulta, siuè manifesta, siue de quibus põt absolui, siue de quibus non põt absolui. Ita ét apertè dicit Caiet. in sum. ver. Confessio. §. 10. Integra. Ita D. Th. in 4. d. 18. q. 3. ar. 2. Ita Sot. in ead. d. 18. q. 2. ar. 5. Melius tamẽ esset, vt cõfessarius prius talé mitteret ad superioré pro absolutione reseruatorũ; & si prius vellet ipse absoluere à nõ reseruatis, debet omnia audire ét reseruata; alioquin confessio esset inualida, quia esset nõ integra per se, idest voluntariè, & sine iusta caussa.

44 Quòd si dicas. Si iste prius adiret superioré, vt absolueret à casib⁹ reseruatis, seu ad aliqué Pęnitentiariũ, quià superiore esset deputatus pro absolutione casuum reseruatorum; quid facere deberet Superior, aut Pœnitentiarius?

Ad hoc dico primo, ꝙ Superior, seu Pœnitentiarius deberet audire casus reseruatos, & ꝓ eis remediũ dare, & pęnitentiã taxare, & à cẽsuris absoluere; & postea

poſtea dare ei facultatẽ, vt ab alio poſſit abſolui à caſibus reſeruatis; nec deberet eũ abſoluere ſacramẽtaliter Epiſcopus, aut Pœnitẽtiarius à caſib. reſeruatis tantùm; Et hic modus, ſeu via ait Sotus d. & ar. ſupra cit. eſt illa, quæ eſt in vſu ferè in omnibus Diœceſibus.

Dico ſecũdo, ꝙ Superior, ſeu Pœnitẽtiarius ſi vult eũ abſoluere ſacramẽtaliter deberet eũ audire ẽt quantùm ad peccata nõ reſeruata, vt cõfeſſio fit integra, & deinde ab omnib⁹ abſoluere. Et hæc via, vt ait Sot. loc. cit. eſt regia. Tertiò dicit Sot. loc. cit. cõtra Adrian. ꝙ licet Superior, aut Pœnitẽtiarius nõ deberet abſoluere ſacramẽtaliter à reſeruatis, niſi ẽt audiret nõ reſeruata, & ab illis ẽt abſolueret, poſſet tñ audire tñ reſeruata, & ab illis tñ abſoluere ſacramentaliter, maximè ſi eſſet alijs negotijs impedit⁹. Quia ſi põt dimidiari cõfeſſio ex parte pœnitentis, vt quia eſt ſtatim moriturus, vt dictũ eſt in antecedẽti caſu: ita põt dimidiari ex parte abſoluentis, quia. ſ. eſt alijs negotijs impeditus. Neq; hoc poſſet facere inferior, i. dimidiare cõfeſſionẽ; quia ſicuti inferior non põt ſibi reſeruare caſus, ita non poteſt dimidiare confeſſionẽ.

Quòd ſi dicas. Tenebiturne ille, qui abſolutus eſt ſacramentaliter à reſeruatis tantùm iterum confiteri peccata reſeruata iã remiſſa inferiori qñ confitebit nõ reſeruata? Reſp. ex Sot. D. Th. & Nau. ꝙ tenebitur cõfiteri ẽt reſeruata iã remiſſa ſimul cum nõ reſeruatis. Quia ſemel cõfeſſio debet eſſe integra.

Rurſus ſi dicas, qñ ſuperior abſoluit a reſeruatis tãtùm ſacramentaliter remittũturne, & nñ reſeruata? Reſp. Affirmatiuè, ſed conſequutiuè, ſicuti & quãdo inferior abſoluit a nõ reſeruatis tñ remittũtur ẽt reſeruata, ſed conſequutiuè, remanẽte obligatione quærẽdi abſolutionẽ ſacramẽtalẽ; Sicuti etiã dicit de peccatis, quorũ quis obliuiſcitur ob defectũ memoria quãdo cõfitetur, ꝙ remittũtur quidẽ illa cõſequutiuè, remanẽte obligatione quęrẽdi abſolutionẽ ſacramẽtalẽ ſi ad memoriã redibũt. Et de hoc ſupra fuſius dixim⁹, vbi probatum fuit. Quòd peccata mortalia ſunt inuicẽ connexa, itaut vnũ ſine alio non poſſit remitti.

Demùm ſi dicas. Si aliquis haberet peccata reſeruata, & non reſeruata, & teneretur celebrare, vel communionẽ ſumere ad euitandũ ſcandalũ, & non poſſet adire Superiorẽ, poſſetne in tali caſu inferior, qui non habet poteſtatẽ abſoluendi a reſeruatis, eum abſoluere a reſeruatis? Reſp. Cũ cõmuni DD. opinione quòd non; Sed tenebitur iſte cõfiteri inferiori, & recipere abſolutionẽ a nõ reſeruatis, & poſtea celebrare, vel communionem ſumere cũ animo quærendi poſtea abſolutionẽ a reſeruatis.

45 Tertius caſus, in quo aliquis poteſt licitè dimidiare cõfeſſionẽ, eſt propter defectũ memoriæ, vel propter ignorãtiam inuincibilẽ. Propter defectũ memoriæ, quando aliquis diligenter examinat conſcientiã ſuam, & tamen non recordatur aliquorũ peccatorũ, tũc ſi cõfiteẽ ea, quorũ recordaẽ, cõfeſſio erit integra ꝑ ſe, ſed dimidiata ꝑ accidens. Quia tacet ea peccata, quorum non recordatur, non voluntariè, ſed propter defectum memoriæ.

46 Quòd ſi dicas, quãta diligẽtia teneẽ qs examinare cõſciẽtiã ſuã, vt cenſeaẽ ſatisfeciſſe præcepto de examinãda cõſciẽtia ante cõfeſſionẽ? Reſp. ꝙ tãta debet eſſe, quanta eſt ſufficiẽs iuxta iudiciũ prudentis viri. hunc autẽ cenſetur ſufficiẽs qñ pœnitens probabiliter exiſtimat ꝙ ſi de nouo examinaret cõſciẽtiã nullũ aliud adinueniret peccatum à ſe commiſſum, præter ea, quæ iam in mentẽ reduxit. Ita Vict. in ſum. n. 161.

Propter ignorãtiã inuincibilẽ ẽt licet dimidiare confeſſionẽ qñ pœnitẽs cõmiſit aliquẽ actũ, quem non credit eſſe peccatũ, nec de eo dubitat, an ſit peccatũ. Vt ſi qs neſcit diſcernere ĩter cõtractus licitos, & illicitos, & cõtractu illicito,

cito, quem putat licitum, emit aliquā rem; & hoc non confitetur, quia nesciebat fuisse peccatum, nec dubitabat, an esset peccatum, tunc confessio est valida; Quia si talis tacet talem emptionem, est præter voluntatem, quia videlicet nō credit esse peccatum, maxime si aliquis confessarius, vel alius qui bonus censetur & doctus dixit ei non esse peccatum.

47 Sed hic quæritur. Vtrum Confessarius quando cognoscit Pœnitentem laborare ignorantia inuincibili circa aliquod illicitum, teneatur illum admonere? Vt aliquis contraxit cum aliqua matrimonium, putans se posse cum illa contrahere cum tamen non possit, Quia mortuus fuerit, & deindè sunt affines, cum illa semper habitauit, & ex ea genuit filios, & filias; in hoc casu quæritur. Vtrum Confessarius teneatur eum admonere, quòd illa non est sua vxor; & quòd filij non sunt legitimi, sed illegitimi? Ad hoc resp. Sot. in 4.d.18.q.2. art.4. Quòd si confessarius videt, quòd ex admonitione pœnitentis eueniret aliquod magnum malum, vel scandalum, vt in casu dicto, in quo filij existimarentur illegitimi, debet permittere, vt pœnitens sequatur in sua probabili ignorantia: Secus esset si ex admonitione nullum sequeretur scandalum, aut incommodum.

48 Quartus casus, in quo licet dimidiare confessionem, est quando ex confessione alicuius peccati, vel alicuius eius circumstantiæ esset periculum animæ, famæ, aut vitæ pœnitentis, seu Confessarij, aut tertiæ personæ; vel esset periculum reuelationis confessionis, tūc enim tacēdum esset tale peccatum, vel talis circumstantia si non inueniretur Sacerdos, cui sine tali periculo posset fieri confessio.

Propter periculum pœnitentis. vt esset hic casus. Si in aliquo oppido occisus fuisset frater Parochi; & homicida illius ægrotaret ad mortē, vel ita ægrotaret, vt medico indigeret, & medicus nollet eum visitare post secundā vicem, nisi confiteatur propter Bullā Pij V. & nō daretur alius confessarius tunc, quàm Parochus & nullus alius fuisset occisus illo anno in illo oppido, nisi frater Parochi: In hoc casu homicida, qui vult confiteri Parocho, cùm non habeat alium confessarium, & necesse sit vt confiteatur; non debet dicere. Occidi hominem si est aliquod dubium, quòd alioquin Confessarius tentabit agere contra illum per viam iuris, vel sumet vindictam alio modo; sed debet confiteri alia peccata.

Propter periculum confessarij sit hic casus. Mulier quædam sollicitatur à confessario ad malum, & respondit ei dem. Quòd vult seruare castitatem. Postea commisit fornicationem, & credit, quòd si eam confitebitur, Confessarius magis eam sollicitabit. Tunc prędicta mulier si non habet alium confessarium debet tacere fornicationē propter periculum animæ confessarij, & alia peccata confiteri.

Propter periculum tertiæ personæ, vt si quis commisit peccatum cum sua consobrina, quæ est soror Confessarij; & probabiliter credit, quòd si id sciret confessarius etiam in confessione fortè sororem non dotaret, vel malè in eam animaduerteret. Tunc pœnitens debet tacere tale peccatum; sed de hoc fusè supra circa tertiam conditionem confessionis.

Quòd si dicas. Quando inueniet alium confessarium, tenebiturne iste repetere totam confessionem. Resp. DD. Quòd non, sed sufficiet dicere peccatū omissum propter dictum periculum.

49 Simili modo licet dimidiare confessionem, vt seruetur sigillum confessionis. Vt si Confessarius non posset integrè sua peccata confiteri, nisi manifestaret aliquod peccatum tertiæ personæ, quod audiuit in confessione. Tunc Confessarius tenetur tacere illud pec-

peccatum, propter quod manifestaretur peccatum tertiæ personæ auditum in confessione. Et ratio huius est, quoniam sigillum confessionis est de iure diuino, & naturali; sed præceptum de integritate confessionis est tantùm de iure diuino.

50 Quintus casus est. Quando de aliquo actu est diuersa hominũ opinio, Añ sit actus virtutis; an verò sit peccatum mortale? & pœnitens iudicet esse actum virtutis; confessarius verò iudicet esse pecc. mort. Interrogat Confessarius pœnitentem. Vtrum commiserit talem actum? Pœnitens, qui putat talem actum non esse peccatum, dicit se illum non commisisse, etiamsi commiserit, quia existimat talẽ actũ nõ esse peccatum; & scit se teneri ad confitẽdum, nisi peccata. Vt sit aliquis in carcere constitutus accusatus de homicidio, qui confitetur propter torturã, se cõmisisse tale homicidiũ, & sũt testes, qui deponunt, eum cõmisisse tale homicidiũ, quod tamen verè non cõmisit, & Iudex, seu Prætor certò scit eum non cõmisisse homicidium, de quo est accusatus, & quod est confessus; quia forsitan erat præsens quando tale homicidium fuit cõmisũ. Secundum. D. Tho. Prætor peccat mortaliter si non condemnat dictum accusatum. Scotus è conuerso dicit esse actum virtutis nõ condẽnare dictũ accusatũ, & esse p. m. eum condẽnare. Ratio D. Th. est, quia Iudex debet iudicare secundum allegata, & probata. Ratio Scoti est, quia ꝓpter nullã causã est cõdẽnandus, ille, qui creditur vel cognoscitur innocẽs. Prętor, qui sequitur opinionem Scoti, non condemnauit accusatũ, nec vult eum condemnare. Confessarius Prætoris, qui sequitur opinionẽ D. Th. interrogat Prętorẽ, an soleat iudicare secundũ allegata, & probata. Respon. Prætor se iudicare secũdũ allegata, & ꝓbata, & putat tale mendaciũ esse veniale, q̃a est circa rẽ, quã credit se nõ teneri cõfiteri, quantũ ad dictũ casũ. Vel iubet Confessarius Prætori, vt in posterũ iudicet secundum allegata, & probata. Respondet Prætor se nolle iudicare quando accusabitur innocẽs, quem ipse certò sciet esse innocentem, si per torturã tantũ cõfiteatᷣ se reũ esse.

Hic quæritur a DD. An tuta cõsciẽtia possit cõfessarius tales pœnitẽtes absoluere? Sylu. in sum. ver. Confess. 3. §. 11. & Adr. q. 5. De confessione, dub. 7. distinguunt de confessario. Nã vel cõfessarius est ordinarius, vel delegatus. Si ordinarius debet pęnitentẽ absoluere, etiamsi faciat contra propriam conscientiã. Et ratio eorum est, quia pęnitens ab ordinario de iure potest petere absolutionẽ quando existimat se habere conditiones requisitas. Si verò Confessarius est delegatus, dicunt prædicti DD. quòd nõ debet eũ absoluere. Quia sicuti non tenetur eum audire; ita non tenebituᷣ dare absolutionem, maximè cùm faceret contra propriam conscientiam eum absoluendo. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. propè finem dicit distinctionem Adriani, & Syluestri esse vanam, quia Confessarius, etiamsi sit delegat⁹ postquam voluit audire confessionem pœnitentis, obligauit se ad absoluendũ pęnitentem, non secus ac si fuisset ordinarius.

Quare alio modo distinguit ipse Sotus. Vel opinio, quam sequitur pęnitẽs est probabilis, & deffenditur ab aliquibus Doctoribus probatæ auctoritatis; vel est improbabilis, & nõ deffenditur à Doctoribus probatæ auctoritatis. Si primũ, vt in casu proposito debet Confessarius deponere propriã cõscientiã, & absoluere pęnitẽtẽ: Si verò secũdũ, nulla ratione debet absoluere pęnitentẽ; nisi pęnitens ipse mutet opinionẽ, vt si pœnitens putet nõ esse peccatum dicere falsum in iudicio ad liberandum hominem à morte; vel licitum esse pro pecunia deposita, aut mutuata accipere quinq; pro centũ: quia ita

videtur censere mercatores. In tali casu Confessarius nulla ratione deberet absoluere pœnitenté, nisi mutaret propositum: Quia sua opinio est erronea, & non deffenditur à Doctoribus probatæ auctoritatis.

De vndecima conditione confessionis, quæ est vt sit secreta.

51 Circa hanc conditionem dubitant Doctores aliqui an sit necessaria. Et ferè omnes concludunt eam non esse de integritate, & ratione confessionis. Et hoc verissimum est, quia alioquin darentur aliqui casus, in quibus priuaretur homo sacramento Pœnitentiæ, quia non posset secretò confiteri. Vt si multi essent in eadem naui, cum quibus adesset vnus tantùm sacerdos surdus, & nauis versaretur in maximo periculo submersionis certè si Confessio necessariò deberet esse secreta, nulli possent in dicto casu cófiteri, quoniam Sacerdos est surdus, & qui sunt in naui recedere non possunt. Similiter si plures essent in eodem cubiculo, vel lecto peste laborantes, & cófessarius nollet ingredi, sed tantùm pręforibus cófessionem audire, certè si tales non possent confiteri, quia confessio necessariò debet esse secreta, priuarentur tanto bono, quantum est sacramentum Pœnitentiæ. Idem probatur auctoritate Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. cuius verba sunt hæc. Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem, & si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc diuino præcepto mandatum; nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.

Dicunt secundo Doctores, quòd licet conditio, secreta, nó sit necessaria ad confessionem; nullus tamen vnquá tenetur confiteri, nisi possit secretò cófiteri; etiamsi adsit casus mortis, aut communionis, aut per annum nó fuerit confessus. Et hoc probatur ex Concil. Trid. in verbis proximè citatis.

Quòd si dicas, quando quis non potest secretò confiteri, meliusne est, vt confiteatur palam; vel vt non confiteatur? Resp. quòd melius est, vt confiteatur quando ex confessione nullú imminet periculum scandali, aut alterius mali: Secus si aliquod periculum immineat. Vt si esset Prælatus, qui apud homines iudicaretur probus, & bonæ famæ, qui per symoniam obtinuisset Beneficium. Quòd si scirent homines scandalizarentur, talis si non posset cófiteri secretò, melius esset, vt non confiteretur.

52 Sed hic sunt nónullæ dubitationes. Quarum prima est. Vtrum confessio facta per interpretem sit valida? Resp. secundum communem DD. opinioné quod sic. Nullus tamen tenetur confiteri per interpretem, vt patet ex dictis.

53 Quòd si dicas. Si confessio fiat per interpretem, teneturne interpres ad sigillum confessionis, sicuti confessarius? Scot. in 4. affirmat; sed Sot. in eodem 4. & Caiet. in sum. ver. Confessio. §. Vndecima secreta, dicunt quòd licet interpres teneatur ad sigillum confessionis; non tamen tenetur tam stricto iure sicuti confessarius. Quare puniendus quidé esset acriter interpres si propalaret confessionem, sed non tantùm, quantùm si confessarius. Et ratio est, vt dicunt prædicti DD. quia interpres potius vergit ad partem pœnitentis, quá ad partem Confessarij; sed de hoc infra cap. vlt. vbi de sigillo confess.

Secunda dubitatio. Vtrum, mutus teneatur

54 teneatur confiteri? Ad hoc resp. omnes DD. quòd si mut⁹ potest per signa, & nutus explicare peccatum, vel aliquam circumstantiam in particulari, ita vt Confessarius possit illud percipere, tenetur confiteri; sin minus, non tenetur cum non possit.

Sed dicet aliquis. Si mutus scit scribere, teneturne sua peccata scribere, & ita per scripturam confiteri? Ad hoc resp. Doctores omnes, quòd non tenetur scribere, sed si vult potest scribere, & ita confiteri. Ita Sot. in 4. d. 15. q. 2. ar. 6. & Caiet. loc. cit. Et ratio est, quia scriptura de sua natura est patula, & nullus tenetur confiteri si non potest secretò. Sed si scit legere dicit Caietan. loc. cit. quòd potest optimè confiteri omnia sua peccata secretò, si adhibeãtur ista. Primò libellus, in quo sint scriptæ species peccatorum; deinde charta, in qua sint descripti numeri, 1. 2. 3. &c. & alia charta, in qua sint scripta hæc verba, Feci, Non feci; Dubito; Non recordor: Et pœnitens mutus ostendat digito species peccatorum, quę commisit, in libello; & deinde assignet digito numerum; & postea assignet digito verbum. Feci, vel non feci, &c. Atque hoc modo potest mutus integrè, & secretò confiteri. Quia si perdatur libellus, & perdantur chartæ, non poterit fieri manifesta confessio. Dom. Sot. loc. cit. dicit, quòd mutus, etiamsi sciat legere potest, si vult, eo modo, quem docet Caietanus confiteri; sed quòd non tenetur ad tantam diligentiam. Ego verò crederem eum teneri ad confitendum eo modo: Quia certè non est maxima diligentia, sed parua; & facilè potest mutus ita confiteri.

55 Tertia dubitatio. Vtrum confessio facta per nuncium sit sacramẽtalis, & valida? Vt est aliquis in carcere, qui vult sua peccata confiteri; sed Confessarius non potest ad illum ire, & propterea quæritur. An possit sua peccata dicere alicui homini, qui ea ad Confessarium deferat, vt ab illis absoluatur? Dom. Sot. in 4. d. 18. quæst. 2. artic. 6. cũ communiori Doctorum opinione dixit, non posse aliquem sacramentaliter confiteri per nuncium. Nauarr. verò in Man. cap. 27. num. 269. secutus Adrian. quæst. 6. De confess. dub. 3. & Palud. in 4. distinct. 17. quæst. 2. existimauit, confessionẽ factam per nuncium posse esse sacramentalem. Sed errauit Nau. & alij duo.

Primò, quia sicuti per nuncium non potest quis baptizari, ordinari, confirmari, aut aliud sacramentum suscipere, ita non potest absolui.

Secundò, quando Confessarius absoluit illum, qui per nuncium confitetur, vel dicit Ego te absoluo, Vel ego illum absoluo: Si dicit Ego te absoluo, vel per pronomen (te) intelligit nuncium, vel intelligit eum, cuius peccata nuncius est confessus: Si intelligit nuncium, errat, quia nuncius non debet absolui ab alienis peccatis: Si intelligit eum, cuius peccata nuncius est cõfessus, errat; Quia iste est absens, & pronomen (te) significat personam præsentem saltem in pręsenti negotio. Vndè sicuti supra de sanctiss. Eucharistia diximus, quòd non potest consecrari materia absens, quia in forma cõsecrationis cõtinetur pronomen (hoc) quod significat materiam præsentem; ita non potest absolui absens à peccatis sacramentaliter, quia in absolutione sacramentali requiritur pronomen (te) quod significat personam præsentem: Si verò Confessarius dicit. Ego illum absoluo, falsa est forma; quia variatur sensus eius; & supra multoties diximus, maximè in prima Part. huius Tract. quòd quando variatur sensus formæ sacramenti, tollitur ipsa forma sacramenti.

Nota, à S. D. N. Clemente VIII. viua vocis oraculo de anno 1602. die 19. Iulij declaratam temerariam eam sen-

tentiam, quæ affirmabat confessionem fieri posse per litteras aut nuntium in distans; imò addit pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam, & sibi reseruatam contra violantes hoc decretum, præter alias pœnas à iudicibus iniungendas. De hoc videatur Franciscus Suarez To.4.in tertiam partem D.Thomæ disp.19.sect.3.num.15.

56 Quarta dubitatio. Vtrum quis possit confiteri per litteras? Nauarr. cum Adrian. & Palud. existimarunt confessionem posse fieri per litteras.

Dom.Sot.verò loc.cit.Duran.D.Th. in 4. & alij omnes dixerunt non posse aliquẽ confiteri sacramẽtaliter per litteras. Caiet.in sum.ver.Cõfessio.q.vndecima Secreta dicit. Quòd cõfessio dupliciter potest fieri ꝑ literas: Vno modo si quis scriberet sua peccata, & mitteret scripturã confessario absenti, vt eã legeret, & absolueret pęnitentẽ. Et hoc modo cõfessio nõ pôt esse sacramẽtalis. Primò, quia sicuti nõ baptizatur quis per litteras, nec per scripturã, neque confirmatur, &c. ita neq; absolui potest. Secundò, quia dicitur, quòd accedit verbũ ad elemẽtũ, & fit sacramẽtum; vbi per verbũ, intelligitur vox articulata, & non scripta. Secundò modo pôt fieri confessio per scripturã si quis scriberet sua peccata, & illa ostẽderet Sacerdoti præsenti, dicẽdo. Accipe, lege, Hæc sunt mea peccata, quæ nũc volo, & intendo confiteri, & confiteor, vel ipsomet pœnitente ea de scripto legente. Et hoc modo cõfessio facta per scripturam esset sacramentalis, modò absolutio fieret in voce.

57 Sed diceret aliquis. Si quis inueniret eã scripturã, in qua scripta sunt peccata, possetne sine peccato eam legere? Resp. ꝙ non, nisi esset ipse pęnitẽs; quia sicuti peccatũ mortale esset, si quis se absconderet post confessionale, vt audiret peccata pœnitentis; ita peccatũ mort. esset legere scripturam, in qua scripta sunt peccata aliena, vt quis ea confiteatur. Nec posset tradere alteri illam scripturam legendam sine peccato mortali, nisi esset ille, cuius peccata sunt scripta: Nam sicuti peccatum est alteri narrare peccata audita in cõfessione siue casu, vt cùm clericus existens in Ecclesia inaduertenter audit peccata pœnitentis; vel sponte; ita nõ potest aliquis deferre alteri scripturam legendam, in qua sint scripta peccata alterius, vt illa confiteatur.

Dicet quis secundò. Vtrum aliquis teneatur scribere sua peccata, quia facilè obliuiscitur, vt possit illa confiteri? Resp. quòd potest si vult; vt dicunt omnes Doctores; sed non tenetur: quia scriptura posset amitti, vel ab aliquo surripi.

De quinque conditionibus Confessionis, quæ sunt, vt sit lachrimabilis, accelerata, fortis, accusans; & parère parata.

58 DVodecimò Confessio debet esse lachrimabilis, idest debet fieri, si potest, cũ lachrimis ẽt corporeis: Non tñ hoc est necessarium: Nã vt bona sit confessio quantùm ad lachrimas sufficiunt lachrimæ cordis, hoc est dolor animi. Et si per lachrimabilẽ intelligamus dolorẽ animi, cõditio lachrimabilis est præcipua, & maximè necessaria; nec vlla alia est tàm necessaria: Nã licet confessio debeat esse integra, dãtur tamen casus, de quibus supra diximus; in quibus confessio erit sacramentalis, etiamsi non sit integra; numquam tamen poterit esse confessio sacramentalis si sit sine dolore animi, idest sine cõtritione, aut attritione sufficienti, de quibus satis in cap. antecedenti.

59 Decimotertiò, Confessio debet esse accelerata, idest debet fieri quàm cito post peccatũ. Primò, quia homo posset mori sine confessione. Secundò, quia si habe-

haberet tantùm attritionem opera bona, quæ post peccatum faceret ante cōfessionem, essent mortua. Sed tamen hæc conditio est tantùm de consilio; nisi statim post peccatum eueniat periculum mortis, aut peccator velit sumere sanctiss. Eucharistiā, vel sit finis anni à tempore vltimæ præteritæ confessionis; vel nisi quis vouisset statim confiteri post peccatum, aut talem pęnitentiam accepisset à Confessario.

60 Decimoquartò, Confessio debet esse fortis, idest debet homo forti, & cōstanti animo sua peccata confiteri, ita vt nullum relinquat propter erubescentiam, aut aliam non iustam caussam: de quibus caussis dictum est in conditione. Integra.

61 Decimoquintò, Confessio debet esse accusans, idest non debet pœnitens accusare diabolum, aut socios; sed seipsum, & suam prauam voluntatem.

62 Vltimò, Confessio debet esse parère parata, idest debet pœnitens esse parat' euitare occasiones proximas peccandi si illi imponatur à Confessario, & etiamsi non imponatur. Et hæc conditio hoc modo intellecta est necessaria, sed coincidit cum lachrimabili, quia occasio proxima est illa, ad quam vt plurimùm sequitur peccatum, & in qua est periculum peccandi, & qui amat periculum peribit in illo. Vnde qui non vult euitare occasionem proximam peccandi non potest esse contritus, quia nolle euitare occasionem proximam peccandi est velle peccare. Debet etiam confessio esse parère parata. Idest debet pœnitens esse paratus ad suscipiendam, & exequendam pœnitentiam, quæ sibi à confessario iniungetur. Sed vtrum teneatur quis acceptare pœnitentiam, & postquàm eam acceptauit exequi dicetur in cap. sequenti.

CAPVT DECIMVM.

De tertia parte sacramenti Pœnitentiæ.

1 *Vtrum cum culpa remittatur reatus pœna.*
2 *Quomodo tollatur pœna.*
3 *Pœnitentia num semper imponenda, & quibus in casibus omittenda.*
4 *Qualia opera iniungenda pęnitēti.*
5 *Quando pœnitentia imponenda.*
6 *Teneaturne pœnitens illam acceptare.*
7 *Et acceptatam adimplere.*
8 *Quando sit adimplenda pœnitētia.*
9 *Confeßarius poßitne commutare pœnitentiam ab alio impositam.*
10 *Per indulgentias tollaturne pœnitentia iniuncta.*
11 *Indulgentia quid sit.*
12 *Pœnitentia adimpleta in mortali an sit satisfactoria.*
13 *Et ad quid valeat.*
14 *Poßitne vnus pro alio satisfacere.*
15 *Poßitne vnus pro se, & alio satisfacere.*
16 *Num pœnitentia iniuncta tollat totam pœnam.*
17 *Quantitas pœnitentiæ iniungēda.*

IN hoc capite sex quærenda sunt. Quorū primū est. Vtrū post remissā culpā peccati remaneat reatus pœnæ. Secundū est: Vtrū semper confessarius debeat pęnitēti pro peccatis iniungere aliquā pęnitentiam. Tertium est, quænam pęnitentia sit iniungenda pęnitēti. Quartū est, qualis pœnitentia sit iniungenda. Quintum, quanta pęnitentia sit iniungenda. Et vltimū est, quando debeat iniungi pęnitentia.

Quæ-

1 Quæritur primo. Vtrum postquàm per absolutionem Sacerdotis remissa est culpa, remaneat reatus pœnæ, idest obligatio ad aliquam satisfactionem, pro culpa peccatorum remissa? Respondeo secundum fidem Catholicã, quòd non semper quando remittitur culpa peccatorum, etiam remittitur tota pœna; sed mutatur de æterna, si peccatum erat mortale, in temporalẽ, & ad eam obligatur homo. Ita Conc. Trid. sess. 14. can. 12. Cuius verba sunt hæc. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, &c. anathema sit. Et ita elicitur ex 2. Reg. cap. 12. Vbi postquàm dictum est Regi Dauid. Dominus transtulit peccatum tuum; eidem imponitur pœnitentia illis verbis. Veruntamen filius, qui tibi natus est, morte morietur.

Dixi autem quòd non semper remissa culpa remittitur etiã tota pœna per confessionem, & absolutionem; primò quia semper remittitur aliqua pars pœnæ etiam temporalis homini per Pœnitentiam: Nam confessio, & contritio sunt actus pœnales, & propterea sunt satisfactorij. Secundò, quia aliquando simul cum culpa tollitur tota pœna, vt semper fit in Baptismo quando dignè suscipitur; & aliquando per contritionem, & confessionem, vt cũ peccatum, de quo quis conteritur, est paruum; & contritio est maxima.

2 Sed dices. Pœna, ad quam obligatur homo postquam illi est remissa culpa, quomodo tolli potest? Resp. quòd quattuor modis tolli potest. Primò per pœnitentiam, quæ iniungitur à confessario, & quæ propriè dicitur satisfactio, prout est tertia pars sacramenti pœnitentiæ. Secundò, per alia opera pœnalia, quæ homo sua sponte exercet, vt ieiunia; carnis macerationes; imò & per tribulationes, ac infirmitates, & alia huius vitæ incommoda, si quis ea patienter sufferat. Tertiò, per Indulgentias, quæ sunt operationes pœnales Christi, & B. Virginis, & aliorum Sanctorum, quibus satisfactionibus non indiguerunt, & propterea nobis applicantur. Quartò, per Purgatorium, in quo purgatur anima nostra à pœnis, à quibus non fuit purgata in hac vita, vt possit in Cœlum euolare.

3 Quæritur secundò. Vtrum semper Confessarius debeat imponere pœnitenti aliquam pœnitentiam, seu satisfactionem pro peccatis, quæ confessus est? Resp. quòd regulariter debet Confessarius imponere pœnitentiam pœnitenti pro peccatis, quæ confitetur. Ita Caiet. in sum. ver. satisfactio; & omnes DD. Et ratio est, quoniam pœnitẽtia, quæ est sacramentum, debet habere tres partes inter quas est satisfactio, quæ licet non sit necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ, est tamen de integritate ipsius, ita ut sine ipsa sacramentum Pœnitentiæ non dicatur integrum.

Dixi verò (regulariter) quoniam, vt ait Caiet. loc. cit. in tribus casibus non est pœnitenti iniungenda satisfactio. Quorum primus est, quando Cõfessarius videt, pœnitentem sufficienter satisfecisse pro peccatis, quæ confitetur. Vt si aliquis confitetur, quòd furatus est regium nummũ, & qui propter tale furtũ est restitutus regiũ nũmum, & pro pœnitentia delicti istius quatuor regios nummos pauperibus donauit certè tali non est iniungenda pœnitentia pro furto regij nummi.

Secundus casus est, quando pœnitẽs est proximus morti, tunc non est illi iniungenda pœnitentia saltẽ talis, qualem ipse non possit adimplere. Sed adiuuandus est per suffragia Sanctorum, per Indulgentias, per orationes deuotorum si fieri potest, & similia; vel relinquendus est diuino iudicio puniendus in purgatorio.

Tertius casus est, quando pœnitens non vult acceptare pœnitentiam: Nã quoniam satisfactio non est de necessitate

tate

tate sacramenti Pœnitentiæ; sed tantũ de integritate, si probabiliter iudicat Confessarius, talem, qui non uult acceptare pœnitentiam habere sufficientem attritionem posset eum absoluere; sed id rarò, & ferè numquam euenire potest: Nam maximum signum est quòd aliquis nullum, vel minimũ dolorem habeat de peccatis, quando nec minimam vult acceptare pœnitentiam, parùm enim talis distat ab Inferno inquit Caietanus vbi supra.

4 Quæritur tertiò, quæ pœnitentia sit imponenda pœnitenti à Confessario? Resp. quòd sunt imponẽda aliqua opera pœnalia; quæ omnia sunt ieiunium, oratio, & eleemosina; vel ad hæc tria principalia reducuntur: Ad ieiunium enim reducuntur cilicia, disciplinæ, peregrinationes, Ecclesiarum visitationes, & his similia. Ad eleemosinam reducuntur omnia opera misericordię corporalia. Ad orationem verò reducuntur omnia opera misericordię spiritualia.

Quare autem hæc tria sint pro pœnitentia iniungenda afferunt DD. duas rationes. Vt D. Tho. in 4. dist. 18. q. 1. Quarum prima est, quia Pœnitentia debet esse vindicta pro peccatis in rebus nostris. Sunt autem res nostræ triplicis generis: quia vel sunt exteriores, quæ sunt facultates, seu bona fortunę: Et in ijs punitur homo per eleemosynam. Vel bona corporis; & in ijs punitur homo per ieiunium. Vel bona animæ; & in his punitur homo per orationem. Altera ratio est. Quoniam pœnitentia, quæ iniungitur à confessario, debet esse medicina præseruatiua; idest quæ præseruet hominem à peccatis, ita vt radicitus extirpentur caussæ peccatorum, ne in posterùm peccet. Sunt autem caussæ peccatorum tres, vt habetur in 1. Ioan. cap. 2. Concupiscentia carnis; & hæc tollitur per ieiunium; Concupiscentia oculorum, & hæc tollitur per eleemosynam; Et superbia vitæ, quæ tollitur per orationem.

Quæritur quartò, qualis pœnitentia sit imponenda? Resp. quòd talis debet imponi, qualem meretur peccatum. Vndè si peccatum fuit gulæ debet dari ieiunium; si furti eleemosyna; si blasphæmiæ oratio: quia contraria contrarijs curantur. Hoc autem dicitur regulariter: quoniam aliquando mutandus est hic ordo. Vt si aliqua mulier, quæ fornicata est, non posset ieiunare, quia lactaret, vel quia esset periculum scandali si post confessionẽ viderent homines eam ieiunantem, quæ non solebat ieiunare; ita vt existimarent eam cõmisisse aliquod graue peccatum: tunc esset mutanda pęnitentia, & pro ieiunio aliud opus esset imponendum. Similiter si pauper furatus est sufficit, vt restituat si potest, & non est illi pro peccato furti iniungenda eleemosyna, sed aliud opus satisfactorium.

Quæritur quintò, quanta pœnitentia debeat imponi pœnitenti à Confessario? Ad hoc resp. cum Caiet. in sum. ver. satisfactio. Quòd si consideretur pœnitentia prout datur in vindictam peccatorum commissorum est mensuranda, iuxta grauitatem peccatorum, ita vt confitenti maiora peccata regulariter maior sit imponenda pœnitentia; quàm confitenti minora: sicut in foro exteriori ad maiorem pęnam cõdemnatur, qui maius delictum commisit, quàm qui minus. Si verò consideretur pœnitentia, seù satisfactio iniũgenda, prout est quædã medicina præseruitatiua, mẽsuranda erit satisfactio iuxta mensuram dispositionis pœnitentis. Quare optimè inquit Caietanus ibidem, non omnibus æqualem pœnitentiam esse imponendam pro ijsdem peccatis, sed magis disposito maior potest imponi pœnitentia, quàm minus disposito. Quia, quemadmodum infirmo debili nõ est applicanda fortis medi-

dicina; etiamsi grauis sit infirmitas; sed debilis; ita vt vires infirmi eam sufferre queant; fortiori verò, & habenti maiorem complexionem ad expellendam eandem infirmitatem fortior, & potentior potest applicari medicina: Ita pœnitenti, qui est spiritualiter infirmus, si est maximè dispositus, & paratus ad perfectè satisfaciendum magna poterit imponi pœnitentia, si magna sunt peccata: Si verò non sit benè dispositus; sed aliquantulum debilis in vita spirituali; minor erit imponenda pœnitentia; ne, vt optimè ait Caietanus loc. citato, paruus ignis suffocetur apposita magna strue lignorum; sed potius palea aliqua foueatur.

5 Quæritur vltimo, quãdo debeat imponi pœnitentia an ante absolutionẽ, an verò post? Ad hoc resp. Caiet. in sum. ver. satisfactio. Quòd parùm refert an pœnitentia imponatur ante absolutionem, an verò post; modò confessarius sit prudens quando illam imponit consideratis circunstantijs personæ, peccati, & aliorum, de quibus supra.

Sed hic sunt nonnullæ dubitationes soluẽdæ, quæ possunt oriri ex his, quæ dicta sunt in solutionibus prædictorũ quæsitorum.

6 Prima dubitatio est. Vtrum Pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam, quam cõfessarius illi imponit? De hac re sunt duæ opiniones: quarum prima est Victor. in sum. num. 209. qui pro se citat Mag. in 4. sent. dist. 18. D. Thom. in eadem dist. Palud. in eodem 4. d. 28. & Ioan. Maior. in eodem 4 d. 17. videlicet Pœnitentem teneri sub pœna peccati mortalis acceptare pœnitentiam, quam sibi confessarius iniungit. Et ratio eius est. quia in c. Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss. vbi præcipitur. Quòd confessio fiat saltem semel in anno; habentur hæc verba. Et pœnitens iniũctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere. Et in c. statuimus. De maledicis habentur hæc verba. Si pœnitentiam renuerit peccator iniunctam à Sacerdote, interdicatur ei ingressus Ecclesiæ. Et in Concil. Trid. sess. 14. can. 15. habentur hæc verba. Si quis dixerit claues Ecclesiæ datas tantùm ad absoluendum, & non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes dùm imponunt pœnam confitentibus agere cõtra finem clauium, & contra institutionem Christi, &c. Anathema sit. Alia opinio fuit Nau. in Man. cap. 26. num. 20. Qui dixit. Pœnitentem non teneri ad acceptandum pœnitentiam, quam sibi iniungit confessarius. Et hæc opinio fuit Scoti in 4. dist. 17. Gabr. in eadem dist. quæst. 2. Ioan. Medinæ in cod. De confessione. Panorm. cap. Significauit. De pœnit. & remiss. Host. in sum. tit. De Pœnitentia. §. Et an sit. Et Caiet. in sum. ver. Satisfactio. Et ratio istorum est. Quoniam non est de necessitate salutis acceptare pœnitentiam à confessario, vt per illã remittatur pœna pro peccatis debita: Nam multis alijs modis potest remitti: Vt per pœnas Purgatorij, per Indulgentias, & per opera satisfactoria à cõfessario non iniuncta. Nos sequuti fuimus hanc secundam opinionem supra in 2. quæsito. Et ratio nostra fuit. Quoniam satisfactio, licet sit pars integralis sacramenti Pœnitentiæ; non tamen est ita necessaria, vt sine illa nõ possit consistere sacramentum Pœnitentiæ: Alioquin infirmus statim moriturus non posset sacramentum Pœnitentiæ recipere: Et si post absolutionem remaneat reatus ad pœnam, illa potest alijs modis tolli; quàm per iniũctam pœnitentiam, vt benè dixerunt prædicti Doctores.

Ad c. Omnis vtriusque sexus. Resp. quòd loquitur de illis, qui iam acceptarunt pœnitentiam, qui posteaquàm eam acceptarunt tenentur illam adimplere: vt mox in sequenti dubit. dicam.

Ad cap. statuimus. resp. DD. vt etiã ani-

animaduertit ipse Victor. quòd loquitur de pœnitentia publica, quando delictum est publicum.

Ad Concil. Trident. respond. quòd sicuti in Ecclesia est potestas absoluendi si pęnitentes volunt absolui; ita est potestas ligandi, si pœnitentes volunt ligari. Quòd si noluerint ligari, non tenebuntur implere pœnitentiam.

Secunda dubit. est. Vtrum Pœnitens si acceptet pœnitentiam teneatur illā adimplere sub pœna peccati mortalis? Caiet. in sum. ver. Satisfactio, negat. Et ratio eius est, quoniam illa satisfactio illo modo non est necessaria ad salutem. Scot. in 4. d. 18. & 19. Et Nauar. in Man. cap. 26. num. 22. dicunt. Quòd postquàm aliquis acceptauit pœnitentiam, tenetur eam adimplere sub pœna peccati mortalis. Et ratio eorum est, quia in Ecclesia est potestas ligandi, idest obligandi ad pœnitentiam: ergo postquàm quis eam acceptauit, erit ligatus, idest obligatus eam adimplere. Idem probatur ex verbis cap. Omnis vtriusque sexus. supra citatis.

Tertia dubitatio est. Vtrū quis possit iniungere pęnitenti pro pęnitentia opus aliquod satisfactorium, ad quod iam teneatur? Puta an existēti in sacris possit imponi pro pœnitentia, vt recitet horas canonicas? Nau. in Man. cap. 26. nu. 22. affirmat: & ita tenet communis Doctorum opinio. Quare si talis non recitaret horas canonicas quādo confitebitur, tenebitur manifestare vtramque circumstantiam, idest quòd tali die non recitarit horas canonicas cùm esset in sacris; & ad id etiam teneretur, quia Confessarius idem pro pœnitentia imposuerat.

Quòd si dicas, si confessarius imponit pœnitenti, vt ieiunet per tres dies, satisfacietne pęnitens præcepto Confessarij ieiunando in triduo temporū? Ad hoc resp. communiter DD. quòd vel Confessarius limitauit tempus ieiunij, vel non limitauit. Si limitauit, & in illo tempore currit præceptum ecclesiasticum ieiunij satisfacit pęnitens ieiunando in illo tempore, & præcepto ecclesiastico, & præcepto confessarij: Vt si in die dominica, quæ immediatè antecedit dies temporum, confessarius mihi imponit, vt ieiunem per totam sequentem hebdomadam, satisfacio etiamsi ieiunauero in diebus temporum. Et si impositum mihi fuit, vt ieiunem singulo die Sabbati per duos menses futuros, satisfacio ieiunando diebus Sabbati, in quibus concurrit etiam aliquòd præceptum ieiunandi intra duos illos menses. Sed si Confessarius non limitauit tempus, non satisfacio adimplendo pœnitentiam per opera, ad quæ teneor ex aliquo præcepto. Vt si impositum mihi fuit, vt ieiunem per sex dies absolutè, idest non limitando ad certum tempus, non satisfacio ieiunādo in illis diebus, in quibus aliàs teneor ieiunare.

Quarta dubitatio. Vtrum vnus Confessarius possit tollere, diminuere, aut mutare pœnitentiam alicui impositam ab alio confessario?

Syluest. in sum. ver. satisfactio, dicit, quòd secundus confessarius potest tollere, diminuere, aut mutare pœnitentiam ab alio impositam; si tamen pœnitens iterum confiteatur omnia peccata, quæ confessus est primò, & propter quæ pœnitentia fuit imposita.

Victoria in summ. numero 211. dicit, quòd secundus Confessarius potest mutare pœnitentiam ad libitum suum, etiamsi pęnitens non confiteatur iterum peccata, propter quæ fuit imposita: Et ratio est, quia secundus confessarius est Iudex, & habet potestatem supra pœnitentem, & propterea satis est si pœnitens confiteatur se non adimpleuisse

talem pœnitentiam. Et hoc verum est si pœnitens confiteatur se non adimpleuisse pęnitentiam impositam tempore debito, & statuto, quod iam pertransijt.

Nau. in Man. cap. 26. num. 22. distinguit hoc modo. Si pęnitentia fuit imposita ppter peccata reseruata, à quibus secundus confessarius non potest absoluere, secundus confessarius nec potest tollere, nec diminuere, neq; mutare talem pęnitentiam: Secus si secundus cõfessarius potest absoluere ab illis peccatis, propter quæ pœnitentia fuit imposita; tunc enim posset & tollere, & mutare, & diminuere eam.

Caiet. in sum. ver. satisfactio, dicit. Quòd etiam ipsemet pęnitens solus potest tollere, diminuere, aut mutare pęnitentiam, quia ipse credit pęnitentem non teneri ad implendum pęnitẽtiam iniunctam sub pœna peccati mortalis, vt dictum est supra in dubitatione 2.

Ego cum communiori DD. opinione dico, quòd confessarius potest mutare, diminuere, aut etiam tollere pęnitentiam, quam alius confessarius pęnitenti imposuit, siue possit absoluere ab iisdem casibus, propter quos fuit imposita, siue nõ; modò sit legitima caussa tollendi, mutandi, aut diminuendi.

Quòd si dicas, quænam est hæc legitima caussa? Resp. quòd est illa, propter quam melius est eam mutare, diminuere, aut tollere, quàm non mutare, &c. Vt legitima caussa dispensandi in voto est illa, propter quam melius est, vt non adimpleatur id, quod quis vouit; quàm vt adimpleatur. Exẽplum erit si ieiuniũ obest sanitati meę, quia sum infirmus; vel saluti pueri, cui lac præbeo, melius est vt non ieiunem: Et propterea in simili ieiunio potest dispensare secundus confessarius etiã si fuisset impositum propter casum reseruatum. Similiter si scandalizatur aliquis, quia exequor talem pęnitentiam: Sed si non est iusta caussa non potest, nec debet secundus confessarius tollere, vel dimminuere, vel mutare pœnitentiam ab alio impositam.

10 Quinta dubitatio. Vtrum quis possit se eximere ab obligatione pœnitentiæ impositæ a Confessario per indulgentias? Sylu. in sum. ver. indulgentia §132. affirmat. Et ratio eius est. Quia contritio, & confessio mutant pœnam æternam in temporalem; & pœna temporalis potest tolli tribus modis, vel per Purgatorium, vel per Indulgentias, vel per opera satisfactoria: ergo si quis satisfaciet per Indulgentias, non erit necesse, vt satisfaciat per pœnitẽtiam iniunctam a confessario. Si ergo, inquit Syluester, confessarius imponit pęnitentiam quinquaginta dierum, poterit pœnitẽs satisfacere acquirẽdo Indulgentiam quinquaginta dierum.

Panor. De pęnit. & remiss. c. Quòd autem, Palud. & Maior. in 4. sent. dicunt: Quòd pęnitens potest se eximere ab obligatione pęnitentiæ impositę a confessario per Indulgentias de licẽtia confessarij; non sine licentia: licet Panor. paulò post dicat in eodem cap. melius esse absolutè dicere, quòd etiam sine licentia Confessarij possit pęnitens se eximere a tali obligatione 11 per indulgentias: Et ratio eius est: Quia aliter dicere est nimis stringere vigorem, & effectum Indulgentiarũ: Sunt enim Indulgentiæ satisfactiones operationum Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum, quibus satisfactionibus ipsi non indiguerunt. Et Thesaurus istarum satisfactionum, qui dicitur thesaurus Indulgentiarum, est in potestate Sum. Pontificis; vt possit de illis applicare cuilibet benè disposito: Et ex loco, inquit Panormitanus, non tenebitur pœnitens petere licentiam a Confessario, vt sibi applicentur Indulgentiæ; alioquin plus posset confessarius circa Indulgentias, quàm Papa. Absolutè igitur dicendum est cum cõ-

munioni

munioni Doctorum opinione, posse pęnitentem se eximere ab obligatione adimplendi pœnitentiam iniunctam per Indulgentias.

Quo tamen non obstante melius est, vt ille, qui acceptauit pœnitentiam a confessario; & deinde procurauit sibi applicari Indulgentias, etiam studeat, & conetur adimplere pęnitentiã sibi a Confessario iniunctam; vt dicit D. Th. in 4. d. 15. Primò, quia opus impositum a confessario non tantùm est satisfactorium, sed etiam meritorium ex opere operato. Secundò, quia forsitan non exequutus est, vt debuit, ea, quæ exequi debebat, vt sibi applicarętur Indulgentiæ. Tertiò, quia, vt supradictum est, pęnitentia non semper imponitur a confessario tantùm in vindictam peccatorum; sed sæpe imponitur etiam, vt sit medicina pręseruatiua; Et proptereà, vt dictum est supra, guloso imponitur ieiunium non tantùm, vt satisfaciat pro pœna peccatorum; sed etiam, vt vitium gulæ facilius euitare possit.

12 Sexta dubit. est: Vtrum si quis adimpleat pęnitentiam impositam à cõfessario in peccato mortali, tollatur illi pęnã sibi pro peccatis debita ex illa pęnitentia.

Caiet. in sum. ver. satisfactio dicit, quòd pęnitentia adimpleta in peccato mortali nõ aufert pęnam pro peccatis debitam: Sed addit quòd quando peccator redibit ad cor, illa pęnitentia viuificabitur, ita vt fiat satisfactoria.

Nau. in Man. cap. 3. num. 5. dicit & ipse, quòd pœnitentia peracta in peccato mortali non tollit pęnam pro peccatis debitam; Quia, vt dicit D. Paul. 1. ad Cor. cap. 13. Nõ habenti charitatem nihil prodest: Sed addit Nauar. quòd quando peccator redibit ad cor, illa pęnitentia facta in peccato mortali non tantùm erit satisfactoria; sed etiam meritoria gratiæ. Quare facit Nau. hanc differentiam inter opera bona, quæ quis facit in peccato mortali sua spõte; & quæ facit in peccato mortali, quia iniuncta sunt à confessario pro satisfactione peccatorum: Quòd prima opera non viuificantur per subsequentem gratiam; secunda verò, & viuificantur, quantùm ad satisfactionem, & quantùm ad meritum; licet Caietanus nihil dicat de merito. Ratio Caiet. & Nau. quare opera iniuncta à confessario facta in peccato mortali viuificentur vel quãtùm ad satisfactionem; vel quantùm ad satisfactionem, & meritum, est, quia existimat cũ aliis nonnullis DD. sacramẽtum Pęnitentię posse esse informe, idest sine gratia, vt alia sacramenta; Potest enim, inquiũt isti, homo recipere sacramentum Pœnitentiæ, & remanere in peccato mortali; sicut & potest aliquis suscipere sacramentum Baptismi, Cõfirmationis, Eucharistiæ, & alia, & remanere in peccato mortali; & satisfactio est pars sacramenti Pœnitentiæ, si est iniuncta à confessario: Sacramentum verò Pęnitentiæ viuificatur, idest facit suum effectum quãdo peccator redit ad cor. Sed supra probatum fuit sacramẽtum Pęnitentiæ numquàm posse esse informe, idest sine gratia; licet alia sacramenta possint esse informia.

Capreol. in 4. dist. 15. Maior. ibidẽ, & multi alij Thomistæ, quos ibi citat Capreolus, distinguunt de operibus iniunctis à confessario, quæ fiunt in peccato mortali; hoc modo. Talia opera vel relinquunt post se aliquem effectum; vel non: Si non relinquunt post se aliquem effectum, vt sunt orationes, non viuificantur quando redit ad cor; Si verò relinquunt aliquem effectum post se, vt eleemosyna, quæ relinquit substantiam attenuatam; & ieiunium, quod relinquit corpus macceratum; talia viuificantur quando homo redit ad cor: Quia si non manent in seipsis, saltem manent in suo effectu. Sed Dom. Sot. in 4. dist. 19. q. 1. artic. 5.

refellit istorũ opinionem. Primò, quia non est idem, opera manere in suo effectu, ac manere in seipsis. Secundò, quia ieiunium. v.g. non semper extenuat corpus, sed aliquando efficit sanitatem in homine; Ridiculum autem esset dicere, inquit Sotus, quòd ieiunium non sit satisfactoriũ si efficit corpus sanum, & sit satisfactorium si propter illud pœnitens est infirmatus.

Dicendum igitur est cum Soto loc. cit. & Adriano in 4.d.17. Quòd pœnitentia si fiat in peccato mortali, etiãsi sit à confessario iniuncta, non valet ad tollendam pœnam, quæ pro peccatis debetur nec quando fit, nec quando deindè homo ad cor redit.

13 Quòd si dicas. Tenebiturne homo iterùm adimplere pœnitentiam sibi à confessario iniunctam, quam adimplevit in peccato mortali, quando existimat se rediisse in gratiam Dei? Respõd. secundum communem Doctorum opinionem. Quòd non tenebitur eam iterùm adimplere, quantùm ad euitandũ peccatum, quod incurritur, quia non adimpleatur pœnitentia acceptata: Quoniam pœnitentia iniuncta à confessario si adimpleatur in peccato mortali valet ad satisfaciendum Ecclesiæ, & Confessario, licet non valeat ad tollendam pœnam pro peccatis debitam: sicut recitare officium in peccato mortali valet ad satisfaciendum præcepto de recitando officio; licet talis recitatio non sit satisfactoria pro pœna peccatorum, neque meritoria vitæ æternæ illi qui recitat: Vndè si quis manè recitauit officium existens in peccato mortali, & vesperi deinde redit ad cor, idest eum pœnitet peccati, vel illud etiam confitetur, & credit quòd illi remissum sit, non tenebitur iterùm officium recitare. Ita Caiet. Capreol. Maior, Sot. & Adrian. locis cit. & Victoria in sum. num. 201. propè finem. Tenebitur autem ille, qui adimpleuit pœnitentiam in peccato mortali ad alia opera satisfactoria; vel similia illis, quæ fecit in peccato mortali si vult vt pœna pro peccatis debita ab eo tollatur; nisi per Indulgẽtias, aut per Purgatorium satisfacere maluerit.

Vltima dubit. Vtrum vnus possit pro alio satisfacere? 14

Ad hoc respondendum est primò, quòd vnus potest pro alio satisfacere. Et hoc est de fide: Nam in Symbolo est articulus, qui dicitur Communio sanctorum: Et aliter necessariò tollerentur Indulgentiæ; Quia quando aliquis sibi applicat Indulgentias, verum est dicere, quòd Christus, & Sancti pro illo satisfecerunt; Vndè D. Paul. in 1. ad Ephes. cap. 5. Adimpleo, inquit, ea, quę desunt passionum Christi in vobis; idest, satisfacio pro vobis, sicut & Christus pro vobis satisfecit. Vbi aduertendum est, quòd verbũ, adimpleo, non ponitur ibi, quasi passiones Christi non fuerint sufficientes ad tollendã nostram pœnam, sunt enim infinitæ satisfactionis; sicut & fuerunt infiniti meriti; & propterea sufficerent ad tollendas pœnas infinitorum peccatorũ: sed quoniam satisfactio Christi licet fuerit infinita, applicatur tamen nobis finito modo, & propterea si illi parti satisfactionis Christi, quæ applicatur nobis, addatur etiam aliqua pars satisfactionum D. Pauli, aut alterius Sancti, cumulatior fit satisfactio.

Secundò, vt dubitationi magis satisfiat distinguendum est de operibus satisfactorijs; Quòd vel non sunt iniuncta à confessario; & per illa potest vnus pro alio satisfacere; vel sunt iniuncta à confessario; & hæc vel sunt iniuncta ad tollendam pœnam; vel vt medicina, idest ad præseruandum hominem à peccatis. Si primum, vnus potest pro alio satisfacere, modò ambo sint in charitate, & gratia. Si verò secundum non potest vnus pro alio satisfacere, quia ieiunium Petri non castigat meam concupiscentiam; & cili-

cium

cium Petri non mortificat meam carnem.

15 Sed dicet quis, poteſtne vnus ſimul ſatisfacere pro ſe, & pro alio? Vt impoſuit mihi confeſſarius vt recitem coronam, & tibi pariter id præcepit; ſatisfaciamne ſi recitem coronam ſemel pro te, & pro me? Reſp. Affirmatiuè: ſed pro dimidia parte; ita tu tenearis ad dimidiam coronam; & ego ad aliã dimidiam. Ita dicunt omnes Doctores; licet in ſum. Angelica, vt refert Sylu. in ſum. ver. Satisfactio. §. 4. ſit cõtrarium; ideſt quòd vnica recitatione poſſim ſatisfacere, & pro me, & pro te.

Demùm dicet quis. Vtrum ſemper quando aliquis adimplet pœnitentiam iniunctam à confeſſario in charitate 16 tollat totam pœnam peccatorũ? Reſp. quòd ſi pœnitentia eſt ſufficiens, & correſpondens pœnæ tollitur tota pœna; ſed ſi confeſſarius non dedit ſufficientem pœnitentiam non tollitur tota pœna: Quare, inquit Caiet. ver. ſatisfactio, errant illi, qui nulla iuſta cauſa dant paruas pœnitentias. Quòd ſi dicant: Damus paruas pœnitentias, quia pœnitentes ſua ſponte poſſunt deindè magnas facere. Reſp. Caietanus, quòd hoc eſt ſapere pluſquàm oportet ſapere; & quòd pœnitentiæ, quas ſua ſpontè faciunt, non ſunt ita ſatisfactoriæ; ſicuti pœnitentiæ à Confeſſario iniunctæ; iſtæ enim ſunt pars ſacramenti, & proindè ſatisfaciunt nõ ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operate: Illæ verò tantùm valent ex opere operantis quatenus ſcilicet proficiſcũtur ex deuotione pœnitentis: Quare, maioris ſatisfactionis erit pſalterium ex impoſitione confeſſarij recitatum ſemel, quàm fortaſſis ſi bis ſponte recitetur.

CAPVT VNDECIMVM.

De ſuſcipientibus ſacramentum Pœnitentiæ.

1 *Aetas obligata ad ſacramentum pœnitentiæ.*
2 *Confeſſio quando iteranda.*
3 *Primus caſus propter excommunicationem.*
4 *Secundus ex defectu contritionis.*
5 *Tertius ex parte confeſſionis.*
6 *Quartus ex defectu ſatiſfactionis.*
7 *Quint⁹ ex defectu Iuriſdictionis.*
8 *Sextus ex defectu ſcientiæ in miniſtro.*
9 *Septimus ex defectu intentionis.*

IN hoc capite de ſuſcipientibus ſacramentũ Pœnitentiæ pauca dicẽda ſunt, quoniã ſatis fusè in c. 9. antecedenti dictũ fuit de cõditionibus, quas debet habere pœnitẽs, vt rectè, & ſanctè confiteatur: ſed vt hæc pars de ſacramento Pœnitentiæ ſit omnibus numeris perfecta, duo hic quærentur de ſuſcipiente ſacramentum Pœnitentiæ; de quibus antea expreſsè nõ fuit facta mentio; quorum primus eſt. Qua in ætate homo incipiat teneri ad ſuſcipiendum ſacramentum Pœnitentiæ; alterũ eſt quando nam homo teneatur reiterare confeſſionem iterùm confitendo peccata, quæ confeſſus eſt.

1 Quæritur ergo primo, qua in ætate teneatur homo ſua peccata confiteri? Reſp. ſecundũ cõmunem Doctorũ opinionem, quòd homo tenetur confiteri ſub pœna peccati mortalis in illo anno, in quo incipit peccare mortaliter. Qui annus non poteſt eſſe, niſi poſtquã homo peruenit ad vſum rationis; impoſſibile, n. eſt, ꝙ quis peccet mort. niſi ſit capax vſus rationis. Qñ autẽ incipiat capacitas vſus rationis, nõ eſt æquale tempus in omnibus: Nam in aliquibus citius incipit: & hi ſunt perſpicacioris inge-

ingenij; in alijs tardius, & hi sunt magis obtusi ingenij. Communiter capacitas vsus rationis sufficiens ad peccandum incipit circa septennium, & propterea rectum consilium est in tali ætate assuescere pueros ad confessiones; quibus tamen non est semper danda absolutio; quia fieri potest, Quòd mala, quæ confitentur, non sint peccata; & absolutio non debet dari sine sufficienti materia; & in hoc confessarius debet esse prudens. Quòd si adueniente vsu rationis non committitur peccatum ab aliquo ex aliquo speciali Dei priuilegio, talis non tenetur confiteri; nec potest. Si verò quis commiserit peccata venialia, & nõ mortalia, talis potest confiteri si vult, sed nõ tenebitur.

2 Quæritur secundò, quibus in casib⁹ quis teneatur iterare confessionem? Resp. quòd summistæ enumerant septẽ casus, in quibus homo tenetur reiterare confessionem; ex quibus quatuor sunt propter aliquem defectum pœnitentis, scilicet habilitatis, quia forsitan erat excommunicatus; contritionis, quia forsitan confessus est sine vllo dolore peccatorum; confessionis; quia forsitan non fuit integra per se; & satisfactionis, quia non adimpleuit pœnitentiam sibi à confessario impositã. Et tres alij se tenent ex parte confessarij; quia in eo fuit defectus potestatis; vel intentionis; vel scientiæ; quia videlicet vel non potuit, vel voluit, vel nesciuit absoluere pœnitentem: Et de his septem casibus in hoc quæsito est singillatim differendum.

3 Primus casus est, quando pœnitens erat excommunicatus excommunicatione maiori, vel minori; & cùm tali excõmunicatione absolutus fuit à peccatis; excommunicatio enim maior priuat hominem à participatione actiua, & passiua Sacramentorum; minor verò à participatione passiua sacramẽtorum. Caiet. in sum. ver. Confessio sacramentalis: & Nau. in Man. cap. 9. nu. 3. existimarunt, excommunicatum nõ teneri repetere peccata, à quibus fuit absolutus dùm esset in excommunicatione; licet peccauerit mortaliter petendo absolutionem à peccatis ante absolutionem ab excommunicatione. Et ratio eorum est, quia sicuti nõ tenetur excommunicatus, qui confirmatur, vel ordinatur, aut aliud recipit sacramentum, iterùm confirmari, aut ordinari, &c. post absolutionem ab excommunicatione; licet peccauerit sic recipiẽdo illa sacramenta: ita & in confessione. Ego dicerem Caietanum errare: Et ratio est. Quoniam talis peccabat mortaliter, & propterea eius confessio nõ erat integra cùm non confiteretur peccatum, quod tunc faciebat; & si confitebatur illud, adhuc confessio nõ erat valida, quia non erat cum sufficienti attritione; nam deerat propositũ non peccandi cùm tunc peccaret ob hanc rationem. Igitur dicendum est; nullum excommunicatum posse absolui sacramentaliter à peccatis, antequam absoluatur ab excommunicatione si scienter cum excommunicatione confitetur: Secus tamen esset in illo, qui ignorantia inuincibili nesciret se esse excommunicatum; talis enim si prius absoluitur à peccatis ignorans excommunicationem, & post absolutionem aduertit se esse excommunicatum, non tenebitur iterum confiteri peccata; sed sufficiet vt absoluatur ab excommunicatione.

4 Secundus casus, in quo homo tenetur reiterare confessionem, est ex defectu contritionis, seu sufficientis attritionis: cùm enim aliquis absque contritione, aut sufficienti attritione sua peccata Sacerdoti confitetur, & ab illis absoluitur, non verè absoluitur, neque suscipit sacramentum Pœnitentiæ: quoniam deest illi dolor necessarius, sine quo sacramentum Pœnitentiæ consistere minimè potest, vt supra cap. 8. & 9. fusè probatum est. Vndè talis de-

bet

bet necessariò confessionem iterare. Notandum autem hic est ex Caiet. in sum. ver. Casuum reseruatio. Quòd si aliquis confessus est aliquos casus reseruatos Episcopo, vel Sum. Pontifici, alicui Sacerdoti habenti facultatē absoluendi ab illis, talis si confessus est sine contritione, aut sufficienti attritione illi Sacerdoti, non tenebitur iterùm reiterare eam confessionem coram eodem Sacerdote, aut coram alio habente facultatem absoluendi ab ijsdem casibus; sed poterit eosdem casus cū alijs peccatis confiteri non habenti facultatem absoluendi a reseruatis, qui tamē sit Confessarius, & possit à non reseruatis absoluere. Quia illi casus, qui erant reseruati post dictam absolutionem factam ab eo, qui habebat auctoritatem absoluendi à reseruatis non sunt amplius reseruati. Et ratio Caietani est, quia ex quo semel beneficiū absolutionis concessum & executioni mandatum est legitime in foro Ecclesiæ, rationabile est, vt non amplius pro reseruatis habeantur: quia semel cognita, & iudicata fuerunt ante illud tribunal, cui erant reseruata. Idem dicit Nau. in Man. & idem dicendum est et si confessio non fuisset integra per se, vel defectuosa aliqua alia ratione.

5 Tertius casus, in quo quis tenetur repetere confessionem est propter defectum ipsiusmet confessionis quando videlicet non fuit integra, vel ex malitia, vel ex verecundia, vel ex ignorantia non tamen inuincibili, vel ex hypochrisi, vel ex negligentia, quia noluit pœnitens examinare cōscientiam suā, quantùm sufficiebat. Et hoc tàm ex parte ipsius pœnitentis, quia propter vnam ex dictis caussis non dixit omnia peccata cum circumstantijs necessarijs, vel ita obscure dixit, vt non intelligeretur à Confessario; quàm ex parte ipsiusmet confessarij, quia confessarius non audierit omnia peccata, quia fortasse dormitabat, & hoc pęnitens animaduertebat. Secus esset si confessio esset dimidiata per accidens, idest propter aliquam iustam caussam, vt quando aliquis per diligentem considerationem, & conscientiæ examinationem ex defectu memorię non recordatur alicuius peccati: vel quia tacuit aliquod peccatum ne aliquem infamaret, aut ne daret confessario occasionem peccandi, vel propter aliam iustā caussam, de quibus in capite 9. suſè diximus. Et in tali casu non tenetur pęnitens reiterare confessionem, sed tātùm tenebitur dicere illud peccatum, quod in alia confessione iusta de caussa tacuerat, si tamen non remanet eadem caussa.

Sed dices, si quis confessus est aliqđ peccatum sine circumstantia mutante speciem propter defectum memoriæ, tenebiturne iterùm confiteri peccatū cum sua circumstantia: an verò sufficiet confiteri solam circumstantiam? Vt aliquis iurauit nolle fornicari, & post iuramentum fornicatur, & deinde confitetur fornicationem; sed tacuit quòd fuerit contra iuramentum, quia ex defectu memoriæ nō recordabatur iuramenti; sufficiétne si in alia confessione dicat se semel fecisse contra iuramentum; & quòd hoc alias non fuit confessus propter defectum memoriæ? Nau. in Man. cap. 6. nu. 20. dicit, quòd sufficiet confiteri circumstantiam modo dicto, & hoc verissimum credo.

6 Quartus casus in quo quis tenetur repetere confessionem, prout referunt Summistę, est propter defectum satisfactionis impositæ a confessario: Argumentātur enim hoc modo aliqui Summistæ. Tenetur homo reiterare confessionem, propter defectum contritionis, quæ est pars integralis sacramenti Pęnitentiæ; & propter defectum confessionis ipsiusmet, quæ est pars integralis Pœnitentiæ, ergo & tenebitur reiterare Confessionem propter defectum satisfactionis: quæ etiam est

pars

pars integralis sacramenti Pœnitētiæ? Sed hic quartus casus, meo iudicio, nō est cum aliis connumerandus. Primò, quia pœnitens non tenetur acceptare pœnitentiam, vt supra diximus, & si tenebatur acceptare, & noluit acceptare, tenebitur quidem reiterare confessionem, sed propter defectum contritionis. Quia si pœnitens credebat se teneri ad acceptandam pœnitentiam, & noluit eam acceptare, tunc nō erat contritus, quia habebat animum peccandi. Si autem pœnitentiam acceptauit, sed eam non adimpleuit dico secūdò, quòd nec propter hoc tenebitur reiterare confessionem. Primò, quia absolutio fuit bona cùm iste haberet animum satisfaciendi; absolutio verò, quæ semel fuit bona, numquam potest vitiari per aliquod sequens. Secundò, si aliquis non adimpleuit pœnitentiā, vel id fuit ex contemptu, vel ex negligentia, & tunc sufficiet confiteri talem contemptum, vel negligentiam, & nuper satisfacere si potest. Vel non adimpleuit pœnitentiam, quia non potuit, & tunc neque peccauit. Vel non adimpleuit pœnitentiam, quia eius est oblitus, & tunc inquit Caiet. in summ. ver. satisfactio, sufficiet si satisfaciat quantùm ad æstimationē; puta si probabiliter existimat pœnitentiam iniūctam non posse esse plus quàm recitatio septem Psalmorum sufficiet recitādo decem. Et si pœnitentia fuit circa ieiunium, & probabiliter credit esse tres, vel quatuor dies impositos pro pœnitentia ieiunet per septem dies. Et si nulla ratione potest excogitare quænam, aut qualis fuerit pœnitentia, poterit satisfacere per Indulgentias, per alia opera satisfactoria, & per Purgatorium. Et si voluerit iterùm confiteri peccata poterit quidem illa confiteri, vt confessarius cognita eorum quantitate, & grauitate nouā imponat pœnitentiam, loco pœnitentiæ, cuius est oblitus: non autem vt ab illis iterùm necessariò absoluatur.

Atque ex his patet quòd hic quartus casus non est connumerandus inter alios, nisi fortè intelligatur vltimo modò, idest vt noua imponatur pœnitentia.

Quintus casus, in quo quis tenetur reiterare confessionē, est defectus potestatis in ministro; cùm enim pœnitens cognouerit, illum, cui confessus est, non habuisse potestatem absoluendi tenebitur reiterare confessionem.

Notandum autem hic est, Duplicem esse potestatem, quæ necessariò requiritur ad absoluendum à peccatis in ministro sacramenti Pœnitentiæ; alterā, quæ dicitur potestas ordinis, quæ est character sacerdotij; est enim character sacerdotij potestas quædam circa corpus Christi verum, idest consecrandi, & conficiendi Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum; & circa corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, idest absoluendi; & talis potestas necessariò requiritur ad absoluēdum de iure diuino, quia sicut de iure diuino solus sacerdos potest cōficere sanctiss. Eucharistiam; ita, & de iure diuino solus sacerdos potest absoluere à peccatis, & ministrare sacramentum Pœnitentiæ. Cùm ergo cognouerit pœnitens confessarium suum tunc quando eum absoluit non habuisse characterē sacerdotij, idest non fuisse sacerdotē, tenebitur reiterare illam confessionē. Altera potestas dicitur iurisdictionis, quæ & ipsa requiritur ad absolutionē à peccatis, & quæ duplex est; alia, quæ dicitur ordinaria, & alia, quæ dicitur delegata; ordinaria est illa, quæ datur per titulum, cui est annexa cura animarum, vt per titulum Papatus, per titulum Episcopatus, & per titulū alicuius Parochiæ, Nam Papa in vniuerso mundo, Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus in sua parochia dicuntur habere potestatem ordinariam; quia titulo papatus est annexa cura animarum

totius

totius mũdi; titulo Episcopatus est annexa cura animarum illius Episcopatus; & titulo Beneficij parochialis est annexa cura animarũ illius Parochiæ. Potestas verò iurisdictionis delegata est in illis, qui non habent curam animarum, sed habent facultaté absoluendi ab eo, qui ex titulo habet curam animarum, vt sunt religiosi claustrales,& alij sacerdotes confessarij, qui habent potestaté ministrandi sacramentũ Pœnitentiæ à Sum. Pôtifice, vel ab aliquo Episcopo, vel à Parocho: quando igitur quis confitetur sua peccata alicui habenti quidem characterem sacerdotalem, sed non habenti potestatem iurisdictionis, ordinariam vel delegatã tenebitur iterum cõfiteri sua peccata, quando sciuerit prædictum confessarium, tunc non habuisse talem iurisdictionem.

Sed dicet aliquis. Ego confessus sum peccata mea vni Sacerdoti, qui impetrauerat Beneficiũ Parochiç nostræ ab Episcopo nostro; sed deinde talis fuit declaratus nõ Parochus, quia ad Sum. Pontificé,& non ad Episcopũ pertinebat collatio talis Beneficij, teneorne iterũ confiteri? Ad hoc resp. cũ Nau. in Man. cap. 9. num. 8. & Caiet. in sum. verb. Confessio iteranda. Quòd ad absoluendum cũ potestate Ordinis sufficit titulus, cui est annexa Cura animarũ siuè sit bonus, siuè non; modò talis titulus non sit amissus. Quare ego non tenebor confiteri peccata, quæ confessus sum sacerdoti dicto, si illi cõfessus sum antequàm amitteret suum falsum titulum. Et ait Caiet. loc. cita. quòd gesta tenent ratione publici officij propter communem errorem facti cum titulo.

8 Sextus casus, in quo quis tenetur reiterare confessionem est propter defectum confessarij, quantùm ad scientiam quia forsitan nesciuit proferre formam absolutionis, vel nesciuit iudicare inter peccata, quæ nam essent mortalia, & quæ venialia, saltem in communioribus peccatis; nam de omni peccato scire discernere, an sit mortale, an veniale est tantùm peritissimi hominis, qualis non reperietur in mundo.

9 Vltimus casus est propter defectum voluntatis, seu intentionis absoluendi in Sacerdote. Si enim quis posset scire suum confessarium non habuisse intentionem, nec actualem, nec virtualem absoluendi tenebitur iterũ confiteri sua peccata.

CAP. XII.

De ministro sacramenti Pœnitentiæ.

1 *Qualis minister pœnitentiæ.*
2 *Quæ potestas in ministro.*
3 *In necessitate Cõmunionis an quilibet sit minister pœnitentiæ.*
4 *Quis in casu libertatis.*
5 *Quis ratione facultatis.*
6 *Quis ex licentia.*
7 *Curatus teneaturne licentiam dare suo subdito cuilibet confitendi.*
8 *An possit hanc licentiam dare.*
9 *An Curatus possit alium Curatum subdelegare ad audiendam confessionem sui subditi.*
10 *Quid in Iubilæo.*
11 *Quid de peregrinis.*
12 *Ex consuetudine possitne eligi Curatus non proprius.*

1 DE ministro sacramenti Pœnitentiæ dicunt Doctores, quòd vt rectè munere suo fungi possit, debet habere quinque conditiones. Videlicet potestatem, scientiam, bonitatem, prudentiam, & sigillum, de quibus conditionibus singillatim est disserendum.

De potestate Confessarij.

2 IN ministro sacramenti Pœnitentiæ certum est, quòd requiritur potestas ordinis, & iurisdictionis. Sed hic quæritur. Vtrum quis aliquando possit absolui ab eo, qui non habet iurisdictionem, vel qui non est proprius Parochus, aut proprius Sacerdos. Resp. negatiuè habetur enim in cap. Omnis vtriusque sexus De pœnitent. & remiss. Quòd vnusquisque debet confiteri ꝓprio Sacerdoti, vbi per proprium Sacerdotem intelligunt omnes proprium Parochum, vel proprium Episcopum, vel Papam, aut alium, qui ab vno ex his habeat facultatem. Excipiuntur tamen nonnulli casus, in quibus videtur quòd quis possit confiteri nō proprio Sacerdoti; & hi sunt ratione necessitatis, libertatis, facultatis, licentiæ, & consuetudinis.

Primus casus per necessitatem; & per necessitatem intelligunt DD. necessitatem mortis. Quando enim aliquis est proximus morti, & non habet copiam proprij confessarij, aut alterius delegati, potest cuilibet Sacerdoti confiteri, & ab illo absolui. Et Nauarr. in Man. dicit id euenire, quia in casu mortis vnusquisque sacerdos dicitur proprius, nam in tali casu, inquit ipse ca. 9. num. 1. & 2. Man. vnusquisque Sacerdos habet potestatem iurisdictionis habitualem. Aliqui alij dicunt id euenire, quia in tali casu Sum. Pontifex tacitè omnibus Sacerdotibus dat iurisdictionem absoluendi. Reliqui demum dicunt id euenire, quia in tali casu sufficit potestas ordinis; sed quicquid sit de his opinionibus sufficit nobis scire, quòd in casu mortis vnusquisq; Sacerdos potest absoluere.

3 Quòd si quæras. Vtrum etiam in necessitate communionis aliquis non habens copiam proprij Sacerdotis possit alteri Sacerdoti confiteri, vt sit aliquis Sacerdos Parochus, qui debeat celebrare, quia est dies festus, & non est alius, qui celebret, vel quia est danda Sanctissima Eucharistia infirmo morituro, nec datur hostia consecrata, & dictus Parochus commisit pecc. mort. quod non est aliàs confessus, nec habet copiam proprij Sacerdotis, idest Sacerdotis habentis facultatem absoluendi alios sacerdotes à peccatis? De hoc quæritur vtrum possit absolui ab illo peccato à quolibet sacerdote? Respond. quòd non potest talis sacerdos absolui ab illo peccato ab alio sacerdote, quàm ab vno ex deputatis ad audiendam illius confessionem, quia necessitas communicandi non habet hoc priuilegiū, quod habet necessitas mortis. Ita Caiet. in Sum. ver. absolutio pœnit. & omnes DD. & ita Conc. Trid. sess. 13. & nos supra fusius id diximus in parte præcedenti. Sed in tali casu debet Sacerdos Curatus cum maximo dolore, & tremore procurando perfectam contritionem celebrare cum animo deinde confitendi suum peccatum sacerdoti habenti facultatem absoluēdi eum à tali peccato.

4 Secunda caussa, ob quam aliquis nō proprius cōfessarius potest absoluere, est libertas, de qua Caiet. loc. cit. affert tres casus. Quorum primus est quando ille, qui confitetur habet solùm peccata venialia. Et ratio Caiet. est, quia sicuti nullus tenetur confiteri peccata venialia, ita nullus tenetur petere absolutionem ab illis à proprio sacerdote. Ita vt dicit Nau. in Man. c. 4. nu. 2. & Dom. Sot. in 4. d. 19.

Secundus casus est quando ille, qui vult confiteri est vagabundus, nec habet proprium domicilliū in aliqua parochia; talis enim poterit confiteri in ea Parochia, in qua reperitur quando vult confiteri, non tamen à quolibet Sacerdote, sed à Parocho illius Parochiæ, vel ab alio, qui habeat facultatem

tem audiendi confessiones illorum, qui sunt in ea Parochia. Vndè non est tanta libertas in vagabūdo si habet pecc. mort. eligendi Confessarium, quanta est in illo, qui habet tantum veniale, quia ille, qui habet tantum veniale, potest absolui à quolibet sacerdote; vagabundus verò si habet mortale potest quidem absolui in qualibet Parochia, sed tantum à Confessario eorum, qui sunt in illa Parochia; non autem ab alijs sacerdotibus, qui non habent facultatem audiendi confessiones ordinariam, vel delegatam.

Tertius casus est, quando Papa vult ipse confiteri. Papa enim à quolibet sacerdote potest absolui, quia quando Papa eligit sacerdotem, vt audiat suā confessionem, tacitè tribuit illi facultatem, qua possit absolui ab eo. Et ex his patet, quòd in 2. & 3. casu ad absoluendum requiritur aliqua iurisdictio.

5 Tertia caussa, ob quam quis confiteri possit Sacerdoti non proprio, est facultas: quādo videlicet per aliquod confessionale habet potestatem à Sum. Pontifice, vel à proprio Episcopo, vt possit sibi eligere quemlibet sacerdotē pro confessario; & in tali casu confessarius non dicitur absoluere sine iurisdictione; nam pœnitens per facultatē, quam habet, attribuit illi iurisdictionem; seu potius Papa, vel Episcopus per pœnitentem.

6 Quarta caussa est licentia: quando videlicet Curatus dat licentiam alicui ex sua Parochia, vt alteri confiteatur, & quando Sum. Pontifex in bullis Indulgentiarum concedit fidelibus, vt possint eligere quemlibet Confessarium, qui eos à casibus Apostolicæ sedi reseruatis, & à censuris absoluat. Sed hic sunt nonnullæ dubitationes.

7 Prima dubit. Vtrum aliquando Curatus teneatur dare licentiam alicui ex sua Parochia, vt alteri confiteatur? Resp. affirmatiuè secundum communem DD. opinionem, quia aliquando legitimis de caussis non est bonum, vt aliquis proprio sacerdoti confiteatur, vt si esset domesticus ipsius, vel si haberet aliquem casum, quem non posset tutè confiteri ipsi proprio sacerdoti; Et propterea dicunt DD. quòd faciles debent esse Parochi in concedendis similibus licentijs.

8 Secunda dubit. an possit Parochus concedere sibi subdito, vt confiteatur cuilibet sacerdoti? Resp. quòd non. Sed tantùm potest concedere, vt confiteatur cuilibet sacerdoti ex approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones. Ita Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. & in Conc. Primo Prouinc. Mediol. excommunicatur ille, qui audit confessiones sine approbatione ab ordinario in scriptis nisi sit Parochus. & in Concil. Prouinc. Mediol. 4. declaratur, q; talis excommunicatio, quæ ponitur in primo Conc. Prouinc. censetur ipso facto lata.

9 Tertia dubit. An Curatus possit delegare alium Curatum alterius Parochiæ ad audiendas confessiones eorū, qui sunt propriæ Parochiæ? Resp. q; non, si Parochus delegandus non habet aliam facultatem, aut approbationem audiendi confessiones, quàm illā, quam habuit quādo examinatus est ad suum titulum. Et ratio huius est, quoniam Curatus quando pro sua Cura examinatur, nisi aliud dicatur, approbatur tantùm pro administratione suę Parochiæ, & nullus Curatus potest delegare alium sacerdotem ad audiendas confessiones suorum subditorum; quàm approbatum ab ordinario ad audiendas confessiones in genere, vel illorum subditorum; Et hoc idem determinatum est in Synodo Diœcesana 11. Mediolanensis Ecclesiæ.

Quarta dubit. an quando in Bullis Iubilæi conceditur facultas fidelibus, vt possint sibi eligere confessariū quēlibet ex approbatis ab ordinario, possit vigore illius Iubilæi aliquis alicuius

Parochiæ eligere sibi in Confessarium quemlibet Parochum, non? Respond. quòd non: quia in Bulla apertè habetur, quòd talis debet eligere vnum confessarium ex approbatis ab ordinario; sed non omnis Parochus est approbatus ab ordinario ad audiendas omniũ confessiones; nec videtur probabile; quòd Sum. Pontifex velit concedere, vt Curatus, qui vix toleratur in Parochia aliqua simplicium subditorum, & examinatus non potuit admitti propter ignorantiam ad audiendas confessiones in Parochia aliqua mercatorũ per Iubilæum audiat confessiones ipsorum mercatorum, & aliorum hominum in Ciuitate, cùm iudicatum sit ab examinatoribus talem non esse habilem ad audiendas confessiones in Ciuitate; sed tantùm aliquorum simpliciũ hominum degentium in aliqua Villa parua. Quòd si dicas quid ergo concedit Iubilæum? Resp. quod confessarijs tantum attribuit maiorem facultatem quantum ad pietatem.

11 Vltima dubit. An Peregrinus, qui habet licentiam ab Episcopo peregrinandi possit confiteri extra suam Diœcesim? Resp. affirmatiuè, modò confiteatur alicui confessario, vt dictum est de vagabundo. Et huius rei duas affert rationes Caiet in sum. ver. Absolutio pœnitentialis, quarum prima est. Quia talis, qui habuit licentiam peregrinandi à suo Episcopo implicitè, & tacitè ab eodem habet licentiam recipiendi sacramenta extra suam Diœcesim. Altera ratio est, quia Eugen. 4. vt refert ipse Caietanus, viuæ vocis oraculo decreuit omnes peregrinos, & aduenas posse suscipere sacramenta à ministris sacramentorum illarum regionum, in quibus inueniuntur. Et dicit Caiet. loc. cit. se proprijs auribus audisse Sum. Pontificem constituentem tale decretum, & alijs in locis dicit se legisse tale Decretum.

12. Vltima caussa, propter quam videtur posse quem confiteri non proprio parocho est consuetudo; ait enim Caiet. in sum. ver. absolutio sacramentalis; quòd Cardinales ex consuetudine sunt Curati suæ familiæ, & propter talem consuetudinem possunt eligere pro sua familia quemcunque confessarium, seu Sacerdotem; sed in hoc casu non dicitur confessarius electus à Cardinali absoluere sine iurisdictione, censetur enim Cardinalis, si verum est, q̃d dicit Caietanus, habere potestatem à Sum. Pontifice attribuendi iurisdictionem cuilibet confessario pro sua familia.

Ex dictis infertur, quòd licet Caietanus describat quinque caussas, propter quas videtur quis posse sibi eligere alium confessarium, quàm propriũ; nullus tamen potest absoluere, nisi habeat potestatem ordinis, & iurisdictionis ordinariam, seu delegatam aliquo modo, nisi esset casus mortis, in quo etiam secundum aliquos DD. præter potestatem Ordinis requiritur iurisdictio, quam habet confessarius in tali casu iure diuino, vt dicit Armachanus in lib. 11. Armen. & Palud. in 4. dist. 17. quæst. 4. vel iure humano, vt ait Nauar. in Man. cap. quarto. num. primo, & secundo. & Dom. Sot. in 4. distinct. quæst. 4. artic. 2. quia tunc censetur Sum. Pontifex illam ibi tribuere; vel nisi sit casus quo pœnitens habet tãtùm peccata venialia. Et ratio huius est, inquit Sotus loc. cit. quoniam sicut non potest aliquis cogi ad confessionem venialium; ita ad eorum absolutionem non requiritur iurisdictio.

De

CAP. XIII.

De conditionibus ministri pœnitentiæ sigillatim.

1 *Scientia requisita in Confessario.*
2 *Bonitas in eodem.*
3 *Prudentia in confessionis initio.*
4 *In eiusdem progressu.*
5 *In fine Confessionis.*
6 *In absolutione.*
7 *Partes pœnitentis cum ministro.*
8 *Pænitentia quomodo iniungenda.*

De scientia confessarij.

1 SEcunda conditio, quæ requiritur in confessario est scientia, quæ debet esse quadruplex, vt inquit Caiet. in sum. Prima est discernendi leprã à lepra, i. peccatũ mortale à veniali. Secũda est excommunicationum, & censurarum: necesse. n. est, vt confessarius sciat quo in casu, vel ꝓpter quod peccatum quis incurrat in excommunicationem, & quænam excommunicatio sit Papalis, & quæ Episcopalis, vt possit cognoscere, an pœnitens possit ab illo absolui. Tertia scientia est casuũ, in quibus quis tenetur ad restitutionẽ. Quarta scientia est casuum reseruatorum Episcopo, & hanc scientiam debet habere confessarius si nõ habet auctoritatem absoluendi à reseruatis. Et inquit Caiet. quòd sine hac quadruplici scientia audire confessionem est peccatum mortale; Intelligitur tamen nõ quòd de omni casu sciat iudicare confessarius an sit mortalis, an venialis; an sit illi annexa excõmunicatio, necne; sed saltem de communioribus casibus, de alijs verò ait Caiet. sufficit vt sciat dubitare, vt possit consulere libros, vel homines peritos. Et notandũ est, ꝙ scientia pœnitẽtis potest supplere defectum scientiæ Confessarij: vnde si confessarius sit ignorans, modò habeat potestatem absoluendi confessio poterit esse sacramentalis quãdo scientia pœnitentis potest supplere, & ita tenent omnes DD.

De bonitate Confessarij.

2 TErtia conditio, quæ in confessario requiritur, est bonitas, quæ saltẽ hæc esse debet, vt non sit cõscius peccati mortalis; est.n. peccatũ mortale in cõscientia peccati mortalis suscipere, aut ministrare aliquod sacramẽtũ, vt probatũ fuit in 1. P. istius Tract. Vnde confessarius si commisit aliquod peccatum mortale, de quo non fuerit contritus, debet omninò de eo procurare cõtritionẽ antequam accedat ad audiendas confessiones. Et bonũ esset si prius ipse cõfiterẽ si haberet copiã Cõfessarij, & per tempus liceret: Hoc tamen non est necessarium: quia ad ministranda, & recipienda sacramenta, vt dictum est in 1. P. citata, post pecc. mort. sufficit contritio ad euitandum nouũ peccatũ, præterquã ad sumendã sanctiss. Eucharistiam, vt dictum est in 4. Par. vbi de sanctiss. Eucharistia. Et in hac 5. vbi de conditione confessionis, quæ est frequens, egimus. Debet igitur Confessarius examinare suam conscientiam antequam accedat ad audiendas confessiones. Et si videtur conscius peccati mortalis; debet illud prius detestari ne sacrilegium cõmittat tractando sancta immundo corde.

3 Quòd si dicas, si pęnitens existimaret confessarium esse in pecc. mort. vel sciret esse excommunicatum, posset ne tuta conscientia ab illo sacramentum Pœnitentiæ petere? Ad hoc satis responsum est in 1. Par. istius Tract. vbi actum est de ministris sacramentorum nouæ legis.

De prudentia confessarij.

3 QVarta conditio quæ requiritur in confessario, est prudentia de qua prudentia quoniam versatur circa particularia nō potest descri bi certa regula a DD. Aliquando enim debet confessarius circa eadem peccata contraria facere, idest se ostendere rigorosum, & mitem; vt si meretrix est audienda, quæ per tres, vel quatuor annos non est confessa, debet confessarius se ostendere illi mitem, ne illam deterreat. Si verò fœmina, quæ videtur honesta, & quę videtur timere Deum, & magnifacere honorem mundi, confiteatur vnum fornicationis peccatum confessarius debet se ostendere illi rigorosum. Et sic de similibus. Tradunt tamen DD. nonnullas regulas generales.

Et primò debet esse prudens confessarius in principio confessionis, vt aduertat an pœnitens sit sibi subditus: nō enim æquum videtur prius audire totā confessionem, & deinde inquirere an pœnitens sit subditus. Neque potest, vt supra dictum est, vnus parochus absoluere à peccatis homines alterius Parochiæ, nisi habeat potestatem delegatam: quam crediderim eum habere circa homines vicinioris Parochiæ, quando Parochus vicinus est mortu⁹, vel est infirmus, vel absens, & citò non expectatur. Solent enim in tali casu Parochi viciniores gerere vices parochi defuncti, infirmi, aut absentis donec aliter prouisum sit ab Episcopo, seu eius Vicario. Et in hoc standum est consuetudini, vel statutis vniuscuiusque Diæcesis.

4 Secundò debet esse prudens confessarius in principio confessionis interrogando pęnitentem, an habeat aliquā censuram, à qua ipse non possit absoluere; & propter quam pœnitens non possit absolui a peccatis nisi prius ab ea absoluatur, & hanc prudentiam debet habere confessarius quando verisimiliter dubitare potest, talem pœnitētem esse in tali censura.

Tertiò debet esse prudens confessarius in principio confessionis, vt videat, an pœnitens diligenter fecerit examinationem suæ conscientiæ pro ratione sui status, & pro ratione temporis transacti ab vltima confessione: Deindè debet dicere pœnitenti, vt confiteatur sua peccata eo meliori modo, quo potest.

Secundò debet esse prudens confessarius in progressu confessionis primo aduertendo, an pœnitens in progressu confessionis innuat aliquod peccatum reseruatum, à quo non possit absoluere, & si occurrat, quòd pœnitens confiteatur tale peccatum, debet Confessarius illum aduertere, quòd non perficiat confessionem, quia non poterit eum absoluere ab illo peccato, neque ab alijs si tali peccato esset annexa excommunicatio maior. Si tamen esset Parochus postquàm pœnitentem animaduertit, quòd non potest eum absoluere ab illo, vel ab alijs peccatis, deberet etiam alia peccata audire si tamen pœnitens est contentus non vt pœnitentem absoluat, sed vt melius cognoscat vultum pecoris sui.

Secundò debet esse prudens confessarius in progressu confessionis admonendo pęnitentem, vt clarius dicat si quid ita obscurè dixit, vt non potuerit intelligi; & vt afferat circumstantias mutantes speciē peccati, si de eis mentionem non fecit, & probabile est, q̃ sint aliquæ in eius peccatis.

Tertiò debet esse prudens confessarius, imò necessariò tenetur esse prudens in interrogando pœnitentem, si dubitat eum non dicere omnia sua peccata, vel propter verecundiam, vel propter ignorantiam, vel propter inconsiderationē, vel prpter aliam caussam non iustam, de qua causa dictum est

est in conditione, integra, supra cap. 3. alioquin peccaret mortaliter. Nau. in Man. cap. 5. num. 2. 3. & 4. dicit, quòd Confessarius in interrogando debet seruare tres regulas. Quarum prima est, vt non de omnibus omnes homines interroget, sed tantùm de ijs peccatis, quæ verisimile est à tali pœnitente esse commissa, vanum enim esset interrogare laicum, an recitauerit Horas canonicas? Secunda regula est, vt in peccatis venereis in interrogatione Confessarius non descendat nimis ad particularia propter periculum, & modestiam; sed habita specie, & probabili numero peccatorum debet ad alia transire; Tertia regula est, vt aduertat Confessarius, ne in interrogando doceat pœnitentem nouum modũ peccandi.

5 Tertiò debet esse prudens confessarius in vltimo confessionis postquam satis interrogauit, vel pœnitens integrè, & clarè sua peccata dixit in corrigendo peccatorem; non enim omnibus est similis facienda correctio; sed debet confessarius desperatum, & pusillanimem erigere, audacem verò acriter reprehendere, & reprimere si grauia confitetur peccata; aliquibus enim debet ostendere oleum misericordiæ diuinæ; alijs verò seueram Dei iustitiam.

Secundò debet esse prudens confessarius in animaduertendo, vtrum pœnitẽs habeat dolorem de peccatis, quę confessus est, & propositum euitandi similia, & alia peccata in futurum; & si hæc videtur non habere, vel nõ sufficienter, debet confessarius totis viribus conari, vt pœnitens doleat de peccatis; maximè propter amorem summi Dei; vel saltẽ propter pęnas inferni; & quoad primum, idest, vt doleat de peccatis propter amorem Dei poterit confessarius commemorare beneficia Dei ex creatione, gubernatione, redemptione, & cætera. Quoad secundum videlicet, vt doleat saltem ob pęnas inferni poterit Cõfessarius earum magnitudinem, & infinitatem ostendere.

6 Demùm debet esse prudens confessarius in absoluendo; non enim debet absoluere omnes pœnitentes, etiamsi possit eos absoluere. Primò, non debet illum absoluere, qui multoties cõfessus est idem peccatum etiam cũ proposito abstinendi, nisi prius facta experientia. Vt si quis confitetur ter vel quater quòd habuit commercium cũ vna meretrice, & semper proposuit abstinere, talis non est absoluendus statim; sed debet confessarius experiri ante absolutionem per vnum, vel duos menses, vel aliud tempus an velit abstinere.

Secundò non est absoluendus ille, qui non vult relinquere occasiones ꝓximas peccandi, etiamsi habeat animũ non peccandi amplius, vt si quis habet domi seruam quã cognouit, & semel, vel bis confessus est id, & promisit eam nõ amplius cognoscere postea iterùm id confitetur talis non est absoluẽdus, nisi prius seruam domo eijciat.

Tertiò non est absoluendus ille, qui tenetur restituere, & ter, aut quater ꝓmisit restituere aliquid, & tamen non restituit. Quare inquit Sotus, debet Confessarius, qui alias similium pęnitentum non audiuit Cõfessiones interrogare vtrum absoluti fuerint à similibus peccatis? Et si affirment se eos multoties absolutos fuisse non debet eos absoluere, sed eos remittere ad priores confessarios, vel per aliquod tempus experiri, an in effectu cessabunt à peccatis, vel restituent, & cætera.

7 Sed hic est magna dubitatio. Vtrum Pœnitentes teneantur respondere confessario interroganti, an aliàs fuerint absoluti à similibꝰ peccatis? Dom. Sot. in 4. dist. 18. q. 2. dicit, quòd tenentur respondere sub pœna peccati mortalis: quia sicuti infirmus, vt curetur à medi-

medicus debet dicere caussas suæ infirmitatis, & an multoties in similem infirmitatem inciderit, vt illi possint applicari conuenientia remedia: ita infirmus spiritualiter debet confiteri saltem interrogatus, an sæpè inciderit in eadem peccata, vt inde possit remediũ habere a confessario, qui est medicus spiritualis.

Quantùm autem ad imponendam pœnitentiam, debet esse prudens confessarius vt se regat iuxta regulas, quas supra tradidimus in cap. 10. & admonendo pœnitentem, quòd antiquitus pro vno peccato mortali dabatur pęnitentia septennis, & quòd si paruam acceptauerit pęnitentiam non satisfaciet pro tota pœna pro peccatis debita, sed necesse erit, vt per alia opera pęnalia, vel per Purgatorium, vel per Indulgentias tollat residuum pęnæ; & quòd bonum erit, vt in gratia pęnitentiam iniunctam adimpleat, quia alioquin non erit satisfactoria per peccatis, vt dictum est cap. 10. Et quòd melius est, vt maior illi, quam minor pęnitentia iniungatur, quia pęnitentia iniuncta a confessario est magis satisfactoria, quia est pars sacramenti Pęnitentiæ; quàm pęnitentia, quam sua sponte quis facit, vt supra dictum est.

CAPVT XIV.

De sigillo Confessionis.

1 *Sigilli nomine quid veniat.*
2 *Qui obligati sigillo.*
3 *Qualia obligata sigillo.*
4 *Sigilli fractio, quale peccatum.*
5 *Sigillum frangere num liceat aliquando.*
6 *Dictorum coronis, & multorum illatio.*
7 *Manifestatio peccatorum in genere an sit sigilli fractio.*
8 *Peccata vel indirectè manifestans facit contra sigillum.*
9 *Conditiones Confessarij quæ magis necessariæ.*

QVINTA conditio confessarij est sigillum confessionis. Est autem sigillum confessionis obligatio, quam aliquis habet ad non manifestandum directè, vel indirectè ea, quæ audiuit in cõfessione sacramẽtali. 1

Dixi sigillũ esse obligationem, quia ad sigillum confessionis obseruandum obligatur homo de iure naturali, diuino, & ecclesiastico, vt dicunt omnes DD. D. Th. Duran. Palud. Riccar. Scot. & Sot. in 4. sent. dist. 21. & Nauarr. in Man. & alij omnes.

Dixi, quam aliquis habet, & nõ quã habet confessarius; ad ostẽdendũ quòd non tantum confessarius, sed etiã omnis alius, qui audiuit pœnitentem confitentem peccata sua in confessione sacramentali tenetur ad sigillum confessionis. Quare si clericus, vel laicus, qui erat post confessionale, vel aliquo alio modo audiuit peccata pœnitentis confitentis sacramentaliter, tenetur ad idem sigillum confessionis, ad quod sacerdos. Et ille pariter, qui cùm non esset sacerdos finxit se esse sacerdotem, vt confessionem alicuius audiret. 2

Dixi, ad non manifestandum directè, vel indirectè. Quia non tantùm per viam directam, sed etiam per indirectam non licet manifestare audita in confessione sacramentali.

Dixi ea, quæ audiuit, quia non tantum tenetur sacerdos, aut alius, qui audiuit confessionem pœnitentis ad non manifestanda peccata, quæ audiuit in tali confessione, sed etiam tenetur ad non manifestanda ea, ex quibus potest deueniri in cognitionem alicuius peccati, de quo pęnitens est confessus, & etiam, vt inquit Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. tenetur cõfessarius, seu alius, 3

qui

qui audiuit confessionem sacramentalem ad non manifestandum alios defectus, quos audiuit in confessione, etiamsi non sint peccatum, vt sunt defectus naturæ, vt si aliquis in confessione intellexit aliquem esse spurium, qui existimatur legitimus, vel esse natum ex sordidis parentibus, qui existimabatur nobilis.

Dixi vltimo, in confessione sacramẽtali, quia licet teneamur non manifestare ea, quæ audiuimus sub sigillo secreti, non tamen ita stricto iure tenemur ad non manifestanda hæc, sicuti tenemur ad non manifestanda ea, quæ audiuimus in confessione sacramentali; nam quæ habemus sub sigilli secreto, aliquãdo possumus manifestare, vt si de eo interrogemur à Iudice competenti secundum ordinem iuris; & si nõ manifestare id, quod habeo sub sigillo secreti esset Reipub. perniciosum, quia eo modo tenemur non manifestare ea, quæ habemus sub sigillo secreti, quo tenemur non manifestare ea, quæ iurauimus non manifestare, sed ea, quæ iurauimus nõ manifestare, possumus, imò debemus manifestare quando interrogamur à Iudice competenti secundum ordinem Iuris, & quando non manifestando illa esset perniciosum Reipublicæ, seu in graue damnum alicuius. Ita dicendum est, & de sigillo secreti; sed ea, quæ audiuimus in confessione sacramentali, nulla ratione, nullo euentu, & nullo casu vmquam manifestanda sunt sine licentia pœnitentis saltem.

Item dixi, in confessione sacramentali, ad includendum omnem confessionem sacramentalem, quæ fit, vt aliquis à peccatis absoluatur, etiamsi non sequatur absolutio, eò quòd pœnitens vel nullum habeat dolorem de peccatis, vel non habeat propositum euitandi peccata, vel repertus sit excommunicatus, vel habuerit casum reseruatum, seu alia quauis de caussa.

4 Dico secundo, quòd ille, qui frangit sigillum confessionis, est sacrilegus, idest sacræ rei violator: Quia sacrares est confessio sacramentalis, & propterea qui frangit sigillum committit magnum sacrilegij peccatum. Et probatur diuersis rationibus à diuersis DD. D. Thom. in 4. distinct. 21. hac ratione probat magnum esse peccatum frangere sigillum confessionis sacramentalis. Deus, qui est offensus à peccatore, obliuiscitur peccatorum, quando peccator ea confitetur, & ab illis absoluitur, iuxta illud Psal. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: ergo multò magis illorum debet obliuisci Sacerdos, qui non est principalis caussa remissionis peccatorum, sed tantùm minister; & qui non fuit à peccatore per peccata offensus. & Riccar. 4o. distinct. 21. artic. 1. quæst. secunda, idem probat hac ratione. Mentiri est peccatum mortale quando est perniciosum, sed ille, qui dicit se scire id, quod audiuit in confessione, mentitur: quia ea, quæ audiuit in confessioue non audiuit vt homo, sed vt Deus, & ea, quæ sciuit in confessione non sciuit vt homo, sed vt Deus: ergo si diceret alicui post confessionem se audiuisse, vel sciuisse hoc, vel illud, mentiretur in perniciem pœnitentis; imò & confessionis sacramentalis: ergo mortalissimè peccaret. Sot. in 4. distinct. 18. quæst. 4. art. quinto, idem probat hac ratione. Ille, qui conatur demere sacramentum ab Ecclesia, mortalissimè peccat; sed ille, qui reuelat confessionem sacramentalem, quantùm in se est conatur demere ab Ecclesia sacramentum Pœnitentiæ, quod est necessarijssimum, igitur mortalissimè peccat. Quòd ille, qui reuelat confessionem, conetur

demere sacramentum Pœnitentiæ probatur, quia si fas esset reuelare peccata in confessione audita redderetur hominibus odiosissima confessio, ita vt paulatim se auerterent à confessione; & ita de medio tolleretur sacramentũ Pœnitentiæ.

5 Ex dictis infertur primo, quod nũquam datur caussa propter quam liceat reuelare confessionem, nisi sit de licentia pœnitentis. Quia si pœnitens potest dicere sua peccata, poterit etiã dare facultatem confessario, vt ea manifestet.

6 Et in particulari infertur secundo, quòd si Parochus sciret per confessionem inter duos, qui volunt contrahere matrimonium, esse impedimentũ, quòd nó posset manifestari ab ipso, nisi per reuelationem confessionis deberet Parochus illos in matrimoniũ coniungere potiusquam confessionem manifestare.

Infertur tertiò, quòd si Episcopus sciret per confessionem aliquem ordinandum esse irregularem, deberet potius eum ordinare, quàm confessioné manifestare.

Infertur quarto, quòd si quis in cófessione cognouisset aliquem Hæresiarcham in Ciuitatem suam aduenisse, & paulatim suam hæresim disseminare, ita vt periculum sit ne tota Ciuitas in hæresim labatur, nisi ab Episcopo, vel ab alio aliquo remedio occurratur, nó posit talis confessarius efficere, vt tanto morbo occurratur, & tanta pestis extinguatur per reuelationem confessionis. Quare potius debet pati, vt tota Ciuitas hæretica fiat, quàm confessionem reuelare. Posset tamen talis confessarius, vt dicunt DD. in generali dicere Episcopo, vt inuigilet Gregi suo, quia hoc non esset reuelare confessionem, maximè si confessarius plures audiuit in confessione, vel hũc tantùm, sed Episcopus nesciat eum hunc audiuisse.

Infertur quintò, quòd neque manifestandum est peccatum auditum in confessione, vt liberetur vir innocentissimus, & Reip. vtilissimus ab vltimo supplicio. Vt si esset accusatus de aliquo homicidio, quod verè non cómisisset, & confessarius cognouisset per confessionem eum, qui fuisset homicida: Puta si ipse homicida confessus esset eidem, non posset cófessarius per reuelationem confessionis, efficere vt Iudex veritatem cognosceret; & ita innocentissimus vir liberaretur; Imò neque posset confessarius se ipsũ liberare ab vltimo supplicio per reuelationem peccati auditi in confessione, vt si ipse esset accusatus de aliquo homicidio; & propterea esset etiam condemnatus, quod tamen homicidiũ verè non commisisset, & posset se liberare notificando homicidam, quem per confessionem cognouerat.

Infertur vltimo, quòd si in aliqua caupona esset sacerdos, qui haberet aliquam pecuniæ summã, & cum illo essent nonnulli alij, qui secretò conspirassent in vitam ipsius sacerdotis, vt pecuniam furarentur, & vnus ex illis casu eueniret in periculum mortis, & propterea confiteretur & cum alijs peccatis conspirationem, quam cum alijs fecerat in ipsummet Confessarium, & audisset sacerdos alium dicentem, certè videbitis, quòd sacerdos hodiè non reuertetur, quia socius noster, qui modò mortuus est fortassis manifestauit illi conspirationem, quã feceramus necandi illum; in tali inquam casu sacerdos si non potest alia via recedere, quàm cum periculo reuelationis confessionis, potius debet mori. Hunc casum ponit Riccar. & Sot. in 4. & Armil. in sum. ver. confessio. §. 12. Verum quidem est, quod rarò eueniet casus iste, in quo non posit Confessarius fingere caussam,

propter

propter quam non reuertatur, vel recedat; imò talis recessus de sua natura non prodit peccatum, vt dicit Armilla.

7 Dico tertiò, quod tunc manifestatur confessio secundum DD. quando in genere, vel in specie manifestatur, quòd aliquis confessus est peccatum mortale; non autem quando aliquis diceret. Iste confessus est sua peccata. Similiter frangeret sigillum confessionis, si quis in particulari manifestaret aliquod peccatum veniale auditum in confessione.

Atque ex his infertur primò, quòd si aliquis diceret. Iste confessus est nonnulla peccata mortalia, quæ ego nolo manifestare, quia nolo frangere sigillum confessionis, talis verè frangeret sigillum confessionis. Ita Caiet. in sum.ver.confessio.

Infertur secundò, quòd si quis diceret. Iste mihi confessus est tale homicidium, vel aliud peccatum in particulari, frangeret sigillum confessionis; & de hoc nulla est dubitatio.

Infertur tertiò, quòd si aliquis diceret. Iste confessus est mihi peccata venialia, talis non frangeret sigillum confessionis, vt dicunt omnes Doct. quia idem est dicere, ac iste confessus est; qui enim sacramentaliter confitetur, ad minimum peccata venialia confitetur.

Infertur vltimò, quòd si confessarius diceret, iste confessus est mendacium iocosum, frangeret sigillum confessionis, & peccaret mortaliter manifestando in particulari peccatum auditum in confessione. Ita Sot. in 4. d.18.q.4.ar.5. & Caiet. ver.confessor. & omnes Doctores.

Quòd si dicas, Infamare aliquem de peccato veniali est tantùm veniale: ergo si confessarius manifestat peccatũ veniale in particulari auditum in confessione peccat tantùm venialiter. Resp. quòd Confessarius manifestando peccatum veniale auditum in confessione non peccat mortaliter ratione infamationis; sed quia frangit sigillum confessionis, quod nõ potest frangi sine mortali peccato.

8 Dico quarto, quòd peccata mortalia in genere, vel in specie, & venialia in specie non sunt manifestanda, vt dictum est etiam indirectè. Vnde peccaret mortaliter, quia frangeret sigillum si quis in confessione audiret peccatũ, de quo dubitaret, an esset reseruatum; & antequã perficeretur confessio pertransiret aliquis doctus sacerdos surgeret, & diceret, Domine mi dic quæsò si aliquis committeret hoc peccatum, essetne excommunicatus? Vel tale peccatum estne reseruatum? nam iste confessarius efficeret, vt doctor veniret in suspicionem, quòd ille pœnitens, qui tunc erat ante confessarium, commisisset tale peccatum.

Dico vltimò, quòd frangit sigillum ille, qui manifestat peccata, vel defectus tertiæ personæ, idest alterius personæ, quæ confessa non sit, Cuius peccatum audiuit in confessione alicuius; Et ita dicunt omnes Doctores. Quare si aliquis cognosceret per confessionẽ alicuius aliquam mulierem esse meretricem, vel aliquem habere aliquẽ defectum naturalem, puta esse spurium, & id reuelaret, frangeret sigillum confessionis.

Sed dicet aliquis. Quinque conditiones Confessarij, quarum mentionẽ fecimus sunt ne necessariæ de necessitate sacramenti? Resp. quòd dari potest casus, quòd sola potestas ordinis erit necessaria, vt si ille, qui confitetur tantùm venialia; & si cõfessarius ignorat absolutionem pœnitens ipse docet quomodò absoluere debeat. Aliquando erit necessaria necessitate sacramenti potestas Ordinis, & iurisdictionis, sed non scientiæ, neque alia

ex conditionibus dictis: vt quando pœnitens ipse est prudens, & doctus, & confitetur peccata mortalia. Aliquando tertio erit necessaria cum potestate ordinis, & iurisdictionis scientia, vt quando ille, qui confitetur, est ignorans, & confitetur mortalia. Reliquæ verò tres conditiones non sunt necessariæ regulariter necessitate sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti. Atque hæc de hac parte.

PARS SEXTA DE EXTREMA VNCTIONE.

QVONIAM inter nouæ legis ſacramenta, quæ à Chriſto Domino ad ſalutem, & vtilitatem vniuſcuiuſque perſonæ in particulari inſtituta ſunt, extremum locum obtinet extremæ vnctionis Sacramentum: ideo poſtquam egimus de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, & Pœnitentia, recto ordine, ſequitur vt in extrema parte agamus de Extrema Vnctione: Nam de reliquis duobus ſacramentis, qui non ad ſalutem, & vtilitatem vniuſcuiuſque perſonæ in particulari tantum; ſed ad ſalutem, & vtilitatem totius Reipub. Chriſtianæ in communi inſtituta ſunt, in reliquis duabus partibus deinde agendum erit; ideſt de ordine, qui inſtitutus fuit ad paſcendum, regendum, & gubernandum Chriſtianum populum in vita ſpirituali: & de Matrimonio, quòd inſtitutum fuit ad procreandum eundem populum legitimè ſecundum carnem.

Vt autem in hac parte ſexta aliquo recto ordine procedamus, ſicuti & in alijs fecimus, diuidetur in ſeptem capita, in quorum primo agam de Sacramento Extremæ vnctionis ſecundum ſe. In ſecundo de eius materia. In tertio de eius forma. In quarto de effectibus. In quinto de eiuſdem miniſtro. In ſexto de ſuſcipientibus ſacramentum Extremæ Vnctionis. Et in vltimo de partibus corporis, quæ perungendæ ſunt, quando tale ſacramentum miniſtratur.

CAPVT PRIMVM.

De Sacramento Extremæ Vnctionis secundum se.

1 *Vnctio duplex.*
2 *Sacramentum vnctionis duplex.*
3 *Vnctio an sit sacramentum.*
4 *An sit vnum Sacramentum.*
5 *Quomodo vnum dicatur.*
6 *Sacramentum vnctionis à quo institutum.*
7 *Quando institutum.*

1 IN hoc cap. quęritur primo circa nomen vnctionis, quotuplex sit vnctio, & in qua significatione hic à nobis sumatur. Resp. quod duplex est vnctio, vt habetur in Rationali diuinorũ officiorum lib. 1. cap. 8.

Alia enim est vnctio interior, qua vngitur anima nostra, seu cor nostrũ interius oleo diuinæ gratiæ, & de hac vnctione multoties fit mentio in sacra scriptura, & hæc vnctio est communis effectus omniũ sacramentorũ: Alia est vnctio exterior, quæ est triplex, vt optime dicit Sylu. in sum. ver. vnctio extrema in principio: nam alia vnctio exterior est, quæ nec est sacramentale quid, nec sacramentum: Alia est quidem quid sacramentale, sed non sacramentum: Tertia est sacramentum. Primi generis est veluti vnctio, qua vnguntur Reges in armo, vel humero. Secundi generis est illa vnctio, quę ordinatur ad sacramentum, vt in pueris ante Baptismum est vnctio, quæ fit oleo cathecumenorum, quo vnguntur baptizandi in pectore, & inter scapulas, & vnctio chrismatis, qua vnguntur mox baptizati in vertice capitis; de quibus vnctionibus egimus in 2. p. huius tractatus, vbi de baptismo, & huiusmodi est etiam vnctio, qua vnguntur illi, qui ordinantur sacerdotes in manibus: prædictæ enim vnctiones duæ, quæ fiunt cum ministratur baptismus, & illa quæ fit dum ordinatur sacerdos non sunt sacramentum, sed sacramentalia quædam. Tertij verò generis vnctio, quæ est sacramentum & duplex est: Alia, qua vnguntur homines ab Episcopo, & hæc est sacramentum Confirmationis, de quo egimus in tertia par. istius Tract. Alia demum est vnctio, quę dicitur extrema, quę est quintum in ordine sacramentum, & dicitur extrema, quia in extremo vitæ tẽpore huiusmodi ministrari debet, & de hac tñ i hac parte agere intẽdim⁹.

2

3 Quæritur secundo, vtrum extrema vnctio sit verè sacramentum; & vnum ex sacramentis nouæ legis. Resp. Extremam vnctionem esse verum sacramẽtum, & vnum ex sacramentis nouæ legis, & hoc probauimus satis fusè in 1. parte istius Tractatus, cum egimus de numero omnium sacramentorum nouæ legis.

Secundò, in particulari probatur, quod extrema vnctio sit sacramentum hac ratione. Illud est sacramentum, quod est à Deo institutũ ad remittendum peccatũ, sed extrema vnctio est à Deo instituta ad remittenda peccata, ergo extrema vnctio est sacramentum: Probatur minor ex verbis D. Iacobi in sua canonica Epistola cap. 5. Infirmatur quis ex vobis inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. In quibus verbis inquit Nau. cap. 22. num. 13. apparet, quinam debeat suscipere sacramentum extremæ vnctionis; Quinam debeat esse minister, eiusque materia, & forma; Et qui sit effectus; Suscipiens enim sacramentum extremæ vnctionis debet esse infirmus, vt notatur illis verbis, Infirmatur quis ex vobis: Minister sacerdos Ecclesiæ esse debet, vt notatur ibi, Indu-

Inducat presbyteros ecclesiæ: Forma debent esse verba deprecatoria; & materia oleum, vt notatur ibi, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini: effectus verò est remissio peccati, si sunt peccata; & alleuiatio infirmitatis, si saluti spirituali expedit, vt notatur illis verbis, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei, de quibus omnibus infra suo loco agemus.

Tertiò probatur extremam vnctionem esse sacramentum ex determinatione Cōc. Flor. sub Eugenio 4. & Cōcil. Trid. sess. 14. can. 1. de extrema vnctione, vbi anathematizatur ille, qui negauerit extremam vnctionēm esse sacramentum, & ex his patet apertè Armenorum, & Lutheranorum opinionem negantem extremam vnctionem esse hæreticam.

4 Quæritur tertiò, vtrum extrema vnctio sit vnum tantū sacramentum, an plura. Videtur enim extremā vnctioné esse plura sacramenta, quia in ea apparent plures vnctiones, & proferuntur plures formæ, quę sunt inter se aliquantulum diuersæ: cum enim vnguntur oculi dicit sacerdos, per istam sanctam vnctionem &c. parcat tibi Deus quicquid per oculos peccasti; cum verò vnguntur aures, dicit, quicquid per auditum &c. Resp. ex D. Tho. in 4. dist. 23. artic. 3. quod vnum dicitur tripliciter: vno modo quod est indiuisibile, & hoc modo punctum dicitur vnum,

5 quia est ita vnum, vt in plures partes diuidi non possit: Secundò modo dicitur vnum per continuationem, & hoc modo linea dicitur vna secundum cōtinuationem, licet in plures partes diuidi possit. Tertiò modo vnum dicitur perfectione, & hoc modo domus dicitur vna, quia licet habeat plures partes inter se distinctas, concurrunt tñ ad vnam perfectionem ipsius domus. Extrema vnctio non est vnum sacramentum primo modo, quia constat rebus corporeis, quæ diuisibiles sunt; neque secundo modo, quia constat diuersis vnctionibus, & formis seorsim diuisis; sed est vnum sacramentum tertio modo, nam de ratione sacramenti est, quod sit signū, & significet ea, quæ per ipsum in anima fiunt: definitur. n. sacramentum signū rei sacrę, sed principalis effectus sacramenti extremę vnctionis, qui est tollere reliquias peccatorū nō potest perfectè significari per vnam vnctionem, & vnam formam, sed per plures, & ideo fit, quod si plures vnctiones simul vniantur, ex illis fiat perfecta significatio principalis effectus sacramenti extremæ vnctionis, vnctio. n. quæ fit in oculis, & hæc verba, per istam vnctionem &c. quicquid peccasti per visū parcat tibi Deus, nō perfectè significant totum principalē effectū sacramēti extremæ vnctionis, qui est auferre omnes peccatorū reliquias, sed significant tantum remotionem reliquiarū peccatorū, quæ cōmissa sunt per visum: & per aliā vnctionem, quæ fit in auribus, & hæc verba p istā vnctionē &c. significatur tantum pars effectus sacramenti extremæ vnctionis, id est ablatio reliquiarum peccatorū, quæ commissa sunt per sensus, auditus, & sic de alijs. Sed si simul vniantur omnes vnctiones conflabitur vnica perfecta significatio, & vnicum perfectum signum principalis effectus sacramenti extremæ vnctionis, & hæc significatio, seu signum est integrum sacramentum extremæ vnctionis. Quare vnica vnctio si seorsim ab alijs consideretur, non est sacramentum extremæ vnctionis, sed pars sacramenti, sed totum sacramentum extremæ vnctionis sunt omnes vnctiones cū suis formis, quæ faciunt vnicam perfectam significationem principalis effectus istius sacramenti, sicuti in quarta parte istius tractatus, etiam de sanctissima Eucharistia diximus, quod est

vnicum

vnicum sacramentum; licet habeat duas materias, & duas formas consecrationis distinctas, quia illæ duæ materiæ simul cócurrunt cum suis formis ad conficiendam vnicam tantum significationem principalis effectus sacramenti sanctissimæ Eucharistiæ, qui est nutrimêtum spirituale animæ nostrę, quod quia nó perfectè significatur per solum panem, aut per solum vinum: non enim homo in vita corporali cibo tantum nutritur; sed cibo, & potu simul: Ita ad significandam perfectam nutritionem spiritualem fuerunt necessariæ duæ materiæ in sanctissima Eucharistia, altera, quæ cibum, & altera, quæ potum significaret, & quæ vnitæ simul significarent ipsãmet nutritionem. Vnde fit, quod panis species sola non sit integrum sacramentũ etiam post consecrationem, etiam si contineatur sub ipsis id omne, quod cótinetur sub speciebus vini; sed & panis, & vini species post consecrationẽ sunt perfectum sacramentum, si simul considerentur, quia si seorsim considerentur sunt tantum pars signi effect⁹ sacramenti Eucharistiæ, & si simul cósiderentur sunt totum signum, quod est sacramentum Eucharistiæ.

Sed dices si verum esset, quod nunc diximus sequeretur, quod si post primam, vel alteram vnctionem moreretur Sacerdos ministrans sacramentũ extremæ vnctionis, aut discederet, sacramentum remaneret imperfectũ. Respondeo, quod si sacerdos moreretur, aut discederet post primam vnctionem, aut secundam; imò & post tertiam, & quartam sacramentum Extremæ vnctionis remaneret imperfectum, & ideo statim euocandus esset alius sacerdos, qui possit reliquas vnctiones adhibere, vt sacramentum, quod erat imperfectum, perficeretur sicuti antea diximus de Eucharistia, quod si moreretur sacerdos post consecrationem panis ante consecrationẽ vini euocãdus esset alius sacerdos, qui vinum consecraret, ne sacramentum remaneret imperfectum, & hac ratione possumus dicere vnicum sacramentum posse fieri a duobus ministris.

6 Quæritur quarto a quo fuerit institutum sacramentum Extremæ vnctionis. Hugo quem sequitur, & citat Magister sent. lib. 4. dist. 23. censuit Apostolos, vel solum D. Iacobum instituisse sacramentum Extremæ Vnctionis, & idem tenuit D. Bonauent. eadem dist. 23. art. 1. q. 2. Sed veritas est, quod ipse Christus instituit sacramentum Extremæ Vnctionis, sicuti & alia sacramenta, vt de fide esse probauimus in prima parte istius tractatus cum egimus de auctore, & institutore omnium sacramentorum nouę legis, vbi & diximus, quòd Christus nó cómunicauit hanc auctoritatem Apostolis, aut alijs hominibus constituendi sacramenta. Deinde probatur in particulari de Extrema Vnctione ex Conc. Trid. sess. 14. can. 1. de Extrem. Vnct. vbi anathematizantur illi, qui dixerunt Extremam Vnctionem non fuisse a Christo domino institutam. Probatur etiam tribus rationibus.

Primò, Sacramenta nouæ legis pertinent ad fundamentum nouæ legis, sed ponere fundamêta nouæ legis, pertinet tantum ad legislatorem, ergo ponere fundamenta, idest sacramenta nouæ legis pertinuit tantum ad Christũ, qui fuit legislator.

Secundò, Sacramenta sunt instrumenta gratiæ, sed constituere instrumenta, quibus datur gratia pertinet ad datorem gratiæ, ergo instituere sacramenta tantum pertinuit ad Christum, qui est dator gratiæ.

Tertiò probatur, quia sacramenta iustificant, & iustificatio pendet à passione Christi, ergo Christus instituit sacramenta.

Quod si dicas, si Christus instituisset omnia sacramenta, & consequenter

ter extremam vnctionem, certè de ea fieret mentio in Euangelio, sed nullibi in Euangelio fit mentio de Extrema vnctione. Resp. quod non omnia, quæ dixit, aut instituit Christus, sunt scripta in Euangelio, secus Euangelium fuisset volumen maximum, sed aliqua tantum scripserunt Euangelistæ, & de sacramentis tantum fecerunt mentionem illorum, quæ sunt necessaria, vt de Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, Matrimonio, Ordine. De Extrema vnctione verò, & de Confirmatione non scripserunt, quia non sunt sicuti alia sacramenta necessaria, sed tantum ad benè esse.

7 Quæritur vltimo, quando fuerit institutum sacramentum Extremæ Vnctionis. Respond. quod sicuti in Euangelio non fit mentio de Extrema vnctione, ita nec in eo fit mentio de tempore, in quo instituta est. satis est nobis scire, quod Christus illam instituit, dum visibiliter hic esset in terris: Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. insinuasse dicit Christum sacramentũ extremæ vnctionis Marci 6. quando misit discipulos in vniuersum mundum tribuens eis potestatem curandi infirmos. Sacramẽtale nostrum, vbi agit de extrema vnctione in principio, versiculo Hoc sacramentum, dicit, quod sacramentum extremæ vnctionis institutum fuit à Christo apud D. Marcum cap. cit. & à D. Iacobo c. 5. cit. sup. promulgatum. Atque hæc de primo capite.

CAPVT SECVNDVM.

De materia sacramenti Extremæ Vnctionis.

1 *Huius sacramenti qualis materia.*
2 *Cur oleum.*
3 *Quale oleum est hæc materia.*
4 *Cur non aliud quid communius.*
5 *Oleum debeat ne esse immixtum alij liquori.*
6 *Debeatnè esse consecratum necessario.*
7 *Consecratio à quo facienda.*

IN hoc cap. quæritur primò, quæ sit huius sacramenti materia. Resp. materiam extremę vnctionis esse oleũ, ita enim elicitur ex verbis D. Iacobi supra citatis, vngentes eum oleo, &c. & ita determinatum est in Conc. Flor. sub Eugen. 4. de vnione Armenorum, ita habetur in Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de extrema vnctione, ita affertur can. vnico, de sacra vnct. & ita tenuerunt semper Catholici Doctores, & omnes Scholastici dicunt in 4. dist. 23. ratio autem cur oleum, & non quid aliud extremæ vnctionis sit materia, hæc communiter affertur à doct. Materia sacramenti debet esse talis, quæ sit habilis ad significandum effectum ipsiusmet sacramenti, sed effectus extremæ vnctionis est sanatio reliquiarum peccatorum, quæ sunt vulnera quædam spiritualia, & corroboratio quædam spiritualis ad certandũ in agone mortis, sed oleũ est principale inter medicamina, q̃ vulnerib⁹ corporalib. adhiberi solẽt, q̃a est lenitiuũ, & penetratiuũ. Rursus antiquit⁹ vngebant milites i agone certaturi, atq; ex hoc oleo vngũtur infirmi ad significãdũ, & efficiẽdũ, vt sanet infirm⁹ à vulneribus reli-

 quia-

quiarum peccatorum, & vt in agone mortis tamquam strenuus miles, quantum ad spiritum aereas possit superare cateruas, vnde ita habebatur in rituali nostro antiquo, vngo te oleo, vt more militis ad luctam aereas possis superare cateruas, &c.

3 Quæritur secundò, quodnam genus olei sit illud, quod est materia extremæ vnctionis. Resp. quod oleum oliuarum tantum: vnde oleum nucum, amigdalarum, vel lini, aut alterius generis non esset sufficiens materia ad ministrandam extremam vnctionem, vt optimè dicunt Doctores in 4. dist. 23. & summistæ ver. Vnctio extrema, maximè Sylu. §. primo. Ratio autē, cur oleum tantum oliuæ sit materia extremæ vnctionis, est, quia D. Iacobus dixit absolutè vngentes cum oleo: cum autem vocabulum aliquod absolutè in sacra scriptura, aut in alijs libris profertur, iuxta regulam Logicorum, intelligendum est de principaliori significato, vt cum dicimus, nisi quis renatus fuerit ex aqua, per aquam intelligimus tantum naturalem. Quare alia aqua, vt est artificialis, veluti rosacea, non esset materia sufficiens ad baptizandū, vt diximus in 2. par. nostri Tractatus cum de baptismo, cum dicimus in institutione Sanctissimæ Eucharistię Christum accepisse panem, per panem intelligimus tantum triticeum, quia est principalis inter panes: ita cū dixit D. Iacobus, vngentes cum oleo, intelligendum est oleum oliuarū, quod est principale inter olei genera: cætera enim olei genera, non simpliciter dicuntur oleum, sed cum adiectione, vt oleum nucum, amigdalarum, &c. Huc accedit etiā, quod effectus, quos diximus de sanitate, de corroboratione sunt magis proprij olei oliuarum, quàm aliorum.

4 Dices oleum oliuarum non vbique reperitur, ergo sequeretur, quod si materia sacramenti extremæ vnctionis esset tantum oleum oliuarum, aliqua regio propter defectum materiæ remaneret orbata hoc sacramēto. Resp. ad hoc D. Tho. in 4. dist. 23. q. 1. art. 3. quod materia extremæ vnctionis non est ita communis, sicut materia baptismi, quia sacramentum extremæ vnctionis non est ita necessarium, sicuti sacramentum baptismi; deinde, inquit D. Thom. nulla reperitur regio ab oleo oliuarum tam remota, vt per vecturā tantum, quantum sufficit ad hoc sacramentum non possit haberi.

5 Quæritur tertio, vtrum oleum oliuarum si commisceatur cū liquore rosarum, seu aliarum herbarum medicinalium, possit esse sufficiens materia sacramenti extremæ vnctionis. Respōd. quod si per commixtionem oleum oliuarum ita condensetur, vt amittat naturam olei simplicis, non erit sufficiens materia illius sacramenti, sicuti supra diximus de baptismo, quod aqua non potest esse baptismi materia, si ita commisceatur cum aliquo liquore, vt aquę amittat naturam. Ita Vict. in summa num. 216. ita Syluest. ver. extrema vnctio, & omnes Summistæ, ita Sotus in 4. dist. 23. q. 1. art. 3. & omnes scholastici ibidem.

6 Quæritur quarto, vtrum oleum oliuarum, vt sit materia extremæ vnctionis debeat esse consecratum, seu benedictum. Conc. Trid. affirmat quod debeat esse benedictum, seu consecratum sess. 14. cap. 1. affirmant, & omnes Doctores.

Sed dubitatio est vtrum hæc consecratio, seu benedictio sit tantum de necessitate præcepti, aut verò de necessitate sacramenti. Vict. in summa nu. 217. dicit hanc consecrationem, seu benedictionem esse tantum de necessitate præcepti. Sylu. loco cit. Sotus loco cit. & alij dicunt etiam esse de necessitate sacramenti. Et ego dico, vt dixi in 8. par. huius Tractatus, vbi de oleo confirmationis, esse necessariam

olei

olei consecrationem, seu benedictionem de necessitate sacramenti. Victoriæ fundamentum est, quia Innoc. 3. c. pastoralis citatus, in supradicta parte requisitus vtrum ille, qui per ignorantiam fuerat ab Episcopo in fronte vnctus oleo cum chrismate non benedicto esset iterum vngendus; Respondet quod non, sed quod supplendum erat in eo, in quo Episcopus defecerat, ergo, ait Victoria, erat sacramẽtum sine benedictione, vel consecratione olei. Sed reuera Victoria fuit sui immemor, quia num. 41. in summa dixerat nulla ratione posse confici sacramentũ confirmationis sine oleo consecrato; & Innocentius fuit requisitus de sacramento Confirmationis. Sot. artic. cit. optimè dicit, quod Innocentius non fuit requisitus, de hoc an iterum vngendus esset, qui non fuerat vnctus in sacramento chrismatis oleo nõ benedicto, sed oleo non benedicto cum chrismate: & ideo Innocentius respondit, quod non esset iterandum sacramentum; & ex eo responso colligitur tantum, quod balsamum, ex quo cum oleo fit chrisma, non sit necessarium necessitate sacramenti, non autẽ quod oleum non debeat esse consecratum: nam oleum, quo vnctus fuit ab Episcopo ille, de quo fit mentio in cap. pastoralis cit. fuit quidem benedictum, sed non cum chrismate.

7 Quæritur vltimo, vtrum hæc benedictio, seu consecratio olei debeat esse facta ab Episcopo, an verò de licentia Summi Pontificis possit etiam fieri à simplici sacerdote. Ad hoc respondendum est, sicuti supra diximus de oleo Confirmationis in 3. parte istius Tractatus.

CAP. TERTIVM.

De forma extremæ vnctionis.

1 *Forma huius sacramenti, qualis.*
2 *An sit eadem forma extremæ vnctionis vbique.*

DE forma extremæ vnctionis, dico primo, eam debere esse deprecatiuam, & talem, quod in ea significetur particularis effectus ipsiusmet extremæ vnctionis. Quod debeat esse deprecatiua patet ex verbis D. Iacobi citatis, idest vt orent super eum, vngentes &c. patet etiam ratione, quia licet effectus principalis extremæ vnctionis, qui est dare gratiam, qua tollantur reliquiæ peccatorum semper sequatur, si non ponatur obex; effectus tamen secundarius non semper sequitur: hic enim est sanitas corporalis, & ideo forma extremæ vnctionis debet proferri per modum deprecationis, vt rogetur Deus, quod det etiam hunc effectum: vnde dicit sacerdos, quicquid peccasti, &c. indulgeat tibi Deus, vbi pro (quicquid peccasti) non intelliguntur tantum peccata, sed reliquiæ peccatorum, & infirmitas corporis, quæ per peccatum homini datur. Vnde dicere quicquid peccasti, indulgeat tibi Deus in dicta forma, idẽ est ac dicere, auferat à te mala Deus, quæ propter peccatum habes, inter quæ est infirmitas corporalis. Quod autem in deprecatione, quæ est forma sacramenti extremæ vnctionis debeat exprimi effectus ipsiusmet extremę vnctionis, patet ex formis aliorum sacramentorum, in quibus exprimitur effectus ipsorum; & patet ratione, quia forma sacramẽti est pars ipsius sacramenti, & sacramentum debet esse signum sui effectus, ergo forma sacramenti debet consignificare effectum

ipsius sacramenti.

2 Dico secundò, quod non est necesse, vt in omnibus ecclesijs sacerdotes pro forma extremę vnctionis vtantur ijsdem verbis, modo verba sint deprecatoria, & significent effectum extremæ vnctionis: nam in diuersis ecclesijs diuersæ præscribuntur formæ, vt in nostra Mediolanensi Ecclesia sacerdotes in administratione extremę vnctionis non vtebantur ijsdem verbis; quibus nunc vtuntur, vt videre est in sacramentali antiquo, non vtebantur tamen verbis indicatiuis, vt falsò putauit Nau. in Manu. cap. 22. num. 15. ex Paludano, nam licet sacerdotes Mediolanēses ita inciperent, vngo te oleo sanctificato &c. in fine tamen dicebāt quicquid peccasti per cogitationem cordis, aut per operationem manuum parcat tibi Deus, licet per ignorantiam impressoris inter verba indicatiua, & deprecatiua interiecta esset rubrica quædam. Quare optimè dicit D. Thom. in 4. distinct. 23. quæst. prima. artic. 4. quod in illis ecclesijs, in quibus forma extremæ vnctionis incipit à verbo indicatiuo, illa verba indicatiua non sunt pars essentialis formæ, sed præambula quędam, quod dixit D. Thom. propter ecclesiam nostram Mediolanensem, vt indicat Syluest. ver. vnctio extrema, vbi de forma agit. Nunc autem nostra Mediolanensis Ecclesia in administratione extremæ vnctionis vtitur forma descripta in Conc. Florent. vt videre est in sacramentali nostro folio 189.

CAPVT QVARTVM.

De effectibus sacramenti Extremæ Vnctionis.

1 *Effectus huius sacramenti quotuplex.*
2 *An conferat primam gratiam.*
3 *Quod peccatum deleat extrema vnctio.*
4 *Cur sacramentum dicatur infirmorum.*
5 *Num conferat sanitatem corporalem.*

1 Effectus sacramenti extremæ vnctionis tres communiter assignātur quorum primus est collatio gratię. Secundus remissio peccatorum, & Tertius sanitas corporalis.

De primo effectu patet, & est de fide, nam de fide est, quod omnia sacramenta conferant gratiam. De secūdo, & tertio effectu patet ex his, quæ dicit D. Iacobus, & alleuiabit eū dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Et de omnibus tribus effectibus Concil. Trid. sess. 14. can. 2. de extrema vnctione, ita dicit, si quis negauerit sacrā infirmorū vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec infirmū alleuiare, anathema sit, & de ijs tribus effectibus sigillatim est differendū.

2 Et primò de primo effectu, quæritur vtrum extrema vnctio det primam gratiam. Respond. quod sacramentum extremę vnctionis non est à Christo institutum ad dandam per se primam gratiam, primò quia ad hoc fuit institutus baptismus, & deinde pœnitentia.

Secundò, quia sicuti propriū est baptismi regenerare, & pœnitentiæ resuscitare: ita proprium est extremæ vnctionis sanare, sed sanatio præsupponit vitam, non enim sanatur mortuus,

sed

ſed viuus, ergo extrema vnctio præſupponit hominem in gratia, licet infirmum, & debilem. Quare de ſua natura, & per ſe extrema vnctio non dat primam gratiam, ſed tantum augmentum gratiæ ad tollendas peccatorum reliquias. Per accidens tamen, ſicuti & ſanctiſs. Euchariſtia, & alia ſacramenta præter baptiſmum, & pœnitentiam, quæ dant per ſe primã gratiam, poteſt extrema vnctio conferre primam gratiam. Vt ſi quis infirmus eſſet, qui non poſſet confiteri ſua peccata mortalia, quæ cõmiſit, & putaret ſe habere verã contritionem, quæ tamen non eſſet contritio, ſed ſolũ attritio, talis ſi reciperet ſacramentum extremæ vnctionis, extrema vnctio conferret illi primam gratiam, quia omne ſacramentũ poteſt facere de attrito contritum, ſecundum regulam, quam tradit D. Th. in 3. par. q. 79. art. 1. ſimili modo ſi aliquis confiteretur ſua peccata ſacerdoti non habenti poteſtatem abſoluendi, & eſſet tantũ attritus, ſi poſt cõfeſſionem, quam putauit eſſe ſacramentalem, qua tamen non erat, reciperet extremam vnctionem, per extremã vnctionem reciperet primam gratiã, quã recepiſſet per confeſſioné, ſi confeſſio fuiſſet ſacramentalis, vt ſupra diximus de ſanctiſſima Euchariſtia in 4. p. huius Tractatus. Ita dicit Nau. in Man. c. 22. nu. 13; ita Sot. in 4. ſent. diſt. 23. q. 1. Vnde fit, inquit Nau. quod aliquando per extremã vnctionem, aliqui ſaluãtur in æternam gloriã, qui ſine ea in æternum periјſſent, & propterea inquit Nau. vnuſquiſq; noſtrũ debet eſſe maximè ſollicitus, ne ſine tanto ſacramẽto moriatur; Et ego addo quod Parochus debet eſſe diligentiſsimus in miniſtrando ſacramento extremæ vnctionis, quia ille poterit aliquem aliquando ſaluare, qui ſine illo ſua negligentia in æternum periret.

Secundò quæritur de ſecundo effectu ad quod genus peccati remittendum inſtitutum fuerit extremæ vnctionis ſacramentum. De hoc eſt magna inter Doctores controuerſia. Richardus, D. Bonauentura, Scotus, Durandus, & Maior in quarto ſentent. diſtinctione vigeſimatertia, dicunt ſacramentum extremæ vnctionis fuiſſe inſtitutum non ad delendum peccatum originale, quia ad hoc fuit inſtitutus baptiſmus; neque ad delendum peccatum mortale; nam ad hoc fuit inſtitutum ſacramentum pœnitentiæ, ſed ad delẽdum peccatum veniale. Sed contrarium dicunt D. Tho. & Sot. loco cit. q. 1. artic. 2. & Victoria in ſumma num. 214.

Primò, quia ſi ſacramentũ extremæ vnctionis fuiſſet inſtitutum ad delendum veniale, deberet conferri etiã ſanis, vt ab illis tollerentur venialia.

Secundò, quia multa alia ſunt in eccleſia remedia ad tollendã peccata venialia, & multo faciliora, quàm extrema vnctio, vt aqua luſtralis, tunſio pectoris, ſacerdotis benedictio, confeſſio generalis, aliaque de quibus in parte antecedenti, ergo ſuperfluũ fuit ad hoc inſtituere etiam ſacramentum extremæ vnctionis.

Tertiò, D. Iacobus non dicit extremam vnctionem remittere peccata venialia, ſed dicit abſolute, ſi in peccatis ſit, remittentur ei, quaſi dicat extrema vnctio per ſe ſupponit hominem in vita ſpirituali, & ſine peccatis, quod ſi fortè eſſet in peccatis, etiam illa remittuntur ei per extremã unctionem. Quare D. Thom. Sotus, & Victoria locis citatis dicunt proprium effectum ſacramenti extremæ vnctionis, non eſſe remiſſionem alicuius peccati, licet per accidens aliquando remittat peccatum etiam mortale extrema vnctio; & ſæpè veniale, ſed eſſe ablationem veſtigiorum, cicatricum, & reliquiarum peccatorum, quæ remanent in homine, etiam remiſſo peccato mortali, & originali: Hæ autem

cica-

cicatrices, & reliquiæ peccatorum, vt ait D. Tho. sunt torpor quidam, & anxietas, seu mala affectio, pronitas, & procliuitas ad malum, timor mortis, & metus diuini iudicij, quæ omnia solēt vexare animam morientis, quando videt se ēsse morti proximum.

Demum inquit D. Tho. exhilarat ēt animum extrema vnctio, qui in infirmitate magis, quàm in sanitate languescit propter corpus, quia cum corrumpatur grauat animam, & de ijs effectibus meminit sacramentale nostrũ folio 161.

Quod si dicas, ergo falsum dicit D. Iacobus, quod si in peccatis sit, dimittentur eī. Ad hoc resp. D. Tho. Primò quod D. Iacobus nõ loquitur de remissione peccatorum secundum se absolutè, tanquàm quod sit proprius extremæ vnctionis effectus, sed loquitur cõditionaliter, idest si in peccatis sit, quasi non sit hic effectus per se, sed per accidens.

Secũdò respondet idem doctor, qđ D. Iacobus per peccatum non intellexit culpam peccatorum, sed reliquias peccatorum, sicut lib. 2. Machabæorũ dicitur, vt soluantur à peccatis, vbi per peccata non intelligitur culpa peccatorum, sed pœna. Et in bullis Indulgentiarum, cum dicitur dari remissio peccatorum, per peccata intelligimus pœnam pro peccatis debitam. Et D. Paulus cum ad Romanos 7. dicit, ego non malum operor, sed quod habitat in me peccatum, per peccatum non intelligit culpam, sed fomitem, idest inclinationem ad malum relictã per culpam peccatorum. Ita D. Iacobus cum dixit, & si in peccatis sit, per peccata intellexit reliquias peccatorum.

4 Rursus dices, quare extrema vnctio non etiam datur sanis, vt ab illis tollantur reliquiæ peccatorum. Hoc est argumentum Durandi. Ad quod respondet Sotus in 4. dist. 23. q. 1. artic. 2. quod extrema vnctio non datur sanis, etiam si habeant reliquias peccatorũ, quia reliquiæ peccatorum non vexant sanos, sicuti vexant infirmos morituros: nam corpus quod corrumpitur, tunc grauat animam cum corrumpitur. Vnde infirmi magis timent mortem, quia proximam vident, & sunt incerti futuræ salutis, & ideo habent horrorem, timorem, & dicuntur agonizare: & ideo sicut Athletæ tantum vngebantur, quando erant certaturi in agone, ita homines tantum vngi debent extrema vnctione, quando in agone mortis sunt certaturi; Et inquit Sotus ibidem, quod si aliquando, cum adhuc sensus infirmi vigent non experiatur infirmus hos extremæ vnctionis effectus: credendum est tamen eum illos experiri, quando anima mox recedit à corpore, si sanctè, vt debuit, tale sacramentum suscepit.

5 Demum de tertio effectu, qui est sanitas corporalis, dicunt Doctores, qđ tunc extrema vnctio eum operatur, quando Deus videt ita magis expedire saluti infirmi, & ita affert sacramẽtale nostrum folio 165. Sed contra ait Sotus, quia videmus aliquos, qui sanantur postquam habuerunt extremã vnctionem, qui tamen peiores fiunt, quàm antea erant, & propterea ait Sotus, quod extrema vnctio auxiliatur medijs naturalibus ad dandam salutẽ corporalem.

Sed dicẽdum est cum communi Doctorum opinione, quod Deus dat sanitatem corporalem, aliquando si expedit saluti infirmi, vel Reipub. Christianæ, etiam si nos nesciamus quare in particulari Deus det illam salutem corporalem: Quod autem non semper eam det, est, vt dicunt omnes Doctores, quia sanitas corporalis non est præcipuus effectus sacramenti extremæ vnctionis, sed secundarius; sacramenta verò, licet semper, nisi ponatur obex, conferant primarium effectum, non

non tamen semper conferunt secundarium, vt principalis effectus Confirmationis est augumentum gratiæ, & hunc effectum semper facit Confirmatio, nisi ponatur obex: secundarius verò effectus eius est fidem tueri contra tyrannum, & hunc effectum non semper facit Confirmatio, quia aliquando minus tuebitur fidem Christi confirmatus coram tyranno, quàm non confirmatus.

CAPVT QVINTVM.

De Ministro Extremæ vnctionis.

1 *Extremæ vnctionis quis minister.*
2 *An diaconus possit illam ministrare.*
3 *Cur Laici illam ministrarent.*
4 *Qualis sacerdos sit illius minister.*
5 *Quid de religiosis regularibus.*
6 *Num illam possint ministrare in extrema saltem necessitate.*

1 IN hoc capite quæritur primò, qui sit minister sacramenti extremæ vnctionis. Resp. quod solus sacerdos potest esse minister sacramenti extremæ vnctionis, & hoc probatur auctoritate D. Iacobi, qui cap. 5. suæ canonicæ Epistolæ, ita inquit, infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, vbi per presbyteros non sunt intelligendi ætate seniores, vt intellexerunt lutherani, sed sunt intelligendi sacerdotes, vt optimè determinatum fuit in Conc. Trid. sess. 14. can. 4. de extrema vnctione, sub ijs verbis, si quis dixerit presbyteros ecclesiæ, quos Beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quauis communitate, ob idque proprium extremæ vnctionis ministrum, non esse solum sacerdotem, Anathema sit.

Secundò probatur, quod solus sacerdos sit minister extremæ vnctionis ex Soto dist. 23. quæst. 2. art. 1. quia ministrare sacramentum extremę vnctionis est actus hierarchicus; actus verò hierarchicus ad solum sacerdotem pertinet, vt dixit D. Dionysius Areopagita in lib. de hierarchia ecclesiastica.

Atque inde fit, quod neque subdiaconus, neque Diaconus etiam in extrema necessitate potest ministrare sacramentum extremæ vnctionis, & si ministraret, nihil efficeret, quantum ad sacramentum, quia sacramentum non esset, sed ipse irregularis efficeretur sicuti si tentaret consecrare, aut pęnitentem sacramentaliter absoluere.

Sed dices Vualdensis Tomo 2. de sacramentis cap. penultimo dicit laicos posse ministrare sacramentum extremæ vnctionis in necessitate, quando non adest proprius sacerdos, & hoc probat auctoritate venerabilis Bedæ, qui in homilia super caput quintum D. Iacobi, dicit laicos posse in necessitate infirmos vngere, & hoc probat Beda auctoritate Innocentij primi in Epistola ad Decentium. Resp. quod neque Innocentius, neque Beda locutus est de vnctione sacramentali, vt putauit Vualdensis, sed loquuti sunt de quadam vnctione, quæ fiebat antiquitus à laicis infirmis oleo benedicto, quæ tamen vnctio non erat sacramentum, cuius vnctionis etiam meminit D. Tho. in 4. dist. 23. dicens, quod patres sancti, qui in Aegypto commorabantur, solebant transmittere oleum benedictum ad infirmos, quo vncti sanabantur, quæ tamen vnctio non erat sacramentum, sed dabat sanitatem infirmis propter merita illorum sanctorum patrum, vel propter merita vngentium, aut propter deuotionem eorum, qui vngebantur, vbi & dicit D. 2

Tho.

Thom. de beata quadam fœmina, quæ dicebatur Genoueia, quod vngebat infirmos oleo benedicto, & sanabantur, quæ tamen vnctio non erat sacramentum, sed propter donũ sanitatis, quod habebat beata illa fœmina, sanabantur infirmi.

Rursus dices, effectus sacramenti extremę vnctionis est per orationem: vnde ait D. Iacobus, & orent super eũ, sed aliquando magis exauditur oratio boni laici, quàm mali sacerdotis, ergo aliquando laicus poterit esse minister extremæ vnctionis. Resp. quod non omnis oratio est causa effectus sacramenti extremæ vnctionis; hanc autem tantum sacerdos potest applicare materiæ, & non laicus: nam si laicus tentaret hoc facere, non esset bonus laicus, sed peccaret mortaliter, & non exaudietur, & oratio, quam facit sacerdos, dum ministrat extremam vnctionem, non fit in persona propria sacerdotis, sed in persona totius ecclesiæ. Quare etiam si sit prauus homo, eius tamen malitia non inficit sacramentũ, vt diximus in Prima parte huius Tractatus.

3 Quęritur secundò, vtrum omnis sacerdos possit esse minister sacramenti extremę vnctionis. Respond. quod quantum ad necessitatem sacramenti, quilibet sacerdos, siue sit pręcisus ab ecclesia, siue sit hæreticus, siue suspensus, potest sacramentum extremæ vnctionis ministrare, sicuti potest & cõsecrare, quia ad ministranda sacramẽta sufficit character sacerdotalis, licet ad ea benè ministranda requiratur etiã gratia: sed de necessitate præcepti tãtum proprius Parochus, vel ille qui à proprio Parocho licentiam habet, saltem tacitam sacramentum extremę vnctionis ministrare potest. Vnde peccaret mortaliter sacerdos, qui sine licentia proprij Parochi sacramentum extremę vnctionis ministrare præsumeret, & si talis sacerdos esset regularis, qui absque licentia proprij sacerdotis ministraret extremam vnctionem, esset excommunicatus ipso facto, cui absolutio est reseruata summo Pontifici, vt habetur Clementina vnica De priuilegijs.

5 Sed hic est dubitatio. Vtrum saltem in extrema necessitate, quando Parochus est absens, possit sacerdos religiosus, siue regularis, sine licentia ipsius Parochi ministrare sacramentum extremę vnctionis, absque periculo excommunicationis. In hoc non concordant doctores. Archidiaconus. n. quem refert, & sequitur. Sylu. ver. vnctio extrema. §. 4. Armilla in summa eodem verbo, nume. 5. & Victoria in summa num. 220. existimarunt, neque in casu necessitatis posse religiosum sacerdotem sine licentia proprij Parochi ministrare sacramentum extremæ vnctionis absque eo, quod incurrat in excommunicationem latam per Clementinam citatam, titulo De priuilegijs. Sed Caietanus in summa ver. excommunicatio. cap. 64. vbi explicat illam clementinam. Nau. in Man. ca. 27. nu. 102. Sotus in 4. dist. 23. q. 2. art. 1. & ex Armilla verb. excommunicatio excommunicatione 49. dicunt, quod sacerdos religiosus absque periculo excommunicationis potest ministrare sacramentum extremæ vnctionis in casu necessitatis. Et re vera censendum est Papam noluisse tam strictè ligare religiosos sacerdotes, vt saltem in extrema necessitate, non possint ministrare sacramentum extremæ vnctionis absente Parocho, sine licentia expressa ipsius Parochi, quia hoc esset in graue damnum infirmorum.

6 Dicendum igitur est, quod religiosi possunt in tali casu ministrare sacramentum extremę vnctionis, maximè si sperent Parochum absentem habiturum ratum, quod fecerit religiosus, id est vt loquuntur alij, potest religiosus in tali casu sub spe ratihabitionis conferre

ferre

ferre tale sacramentum, & ita possunt intelligi etiam Doctores in contrariũ citati, qui forsitan intellexerunt de religioso, qui sine licentia expressa, vel tacita, idest sine ratihabitione Parochi tale sacramentum ministrant. Et quod in tali casu non sit periculum excõmunicationis, patet ex ipsa Clementina, in qua excommunicantur tantũ religiosi, qui præsumunt tale sacramẽtum ministrare absq. licẽtia Parochi: præsumere enim ministrare est præsumptuosè ministrare, sed illi non dicuntur prȩsumptuosè ministrare absque licentia Parochi, qui ministrant sub spe ratihabitionis illius; quæ ratihabitio si vnquam est præsumenda, maximè in articulo necessitatis est prȩsumenda. Non enim debet iudicari Parochus tam durus, quin sibi placeat, vt in extrema necessitate ministretur sacramentum suis Parochianis, quibus ipse ministrare non potest. Atque hęc de religiosis: nam de sacerdotibus regularibus contra quos non fulminatur dicta excommunicatio, dicendum est, quod etiam extra casum extremæ necessitatis sub spe ratihabitionis posſũt ministrare sacramentum extremæ vnctionis.

CAPVT SEXTVM.

De suscipientibus sacramentum Extremæ Vnctionis.

1 *Extrema vnctio quibus concedenda.*
2 *Num omnibus infirmis.*
3 *Num pueris, & in qua ætate.*
4 *Num pueris mox baptizatis.*
5 *Num condemnatis ad mortem.*
6 *Num vulneratis.*
7 *Num excommunicatis.*

1 IN hoc capite quæritur primò, quibus sit ministrandum sacramentũ extremæ vnctionis. Resp. tantum infirmis, & hoc probatur primo auctoritate D. Iacobi, infirmatur quis ex vobis &c. Secundò, auctoritate Summi Pontificis Innocentij, qui in cap. vnico de sacra vnctione idem determinauit, vbi & materiam istius sacramenti, appellat oleum infirmorum. Tertiò probatur ratione: nam effectus saltem secundarius istius sacramenti est sanitas corporalis, quæ requiritur ab infirmis, ex effectu autem sacramenti desumitur iudicium materiæ, & subiecti, quodnam esse debet. Quartò probatur ex principali effectu ipsiusmet sacramenti, qui est corroborare spiritũ ipsiusmet infirmi, vt in agone mortis certare possit. Atque ex his sequitur, quod si tale sacramentum ministraretur sanis, non esset verè sacramẽtum, sicuti si à peccatis absolueretur paruulus, qui nunquam peccauit.

2 Quæritur secundò, vtrum omnibus infirmis sit ministrandum hoc sacramentum. Resp. negatiuè, sed illis tantùm, qui proximi sunt morti, vel de quorum morte timetur; ita determinatum fuit in Conc. Floren. sub Eugenio 4. & ita tenent Scolastici in 4. dist. 23. & ita elicitur ex effectibus huius sacramenti; quorum alter est habilitas ad certandum in agone mortis: alter verò est sanitas corporalis, quæ vt optimè ait Sotus, non est exquirenda remedijs supernaturalibus, quando potest haberi per remedia naturalia.

Sed dices, D. Iacobus absolutè dicit, si quis infirmatur. Respondeo hoc esse argumẽtum Lutheri, quo inuehitur contra christianos, qui ex D. Iacobo innuunt extremam vnctionem esse sacramentum, & tamen eam non ministrant omnibus infirmis. Ad quod argumentum respondet Sotus loco citato, quod licet D. Iacobus expresſè nõ dixerit, infirmatur quis ad mortẽ, subintelligitur tamen, quia non est probabile, quod voluerit D. Iacobus nos hor

tari ad remedia supernaturalia, quando sufficiunt naturalia.

Hæc autem sunt intelligenda cum hoc temperamento, vt nõ sit expectandus vltimus mortis articulus, ita vt infirmus careat vsu sensuum: imò curandũ est, vt ministretur extrema vnctio, si fieri potest, cum adhuc sensus vigẽt infirmi. Quare expectandum est quidẽ periculum, sed non vltimus mortis articulus.

3 Infertur primò, & ex dictis in cap. 4. istius partis, quod extrema vnctio non est ministranda pueris vsu ratione carentibus, vel perpetuò amentibus, quia tales nõ peccauerunt actualiter, & ideo non habent reliquias peccatorum, quæ tollantur per hoc sacramentum, & ita tenẽt omnes Doctores.

Sed dices, qua ætate sunt vngendi pueri. Sotus in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. dicit, quod tunc sunt vngendi, quando 4 sunt habiles ad communionem, quia extrema vnctio datur post viaticum. Sed ego dico, quod extrema vnctio potest ministrari pueris, quando peruenerunt ad talem ætatem, in qua potuerunt peccare mortaliter, quia extrema vnctio est instituta ad tollendas reliquias peccatorum, & non supponit necessariò viaticum: videmus enim quod multi extrema vnctione vnguntur, qui tamen non susceperunt viaticum.

4 Infertur secundò, quod aliquando mox baptizatis potest dari extrema vnctio, si tamẽ baptizati erãt adulti, quia licet baptismus auferat pœnam, & culpam peccatorum, non tamen aufert reliquias peccatorum, & de sua natura non dat sanitatem corporalem, vt potest extrema vnctio.

5 Infertur tertiò non esse ministrandum sacramentum extremæ vnctionis condemnatis ad mortem, quia effectus secundarius extremæ vnctionis est sanitas, at condemnati pleriq; sũt sani, & si sunt infirmi repugnat exquirere sanitatẽ, & inferri mortẽ à iudice, Neque ministranda est ingredientibus mare periculosum, aut bellum, ita dicunt Doctores.

6 Infertur quartò extremã vnctionẽ posse dari vulneratis ad mortem. Ita sacramentale nostrum, non potest tamen exhiberi mulieribus prægnantibus nisi sit periculum mortis, vt determinatum est in eodem Conc. tertio prouinciali, ita etiam habetur in sacramentali nostro.

7 Infertur quintò sacramentum extremæ vnctionis non esse ministrandũ excommunicatis, nisi prius ab excommunicatione absoluantur, quia excõmunicatio priuat a participatione sacramentorum.

CAPVT VLTIMVM.

De partibus corporis, quæ perungendæ sunt, quando sacramentum extremę vnctionis ministratur.

1 *Quæ partes corporis vngendæ.*
2 *De vnctione in renibus.*
3 *Mutilati quomodo vngendi.*
4 *Quando detur gratia.*
5 *An imprimat characterem.*
6 *An possit iterari.*

1 IN hoc capite quæritur quib. in partibus corporis vngẽdi sint infirmi, quando illis administratur extremę vnctionis sacramentum. Ad hoc.

Dico primo, q̃d in organis quinque sensũũ sunt vngẽdi. Et ratio huius est, qa quãdo quis est infirmus corporaliter, medicamentũ solet adhiberi in illa parte corporis, in qua est infirmitatis radix. Extrema vnctio, vt pluries dicimus, datur ad tollẽdas infirmitates spirituales præcipuè, quarũ infirmitatum radices sunt quinq, sensus; et ideo in administratione extremæ vnctionis vnguntur organa quinque sensuum: oculi propter visum; aures propter auditum, nares propter odoratum; & os propter gustum; manus autem vnguntur propter tactũ: nã licet sẽsus tactus vnga-

vngatur per omnia corporis membra; maximè tamẽ in pulpis manuũ viget. Omne.n. peccatũ est volũtariũ, omne autẽ, quod est in voluntate prius est in intellectu, voluntas. n. cũ sit potentia cœca nihil vult, quòd prius ab intellectu non fuerit cognitũ: intellectus aũt nihil cognoscit, nisi per phantasmata; opus est. n. intelligentẽ phantasmata speculari; phantasmata verò necessariò trahunt originem a sensibus exterioribus. Quare vt optimè ait Aristoteles, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: Atq; fit inde, vt radices omnium peccatorum nostrorũ sitæ sint in quinque sensibus exterioribus, & propterea, vt dixi sensuũ nostrorũ organa vnguntur cum administratur extrema vnctio, nam sic significatur magis effectus extremæ vnctionis.

Dico secundò, quod in aliquibus Ecclesijs, vt in nostra Mediolanensi præter organa prædicta quinq; sensuum, vnguntur etiam renes & pedes, quando datur extrema vnctio, quæ tamen duæ vnctiones non sunt necessariæ. Quare aliquando omitti possunt, imò aliquando omitti debent, maximè vnctio in renibus; illa.n. nõ debet fieri in in fœminis propter decentiam, vt habetur in nostro sacramẽtali, & mares non sunt semper vngendi in renibus, sed tantùm quando commodè fieri potest, & decenter: vbi tamen fit fit propter peccata concupiscentiæ, quæ cũ originem trahant a quinque sensibus, ideo fit, vt non sit necessaria hæc sexta vnctio: vnctio vero pedum fit, quia multi peccant propter gressum, sed & hæc peccata oriuntur a sensibus, & ideo hæc septima vnctio vbi præcipitur, fieri debet, nõ tamẽ est necessaria.

Quod si dicas Conc. Florent. enumerat omnes septem vnctiones, ergo omnes debent necessariò fieri. Ad hoc resp. cũ Soto, quod Conc. Florent. enumerat omnes vnctiones, quæ fieri solẽt in vniuersali ecclesia, & in particulari eas omnes approbando, non tamen dicit omnes esse necessarias.

Dices secundo, si quis priuatus esset aliquo organo, v. g. oculorum, vel manuum, vbi vngendus est. Resp. secundum communem Doctorũ opinionẽ, quod talis esset vngendus in parte proximiori illi vbi erat, vel esse debeat organum sensus.

Dices tertio, si quis fuisset cœcus a natiuitate, videretur nõ vngẽdus in oculis, quia nõ peccauit ꝑ oculos. Resp. secundũ cõmunẽ DD. opinionẽ, qđ talis esset vngẽdus in oculis, quia si non peccauit per visum, potuit tamen peccare per potentias internas, correspondentes visui exteriori.

Dices quarto, de corde exeunt prauæ cogitationes, ergo in pectore esset vngẽdus infirmus, vbi est cor ad tollẽdas reliquias peccatorũ cordis, seu ad significãdũ, qđ ꝑ extremã vnctionẽ tollũtur ẽt reliquię peccatorũ cordis. Resp. qđ in nostra ecclesia vt videre est in antiquo Rituali nostro Mediolanensi infirmi vngebatur in pectore forsitan ꝑꝑ dictã rõnem, sed verè hęc vnctio in pectore nõ est necessaria, quia cũ dicimus, de corde exeut prauæ cogitationes, ꝑ cor intelligim⁹ voluntatẽ; peccata verò voluntatis, quæ sunt omnia peccata, vt dixi in principio huius capitis, omnia trahunt originem à sensibus, & ideo vnctiones quinque sensuum tantum sunt necessariæ.

Dices quintò, in qua vnctione daẽ gratia, seu confertur extremæ vnctionis effectus. Resp. secundum communẽ doctorũ opinionẽ, quod in vltima tantum, quæcunque illa sit, & tunc datur quando statim prolata est forma sũ per vltimam vnctionem. Quare si intendit sacerdos facere septem vnctiones, in fine prolationis formæ super septimam vnctionem confertur effectus extremę vnctionis, nisi ponaẽ obex. Si intẽdit tantũ sex facere vnctiones, gratia daẽ in vltima ꝓlatione formę super sextã vnctionẽ. Si intendit facere tantùm quinquè vnctiones, eodem modo

tari ad remedia supernaturalia, quando sufficiunt naturalia.

Hæc autem sunt intelligenda cum hoc temperamento, vt nõ sit expectandus vltimus mortis articulus, ita vt infirmus careat vsu sensuum: imò curandũ est, vt ministretur extrema vnctio, si fieri potest, cum adhuc sensus vigẽt infirmi. Quare expectandum est quidẽ periculum, sed non vltimus mortis articulus.

3 Infertur primò, & ex dictis in cap. 4. istius partis, quod extrema vnctio non est ministranda pueris vsu ratione carentibus, vel perpetuò amentibus, quia tales nõ peccauerunt actualiter, & ideo non habent reliquias peccatorum, quæ tollantur per hoc sacramentum, & ita tenẽt omnes Doctores.

Sed dices, qua ætate sunt vngendi pueri. Sotus in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. dicit, quod tunc sunt vngendi, quando sunt habiles ad communionem, quia extrema vnctio datur post viaticum. Sed ego dico, quod extrema vnctio potest ministrari pueris, quando peruenerunt ad talem ætatem, in qua potuerunt peccare mortaliter, quia extrema vnctio est instituta ad tollendas reliquias peccatorum, & non supponit necessariò viaticum: videmus enim quod multi extrema vnctione vnguntur, qui tamen non susceperunt viaticum.

4 Infertur secundò, quod aliquando mox baptizatis potest dari extrema vnctio, si tamẽ baptizati erãt adulti, quia licet baptismus auferat pœnam, & culpam peccatorum, non tamen aufert reliquias peccatorum, & de sua natura non dat sanitatem corporalem, vt potest extrema vnctio.

5 Infertur tertiò non esse ministrandum sacramentum extremæ vnctionis condemnatis ad mortem, quia effectus secundarius extremæ vnctionis est sanitas, at condemnati pleriq; sũt sani, & si sunt infirmi repugnat exquirere sanitatẽ, & inferri mortẽ à iudice, Neque ministranda est ingredientibus mare periculosum, aut bellum, ita dicunt Doctores.

6 Infertur quartò extremã vnctionẽ posse dari vulneratis ad mortem. Ita sacramentale nostrum, non potest tamen exhiberi mulieribus prægnantibus nisi sit periculum mortis, vt determinatum est in eodem Conc. tertio prouinciali, ita etiam habetur in sacramentali nostro.

7 Infertur quintò sacramentum extremæ vnctionis non esse ministrandũ excommunicatis, nisi prius ab excommunicatione absoluantur, quia excõmunicatio priuat a participatione sacramentorum.

CAPVT VLTIMVM.

De partibus corporis, quæ perungendæ sunt, quando sacramentum extremę vnctionis ministratur.

1 *Quæ partes corporis vngendæ.*
2 *De vnctione in renibus.*
3 *Mutilati quomodo vngendi.*
4 *Quando detur gratia.*
5 *An imprimat characterem.*
6 *An possit iterari.*

1 IN hoc capite quæritur quib. in partibus corporis vngẽdi sint infirmi, quando illis administratur extremę vnctionis sacramentum. Ad hoc.

Dico primo, q̃d in organis quinque sensũũ sunt vngẽdi. Et ratio huius est, qa quãdo quis est infirmus corporaliter, medicamentũ solet adhiberi in illa parte corporis, in qua est infirmitatis radix. Extrema vnctio, vt pluries dicimus, datur ad tollẽdas infirmitates spirituales præcipuè, quarũ infirmitatum radices sunt quinq; sensus; et ideo in administratione extremæ vnctionis vnguntur organa quinque sensuum: oculi propter visum; aures propter auditum, nares propter odoratum; & os propter gustum; manus autem vnguntur propter tactũ: nã licet sẽsus tactus vnga-

vngatur per omnia corporis membra; maximè tamē in pulpis manuū viget. Omne .n. peccatū est volūtariū, omne autē, quod est in voluntate prius est in intellectu, voluntas. n. cū sit potentia cæca nihil vult, quòd prius ab intellectu non fuerit cognitū: intellectus aūt nihil cognoscit, nisi per phantasmata; opus est. n. intelligentē phantasmata speculari; phantasmata verò necessariò trahunt originem a sensibus exterioribus. Quare vt optimè ait Aristoteles, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: Atq; fit inde, vt radices omnium peccatorum nostrorū sitæ sint in quinque sensibus exterioribus, & propterea, vt dixi sensuū nostrorū organa vnguntur cum administratur extrema vnctio, nam sic significatur magis effectus extremæ vnctionis.

Dico secundò, quod in aliquibus Ecclesijs, vt in nostra Mediolanensi præter organa prædicta quinq; sensuum, vnguntur etiam renes & pedes, quando datur extrema vnctio, quæ tamen duæ vnctiones non sunt necessariæ. Quare aliquando omitti possunt, imò aliquando omitti debent, maximè vnctio in renibus; illa .n. nō debet fieri in in fœminis propter decentiam, vt habetur in nostro sacramētali, & mares non sunt semper vngendi in renibus, sed tantùm quando commodè fieri potest, & decenter: vbi tamen fit fit propter peccata concupiscentiæ, quæ cū originem trahant a quinque sensibus, ideo fit, vt non sit necessaria hæc sexta vnctio: vnctio vero pedum fit, quia multi peccant propter gressum, sed & hæc peccata oriuntur a sensibus, & ideo hæc septima vnctio vbi præcipitur, fieri debet, nō tamē est necessaria.

Quod si dicas Conc. Florent. enumerat omnes septem vnctiones, ergo omnes debent necessariò fieri. Ad hoc resp. cū Soto, quod Conc. Florent. enumerat omnes vnctiones, quæ fieri solēt in vniuersali ecclesia, & in particulari eas omnes approbando, non tamen dicit omnes esse necessarias.

Dices secundo, si quis priuatus esset aliquo organo, v. g. oculorum, vel manuum, vbi vngendus est. Resp. secundum communem Doctorū opinionē, quod talis esset vngendus in parte proximiori illi vbi erat, vel esse debeat organum sensus.

3

Dices tertio, si quis fuisset cæcus a natiuitate, videretur nō vngēdus in oculis, quia nō peccauit ꝑ oculos. Resp. secundū cōmunē DD. opinionē, qđ talis esset vngēdus in oculis, quia si non peccauit per visum, potuit tamen peccare per potentias internas, correspondentes visui exteriori.

Dices quarto, de corde exeunt prauæ cogitationes, ergo in pectore esset vngēdus infirmus, vbi est cor ad tollēdas reliquias peccatorū cordis, seu ad significādū, qđ ꝑ extremā vnctionē tollūtur ēt reliquię peccatorū cordis. Resp. qđ in nostra ecclesia vt videre est in antiquo Rituali nostro Mediolanensi infirmi vngebatur in pectore forsitan ꝓꝑ dictā rōnem, sed verè hęc vnctio in pectore nō est necessaria, quia cū dicimus, de corde exeut prauæ cogitationes, ꝑ cor intelligimꝰ voluntatē; peccata verò voluntatis, quæ sunt omnia peccata, vt dixi in principio huius capitis, omnia trahunt originem à sensibus, & ideo vnctiones quinque sensuum tantum sunt necessariæ.

4

Dices quintò, in qua vnctione datᷣ gratia, seu confertur extremæ vnctionis effectus. Resp. secundum communē doctorū opinionē, quod in vltima tantum, quæcunque illa sit, & tunc datur quando statim prolata est forma super vltimam vnctionem. Quare si intendit sacerdos facere septem vnctiones, in fine prolationis formæ super septimam vnctionem confertur effectus extremę vnctionis, nisi ponatᷣ obex. Si intēdit tantū sex facere vnctiones, gratia datᷣ in vltima ꝑlatione formę super sextā vnctionē. Si intendit facere tantùm quinquè vnctiones, eodem modo

 dicen-

dicendum est. Ita Sotus, & alij Doctores. Et notandum est, quod vnctiones debent fieri simul cum prolatione formæ, vt supra diximus de baptismo, simultate saltem morali.

Dices sextò, quid si infirmus moreretur antequam finirentur vnctiones, vel antequam inciperent fieri. Resp. quod non esset progrediendum: Si verò dubitaretur an mortuus esset, debet vngi cum hac conditione, si es viuus.

5 Dices septimò, vtrum extrema vnctio imprimat characterem. Resp. negatiuè; quia tria tantum sacramenta imprimunt characterem, vt diximus in prima parte huius nostri Tractatus, de quorum numero non est extrema vnctio.

Quod si dicas. Quodnam igitur erit in extrema vnctione; id quod dicatur res, & sacramentum simul: In omnibus enim sacramentis, vt supra diximus in prima parte huius tractatus, est aliquid quod est sacramentum tantum; aliquid quod est res tantum; & aliquid quod est res, & sacramentum simul. Aliqui fortasse poterunt dicere, quod sanitas corporalis, quæ aliquando datur est res, & sacramentum simul; quia quando datur per hoc sacramentum, est res, idest effectus huius sacramenti, & potest esse signum sanitatis spiritualis. Sed verè sanitas corporalis, licet aliquando sit effectus istius sacramenti, non est tamen res, & sacramentum simul, quia id quod est res, & sacramẽtum simul alicuius sacramenti, semper efficitur ab eodem sacramento, nisi saltem ponatur obex, sed sanitas corporalis non semper datur per sacramentum extremæ vnctionis; etiam si infirmus non sit in peccato mortali. Quare D. Tho. dicit, quod in sacramento extremæ vnctionis, id quod est res, & sacramentum simul, est deuotio interna, & hilaritas quædam spiritualis: nã hæc deuotio, & hilaritas est effectus extremæ vnctionis, & significat ablationem reliquiarum peccatorum; vnctiones ergo, & formæ simul in extrema vnctione sunt sacramentum tantũ, gratia est res tantum, per quam auferuntur reliquiæ peccatorum: deuotio verò interna, & hilaritas spiritus, est res, & sacramentum simul.

6 Dices octauo, vtrum pluries possit conferri sacramentũ extremæ vnctionis infirmo in eadẽ infirmitate. Resp. secundum communiorem Doctorum opinionem, quod cum subiectum extremę vnctionis non sit infirmus simpliciter, sed infirmus morti proximus, inde fit, quod in eadem infirmitate, si lunga est, bis, vel pluries possit eidem infirmo dari exrrema vnctio, si tamen pluries fiat morti proximus. Vt si semel aliquis laborans ethica iudicabatur in extremis, & ideo vnctus est, qui deinde euasit ab illo periculo mortis, sed post quattuor, vel tres menses iterum cadit in idem periculum, potest iterum vngi: debet tamen esse aliqua longiuscula temporis distantia inter vnam administrationem, & aliam. Atque hæc sufficient de toto extr. vnctionis sacramento &c.

TRACTATVS DE SACRAMENTIS. PARS SEPTIMA DE SACRAMENTO ORDINIS.

HACTENVS in sex partibus istius Tractatus diximus de Sacramentis in genere; & in particulari de quinq; Sacramẽtis, quæ ad vniuscuiusque personæ vtilitatem à Christo Domino instituta fuerunt: Nunc restat, vt de reliquis duobus Sacramentis agamus, quæ instituta fuerunt ad communem Reipublicæ Christianæ vtilitatem ab eodem Christo Domino: Quæ sunt Ordo institutus ad generandos filios in vita spirituali; & Matrimonium institutum ad generandos filios legitimè in vita corporali. In præsenti ergo parte de Ordine agam, vt in vltima de Matrimonio fiat sermo.

Diuiditur autem hæc septima pars in quinque capita; In quorum primo agetur de Ordine secundum se: In secundo agetur de numero Ordinum; & de officio cuiuslibet ordinati. In tertio de materia, forma, & effectu vniuscuiusque Ordinis. In quarto de ministro Sacramenti Ordinis. & in vltimo de ætate, & qualitatibus ordinandorum.

CAPVT PRIMVM.

De Ordine secundum se.

1 *Quid veniat nomine Ordinis?*
2 *Ordo num sit in Ecclesia.*
3 *Ordo an sit sacramentum?*
4 *Ordinis definitio.*
5 *Ordo ad salutem quomodo necessarius.*
6 *Quis illius institutor.*
7 *Quando institutus.*

1 IN hoc capite quæritur primò, quid sit ordo quantùm ad nomen? Ad hoc respondeo ex D. Aug. lib. 19. De ciuitate Dei. c. 13. Quòd Ordo est pariũ, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Quare ordo est nomen generalissimum, latissimè enim patet. Vndè etiam Cic. multoties appel lat ordinem senatorium amplissimum: Nam apud Romanos erat ordo senatorius, equestris, & plebeius; & nunc apud Laicos in qualibet perfecta communitate est ordo opificum, nobilium, & comitum. Imò in Republica spirituali sunt ordines Religionum, vt ordo sancti Francisci, sancti Dominici, &c. Et communiter dici solet, quòd vnaquæque Respublica tunc benè se habet, quando suum vnusquisque ordinem seruat. Demum, vt in sequenti quæsito dicam, in omnibus rebus est ordo. Antonomasticè autem hoc nomen translatum est absolutè ad significandum ordinem illum, qui est inter gradus ministrorum Ecclesiæ; & postea inde translatum est nomen, Ordo, ad significandam potestatem, quã habet minister ecclesiasticus exercendi ex officio aliquod munus circa sacramenta. Demum inde translatum est nomen, ordo, ad significandum sacramentum, quo talis potestas ministrandi tribuitur ministro; quod sacramentum propriè est ordinatio ipsa, vt mox in quæsito tertio dicetur. Et in hac significatione præcipuè sumitur à nobis in hac parte.

2 Quæritur secundò. Vtrum verè in Ecclesia sit ordo? Vuicleph, vt refert Vuald. Tom. 3. De sacram. cap. 3. existimauit in Ecclesia non esse ordinem. Hunc eundem errorem ab orco suscitauit Lutherus, qui in suo pestilenti libro De abroganda Missa priuata, dicit. Quòd in populo Christiano debet esse summa simplicitas, ita vt in eo nullus sit superior, & nullus inferior; sed omnes æquales, Nec vllus debet esse Clericus; nullus Monacus, nullus Sacerdos, nullus Diaconus; sed quòd omnes sint Clerici, Monaci, Diaconi, Sacerdotes. At veritas Catholica est: quòd in Ecclesia Dei verè est ordo; est enim Dei Ecclesia Regina circundata varietate sedens à dextris Christi, vt habetur Psal. 44. & non est monstrum quoddam sine capite, & sine mẽbris, vt impiè existimarunt hæretici. Et probatur, quia in omnibus rebus est ordo; ergo & in Ecclesia. In Deo ipso est ordo generationis, Pater enim à nullo, filius à patre procedit, & Spiritus sanctus ab vtroque. In Angelis est ordo; imò sunt nouem ordines, inter quos sunt inferiores & superiores; & inferiores illuminantur a superioribus. In rebus naturalibus est ordo, sunt enim cœli superiores; elementa inferiora, & mixta ex elementis, & inferiora desumunt vim generandi à superioribus. Quare dicit Aristot. in lib. metheor. Quòd inferiorum virtus à cęlestium orbium latione gubernatur. In omni Republica est ordo, sunt enim qui regunt, & qui reguntur; alioquin necessariò destrueretur: Ergo & in Ecclesia erit ordo, quæ inter politias primum obtinet locum. Quare D. Dionys. Areopag. Ecclesiam militantem ad instar Hyerarchiæ cœlestis depinxit

xit Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus distinctam. Et D. Paul. in 1. ad Timoth. cap. tertio, vult in Ecclesia esse Episcopos, & Diaconos, & ibi enumerat conditiones Episcopi. Quòd videlicet sit vnius vxoris vir, hospitalis, non vinolentus. Idē dicit de Diaconibus. Et Act. 14. legitur. Quòd Apostoli constituebant presbyteros per singulas ciuitates. Et D. Paul. ad Tit. 1. dicit. Hac de caussa reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas; & in ciuitatibus constituas presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Vana ergo est Lutheri opinio, qui in ministerio Ecclesiæ voluit tantùm esse prędicatores, qui eligi debeant à populo.

Sed dicet aliquis. In Ecclesia nō deberet esse prælatio, & subiectio; quia subiectio dicit seruitutem quandam; sed in Ecclesia deberet esse summa libertas. Secundò, unusquisque in Ecclesia deberet se existimare inferiorē: ergo nullus deberet esse prælatus, iuxta illud D. Paul. Inuicem superiores arbitrantes.

3 Quæritur tertiò. Vtrum Ordo in Ecclesia sit sacramentum? Resp. quòd si per ordinem non intelligamus habitudinem, & relationem, quæ est inter ministros Ecclesiæ; sed ordinationem ipsam, per quam in Ecclesia fiunt ministri circa sacramenta, Ordo est sacramentum. Et probatur primo ex ijs, quę diximus in prima Parte istius tractationis, vbi probauimus sacramenta esse septem, inter quę connumeratur Ordo. Secundò probatur ex Concil. Flor. sub Eug. 4. De vnione Armen. Vbi determinatur, quòd Ordo in Ecclesia est sacramentum. Tertiò probatur ex Concil. Trid. sess. 23. can. 3. vbi anathematizatur ille, qui dixerit ordinem in Ecclesia, si pro ordinatione sumatur, non esse sacramentum. Quartò probatur, quia sacramētū est sacrę rei signū, sed qn̄ Episcopus porrigit calicē cū vino, & patenā cum hostia ordinando dicens. Accipe potestatē offerendi sacrificium, &c. tunc significatur res sacra; idest potestas, quę tribuit illi, qui ordinatur, consecrandi verum Christi corp⁹, & simul significatur gratia, quę tribuitur illi, qui ordinatur, vt dignè possit suum munus exercere.

4 Atque ex ijs infertur ꝙ Ordo, vt est sacramentum, benè desfinitur à Mag. sent. in 4. d. 24. esse signaculū quoddā, per quod spiritualis potestas tribuitur ordinato. Vbi per signaculum non est intelligendus character, quia character est ipsamet spiritualis potestas; sed ordinatio ipsa, quę est signaculū, idest signū, seu sacramentū per quod spiritualis potestas tribuit ordinato.

Ad primū respondeo, ꝙ in Ecclesia superiores non sunt sicuti domini, qui habeant sub se seruos: sed sunt, vel esse debent ministri inferiorum, ita vt ipsi sint propter inferiores. Quare in Ecclesia est summa libertas.

Ad secūdū dico, ꝙ vnusquisq; debet aliū existimare superiorem quantùm ad merita, non autem quantùm ad officium. Et ita intelligit D. Paulus.

5 Quæritur 4. Vtrū Ordinis sacramētū sit ad salutē ęternam necessarium?

Ad hoc dico primo, quòd ordinis sacramentū non est necessariū ad salutē vnicuiq; personę immediatè: Nō enim necessarium est, quòd vnusquisque ordinetur, vt saluari possit.

Dico 2. ꝙ ordinis sacramentū est ad salutē consequenda Reipubl. Christianę necessarium: Nā vt dr̄ in Catechis. Rom. vbi de ordine ī principio, si quis aliorum sacramentorum naturam, & rōnē diligēter cōsiderarit, facilè ꝑspiciēt ea oīa ab ordinis sacramento, ita procedere, vt sine illo partim cōfici, & administrari nullo mō q̄ant, partim sollēni cęremonia, ac religioso quodā ritu, ac cultu carere videant. Nisi .n. esset sacerdos, qs cōsecraret? qs absolueret? qs vnctionē extremā ministraret? qs matrimonio īteresset ꝑter Paroch. &c.

Imò

Imò quis ipsummet Ordinis sacramentum conferret? Quare cùm Lutherani, & alij hæretici auferant sacramentum Ordinis, non videtur mirũ si illorum aliqui tantùm Baptismi sacramẽtum confiteantur, & illud sine solemnitate ministrandum: quia & Sacramentum Baptismi nullus, præter ordinatũ, potest cum cæremoniis, & debita solemnitate ministrare.

6 Quæritur vlt. Quisnam instituerit sacramentum Ordinis? Resp. quòd Christus Dominus. Et hoc probauimus in prima Parte istius Tractatus. Vbi diximus. Christum solum habuisse potestatem excellentiæ instituendi sacramenta; & quòd licet potuerit cõmunicare eandem potestatem alijs hominibus; eam tamen non communicauit propter rationes, quas attulim⁹. Idem determinauit in particulari Cõcil. Trid. sess. 23. can. 3. Vbi anathematizat eos, qui dixerint, Christum non instituisse sacramentum Ordinis; sed esse hominum inuentum, & maximè idiotarum; & etiam eos anathematizat, qui dixerint, Ordinem esse tantùm deputationem concionatoris, aut ministri sacramentorum.

7 Sed dices. Quãdo Christus instituit sacramentum Ordinis? Respond. quòd certum est, Christum in vltima cœna instituisse sacerdotium cùm Apostolis dixit. Hoc facite in meam commemorationem. Sed de alijs Ordinibus nihil certi apud Euangelistas habemus quantùm ad tempus institutionis. Quando verò secundum probabilitatem, si conijcere fas est, Christus alios Ordines instituerit, dicam infra.

CAPVT SECVNDVM.

De numero Ordinum, & de officio cuiuslibet ordinati.

1 *Ordo quotuplex.*
2 *Cur septem.*
3 *Diacono cur vngantur manus, & tradatur liber.*
4 *Quæ spectent ad Diaconi munus.*
5 *Quædam de Subdiacono.*
6 *Officium acoliti.*
7 *Officium ostiarij.*
8 *Lectoris.*
9 *Exorcistæ.*
10 *Psalmistatus an sit ordo.*
11 *Prima tonsura num sit ordo.*
12 *Quædam de clerico, & illius tonsura.*
13 *Episcopatus num sit ordo.*
14 *Episcopo deturne gratia in sui ordinatione.*
15 *Deturne in Ecclesia alius ordo supra Episcopatum.*

1 IN hoc capite quæritur primò. Vtrũ Ordines sint plures? Resp. quòd cõuenientissimum fuit in Ecclesia non vnum tantùm esse Ordinem, sed plures. Primò, propter pulchritudinem, quæ pulchritudo maximè consistit in varietate ordinata. Vnde Dauid Propheta videns Ecclesiam in spiritu. Psalm. 44. admiratur eam tamquã Reginam circundatam varietate, sedentem à dextris Christi. Et 3. Reg. cap. 8. Regina Saba maximè admirabatur propter sapientiam Salomonis, qui templum suũ tanta ministrorum varietate decorasset. Quòd si templum Salomonis, quod erat figura nostræ Ecclesiæ, erat ornatum tanta ministrorũ varietate; quantò magis debet esse ornata Ecclesia, quæ est figurata, varietate graduũ mini-

nistrorum? Secundò probatur, quia Ordines, vt in tertio quæsito dicam, instituti sunt in ordine maximè ad sanctissimam Eucharistiam consecrandam, & ministrandam; sed vnus solus minister maxima cum difficultate potuisset tale munus exercere: ergo conuenientissimum fuit, vt ad hoc munus obeundum plurimi essent in Ecclesia ministri, ac proinde plures Ordines.

Sed dices. Aristot.8. Ethic. dicit, ꝙ communitas, quæ regitur per vnum tantùm, est optima politia: Quare, dicit Regnum esse primum inter politias: ergo etiam in Ecclesia, quæ debet esse optima inter politias, vnus tantũ debet regere; ac proinde vnus tantùm Ordo debet esse in Ecclesia. Resp. ꝙ licet in Ecclesia sint plures Ordines, est tamen monarchia, seu sicuti Regnum; quia, vt postea ostendam in fine huius capitis, in culmine omnium ministrorum est Summus Pontifex, qui vices Christi in terris gerit. Reliqui verò ministri etiam sunt necessarij, quia Monarcha solus immediatè nõ potest omnia munera exercere; sicut etiam Regnum gubernari non potest, nisi Rex habeat sub se Magistratus Iudices, ac Prætores, qui populum gubernent.

Quæritur secundò, quot sint Ordines? Resp. secundum communiorem Doctorum opinionem, quòd septem sunt Ordines, nempe Sacerdotiũ, Diaconatus, Subdiaconatus, Acholytatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. Hunc numerum quàmplurimis sanctorum Patrum testimonijs probat Vualden. Tom.2. De Sacramentis.ca. 116. contra Vuichlephitas. Qui licet primò negassent Ordines in Ecclesia, quia primò dicebant non esse ordinem in Ecclesia, deinde sacris auctoritatibus adstricti admiserunt Diaconatum, & Subdiaconatum, alios negantes. Ibi citat Vualden. Anacletum, Ignatium, & Cornelium summos, & antiquissimos Pontifices, qui apertissimis verbis hos septem ordines admiserunt; imò prædicauerunt. Citat deinde D. Ambr. D. Hieronym. D. Eusebium, eosdem ordines enumerãtes. Postea citat Hugonem, Magist. sent. & vltimo citat omnes ferè Scholasticos, qui fuerunt ante ipsum; vbi & citat Conc. 4. Carthaginense ad hoc idem propositum. Hos eosdem auctores ferè omnes citat Victoria in sum. num. 225. & Sot. cum suis locis in 4. sent. d. 24. q. 1. art. 3.

Quæritur tertiò, quare ordines sint septem? Resp. quòd DD. Scholast. ad probandam conuenientiam istius numeri septenarij afferunt diuersas rationes. Sed melior omnibus est illa, quam affert D. Th. in 4. d. 24. q. 1. quæ est hęc. Omnes ordines sunt instituti in ordine ad sanctissimam Eucharistiam consecrandam, & ministrandam; sed ad cõsecrandam, & ministrandam sanctissimam Eucharistiam necessaria sunt septem ministrorum genera: ergo septem debuerunt esse ordines, quibus instituerentur ista septem ministrorum genera.

Primò necessarius est minister, qui consecret Eucharistiam, & illam ex officio ministret; & hic est sacerdos, & ad instituendum sacerdotem institut' est primus ordo, qui dicitur sacerdotium.

Secundò post sacerdotem requiritur minister, qui ministret sacerdoti ea, quæ sunt necessaria ad consecrationem, maximè panem, & vinum; & qui auxilietur sacerdoti in ministratione sanctissimæ Eucharistiæ: Et ad hoc munus instituitur Diacon', qui & hac de caussa Diaconus dicitur, idest minister. Cuius principale munus est ministrare sacerdoti in sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, maximè offerendo illi panem, & vinum: qui & in primitiua Ecclesia cùm ministrabatur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sub vtraque specie, in hoc auxiliabatur sacerdoti, quia ipse ministra-

bat sub specie vini. Non poterat autem ministrare sub specie panis, sicuti neque nunc potest extra casum necessitatis: quia cùm ministratur sanctiss. Eucharistiæ sacramentum sub specie panis, sacramentum ipsum, idest species consecratæ immediatè tangi debent; & ad hoc requiritur manuũ vn-

3 ctio, & quædam consecratio: Diacono autem in sua ordinatione non vnguntur manus, sed tantùm sacerdoti; quia ipse solus immediatè tãgere debet species consecratas: administrationẽ verò sacramenti sub specie vini non requiritur vt immediatè tangantur species; sed tangitur calix; in quo sunt species consecratæ.

Sed dices. Diaconus legit Euangelium ex proprio officio: ergo eius proprium officium non erit ministrare sacerdoti. Et augetur dubitatio. Quoniam Diaconus ordinatur per traditionem libri Euangeliorum, quasi quòd legere Euangelium sit eius officiũ proprium, & principale. Ad hoc resp. q; licet Diaconus ordinetur per traditionem libri Euangeliorum, & eius officium sit legere Euangelium; non tamen hoc est principale eius officium, sed secundarium: Primarium enim est, vt dixi, ministrare sacerdoti in celebratione Missæ, propter quod dicitur Diaconus. Quare verò ordinetur per traditionem libri Euangeliorum, potius quàm per traditionẽ alterius materiæ puta calicis, aut patenæ, vt ordinantur Subdiaconi, & sacerdotes, dicam infra.

Probatur etiam, quòd principale officium Diaconi sit ministrare sacerdoti hac ratione à Doctoribus. Ordines sunt instituti, vt diximus, in ordine ad consecrandam sanctissimam Eucharistiam, sed magis dirigitur ad consecrãdam Eucharistiam porrectio panis, & vini; quam facit Diaconus sacerdoti; quàm lectio Euangelij.

4 Dices secundò, potestne Diaconus aliquando ex officio ministrare Eucharistiam sub speciepanis? Resp. affirmatiuè in casu tantũ necessitatis, prout dixi, fusèque explicaui, vbi de sanctissima Eucharistia actũ fuit in quarta Parte istius Tractationis.

Quòd si dicas. Non habet manus vnctas: ergo neq; in casu necessitatis poterit ministrare Eucharistiam sub specie panis. Resp. quòd necessitas non habet legem vnctionis illius. Si autem esset tantùm subdiaconus, hoc non posset facere, vt dictum est vbi supra.

Dices tertiò, potestne Diaconus solemniter ex officio baptizare? Ad hoc resp. quòd non, nisi in casu necessitatis, non quidem pueri, quia in casu necessitatis puer est baptizandus sine solemnitate, & potest à quocunque homine baptizari; sed in necessitate ministrorum: vt si in tota aliqua Prouincia essent tantùm Diaconi, & non sacerdotes, vt faciebat D. Laurentius, & vt fiebat in primitiua Ecclesia propter raritatem sacerdotum. Et de hoc fusè vbi de Baptismo in 2. Par. istius Tractatus. Non posset autem hoc facere Subdiaconus.

Dices vltimo, potestne Diaconus ex officio prædicare? Resp. quòd non; vt optimè dicit Catechismus Rom. & D. Tho. 3. p. q. 67. art. 1. Sed prædicare est officium Episcopi proprium. Coguntur etiam Parochi prædicare, quia Episcopus non potest vbique esse: Potest etiam Diaconus, sed ex delegatione.

Quòd si dicas. Episcopus quando ordinat dicit Diacono. Memẽto quòd tuum officium est baptizare, & prædicare. Resp. quòd baptizare intelligitur, vt supra diximus, vt optimè ait Sot. in 4. d. 24. q. 1. artic. 3. & dicit esse D. Thomæ. Quantùm verò ad prædicationem intelligendus est Episcopus, vt dicunt prædicti Doctores, quãtùm ad declarationem quandam Euangelij per modum Catechismi, seu quantùm

tùm ad lectionem ipsius Euangelij.

5 Tertio loco post Diaconum requiritur subdiaconus ad consecrandã Eucharistiam: quia requiritur aliquis, qui ferat calicem cum patena, & qui Diacono inseruiat. Vnde subdiaconus hoc vocabulo nominatur, sicuti & Hypodiaconus, quia est ministri, idest Diaconi minister. Primarium ergo munus subdiaconi est ferre calicem cũ patena, & illum porrigere Diacono, qui & illi tribuit vinum. Secundariũ munus, vt dicit Concil. Carthag. 4. est habere vas aqua plenum, & mantile ad abluendas manus sacerdotis. Quarè præcipit dictum Conc. Carthaginense. Quòd postquàm Episcopus dedit subdiacono calicem cum patena; Archidiaconus det illi mantile cum vase, ad significandum, quòd in hoc etiam debet Diacono ministrare. Est prætérea, & aliud munus, idest legere Epistolam; Et dicunt Doctores, vt Hugo. Quòd subdiaconi sunt veluti Nathinei ministri, sicut & Diaconi sunt veluti Leuitæ. Hi enim erant ministri sacerdotum in Testamento veteri; Nathineo verò erant ministri Leuitarũ 220. Vt videre est lib. 1. Esdræ, cap. 2. & lib. 3. cap. 8.

6 Quartò requiruntur Acolythi, qui ferant luminaria. Vndè dicuntur Ceroferarij. Qui & præparare debent vrceolus cum vino, & aqua. Et dicuntur Acolythi, vel Acoluthi. Acolythus enim est idem, ac non prohibitus, Accolythus enim dicitur non prohibitus à sacris: quia potest; & debet in eo officio accendere luminaria; Acoluthus verò dicitur quasi famulus, & pedisequus, quia postquàm accendit luminaria debet postea subsequi cum vrceolis. Ex ijs autem duobus muneribus principalius est præparare vrceolos: quia magis refert præparare vrceolos, quàm ferre luminaria ad sanctissimam Eucharistiam consecrandam.

Præter dicta quatuor ministrorum genera requiruntur alia tria, inquit D. Thomas, ad præparandum populũ, & expurgandum, vt dignè possit sanctiss. Eucharistiam sumere. Tria autẽ sunt immundorum genera, vt ait D. Dionys. Areopag. cap. 5. de Ecclesiast. Hyerar. Quorum infimum est illorum, qui neque credunt quę credenda sunt, neque credere volunt; & hoc genus immundorum est omninò à sanctissima communione reijciendum; Et ad hoc officiũ institutus est ostiarius, qui ab Ecclesia expellere debet infideles, & excommunicatos; & sicut genus infidelium est infimum genus immundorum; ita & ostiariatus inter ordines est infimus. Ostiario autem in eius ordinatione dantur claues, & cimbalum, vel campanula; quia eius officium est excludere infideles, & vocare fideles. 7

Secundum genus immundorum est eorum, qui fidem quidem imbiberunt; sed nondùm in ea perfecti sunt; & hi sunt catechumeni, qui, vt possint aliquando accedere ad sanctiss. Eucharistiam, sunt instruendi. Et ad hoc munus institutus est Lector, vt leget lectiones maximè Testamenti veteris, ex cuius doctrina quodammodò manu ducitur homo ad percipienda legis euangelicæ mysteria. 8

Tertium immundorum genus est illorum, qui fidem quidem susceperunt, sed à Dæmone sunt obsessi: Et hi sunt energumeni. Et ad hos emundandos instituti sunt Exorcistæ. Atque ex ijs colligitur conuenientissimum fuisse septenarium numerum ordinum. 9

Sed dices. Pluribus in locis apud Gratianum in Decretis inter ordines connumeratur Psalmistatus. Imò & in Conc. Carthag. 4. ergo non sunt tantùm septem ordines. Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 3. dicit, Psalmistatum non differre ab ordine Lectoratus, nisi secundũ modum: Psalmi enim sunt pars Testamenti veteris, sicut & Prophetiæ. Prout Lector canit psalmos dicitur psal- 10

mista; prout verò legit lectiones Prophetiæ dicitur lector. Alij Doctores dicunt, quòd Psalmistatus non differt à cæteris Ordinibus minoribus, quoniam & Lector, & Acolythus, & alij, qui admittebantur à Parocho ad psallendum dicebantur Psalmistæ. Vndè Psalmista nō instituebatur ab Episcopo, sicut Ostiarius, Lector, &c. Sed à Parocho tantùm, qui poterat simplices etiam clericos in Chorum ad psallendum instituere. Quare & Concil. Carthag. 4. cùm prius dixisset munus esse Episcoporum Ordines conferre; de Psalmistatu deinde dicit hęc verba. Psalmista, idest Cantor potest absque licentia Episcopi, sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero. Vide, vt quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis operibus comprobes.

Sed hic sunt nonnullę dubitationes, quarum prima est. Vtrum, prima tonsura sit ordo, aut sacramentum? Canonistæ ferè omnes, vt etiam refert Nau. in Man. cap. 25. dixerunt, Primā tonsuram esse Ordinem, sicut & Episcopatum: Volunt enim Ordines esse nouem. Et Canonistarum opinionem ex Theologis sequuti sunt Maior. in 4. dist. 24. & Ecchius in sermone quodā De Ordinibus. Sed communior antiquorum, & modernorum Theologorum opinio est. Quòd prima tonsura non sit Ordo, nec Sacramentum, sed præparatio quædam, & dispositio ad ordines suscipiendos: Sicut nouitiatus in Religione, & catechismus ante Baptismum sunt dispositiones, præparationes, & approbationes quædam ad vota in Religione emittenda, vel ad Baptismum suscipiendum. Nam si prima tonsura esset ordo, non tantùm septem essent ordines, quod esset contra grauissimos, & antiquissimos Doctores. Secundò probatur, quia in huius signum quando datur prima tonsura non est necessaria Missæ celebratio, sicut quando conferuntur Ordines. Et quando datur Prima tonsura non datur aliqua potestas; sed tantùm quodammodo segregatur puer, vel homo à populo; & fit in sortem Dei: Vnde dicit Episcopus. Dominus pars hæreditatis meæ, &c. cleros enim græcè idē est, quòd sors latinè; & ideò qui fit clericus in Dei sortē eligitur; quasi quòd clericus contemnere debeat quodammodò res temporales, contentus sua sorte, qui est Deus ipse; est enim Deus pars hæreditatis illius.

Quòd si dicas. Ergo qui fiunt clerici deberent abrenuntiare bona patrimonialia, & alia temporalia, si quæ habent; quia sibi dicitur illud Ps. Dominus pars hæreditatis meæ. Vbi & D. Hieronym. dicit. Quòd Deus dedignatur esse pars cum istis temporalibus. Videmus tamen contrarium. Imò ordinari non possunt, saltem in sacris, nisi habeant temporalia. Resp. quòd dicitur clericis Dominus pars hæreditatis meæ non quia omninò relinquere debeant temporalia, illa enim sunt ad victum necessaria; sed quia minus debent esse anxij, & solliciti de temporalibus, quàm alij: Et ideò cùm prima tonsura initiantur tondentur in anteriori parte capitis: quia cùm Deus sit principalis sors eorum, mentem in eum eleuatam semper habere debent. Et in posteriori parte capitis: quia res temporales paruifacere debent. Et penes aures: quia eas apertas habere debent omni de Deo conuenienti sermoni.

Secunda dubitatio est, quare clerici coronam in medio capitis habere debeant? Resp. primò propter rationem iam dictam, idest vt significetur, quòd sicut à clerico amouentur capilli, qui sunt excrementa quædam; ita ab eius sollicitudine, & anxietate res temporales amoueri debent, quæ ad vitam spiritualem parùm faciunt.

Resp. 2. ad ostendendam dignitatē regiam,

regiam; nam seruire Deo regnare est; clerici autem peculiari quodammodo debent Deo seruire magis, quàm laici.

Resp.3. quia corona, quæ fit clericis in medio capitis, est figuræ rotundæ, quæ est perfectissima inter figuras, ad ostendendum quòd clericus inter homines deberet esse summæ perfectionis.

Quartò, ad distinguendum clericos à laicis.

Quintò, & vltimo, In signum memoriæ coronæ spineæ Christi Domini, in cuius signum fertur D. Petrus Apostolorum princeps, quòd in exemplum coronam in capite à principio Ecclesiæ vsque ad vitæ suæ finem gestarit. Atque hinc conijcere possumus, quòd antiquitus corona clericorũ non erat illa pars capitis rasa, quæ modò corona dicitur; sed erat capillorũ corona; antiquitus enim clerici omnes tendebant se sicuti modò religiosi Monachi: Vndè in Conc. Tolet.4. habentur hæc verba. Omnes clerici, vel Lectores, sicut Leuitæ, & Sacerdotes detonso desuperius capite, toto inferius solam circuli coronam relinquant, nõ sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores audent, qui prolixis, vt laici, comis, in solo capitis apice circulum tondent. Sed contra coronam clericorum multa dixerunt Hæretici; maximè Vuicleph, & Lutherus, contra quos infinitos sanctorum Patrum textus affert Vualden. li.5. De sacram. Tom.1. Et multos etiam Sot. in 4. dist. 24 q.1. art.1.

13 Tertia dubitatio est. An Episcopatus sit ordo ab alijs distinctus?

Vualdens. lib.2. de sacramentalib. c.60. in Tom.1. dicit, quòd Vuicleph, quia non potuit obtinere Episcopatum, quem ambiebat, disseminauit hæresim hanc; quòd Episcopi nullam habeant potestatem magis, quàm Sacerdotes; Et quòd sacerdotes omnes eandem, quam Episcopi, potestatem habent. Quare dicebat. Quòd sacerdotes possunt ordinare, confirmare, Basilicas consecrare, &c. E contra verò Canonistæ omnes, vt videre est in ca. Cùm contingat. De ætat. & qualit. ordinan. dixerunt Episcopatum esse Ordinem distinctum à cæteris ordinibus; & ita tenuit etiam Nau. in Man. ca.22. num.18. Vbi dicit, quòd apud Theologos ordo est septuplex, apud Canonistas nouemplex, sed apud ipsum octuplex. Nam Canonistæ inter ordines connumerant primam tonsuram, & Episcopatum; sed ipse Nauarrus quantùm ad Episcopatum concordat cum Canonistis, quantùm verò ad primam tonsuram concordat cum Theologis. Ex Theologis autem duo fuerunt, qui Canonistarum opinionem sunt sequuti dicentesque Episcopatum esse ordinem, sicut & primam tonsuram. Hi fuerunt Maior, & Ecchius loc. citatis.

Sed pro responsione ad dubitationẽ dicendum est cum D. Th. in 4. dist.24. quòd nomen Ordinis potest sumi duobus modis, vel prout significat officiũ quoddam, dignitatem, & gradum; vel prout significat ipsum sacramentum ordinis. Si primo modo sumatur, Episcopatus est ordo, idest officiũ quoddam, dignitas, & gradus ab alijs Ordinibus distinctus; quia Episcopus consecratus est, & in ordine ad sacramentum potest aliqua facere, quæ non potest sacerdos simplex, aut alius ordinatus; puta ordinare, confirmare, consecrare Ecclesias, Virgines benedicere, &c. Et hæc potest Episcopus non tantùm de iure humano, sed etiam diuino, quia quomodocunque impediatur à Sum. Pontifice, vel à quolibet alio potestas Episcopi per degradationem, dignitatis, aut beneficij priuationem, si tamen tentabit Episcopus ordinare, aut confirmare, licet peccet mortaliter, confirmatio, & ordinatio tenebit; sicut si sacerdos excommunicatus, suspensus, aut degradatus tentet consecrare, consecratio tenebit; licet

cet

cet talis sacerdos mortalissimè peccet. Quare sicut potestas sacerdotis est de iure diuino; ita & potestas Episcopi, quæ est circa sacramenta, erit de iure diuino. Si verò sumatur nomen Ordinis secundo modo, Episcopatus non est ordo distinctus à sacerdotio. Et probatur. Primò, quia alioquin Doctores Theologi grauissimi, quos citauimus in principio istius capitis errassent enumerando tantùm septem ordines. Secundò, quia si ordinatur aliquis, & consecratur Episcopus antequàm fiat sacerdos, consecratio nihil valet: ergo signum est, quòd Episcopatus non est sacramentum à sacerdotio distinctũ, quia Episcopatus supponit necessariò sacerdotium. In alijs Ordinibus non videmus hoc; nam quoniam sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus sunt inter se distincta sacraméta, hinc fit, quòd si aliquis non Subdiaconus, nec Diaconus suscipiat ordinem sacerdotij verè ordinetẽ; Pari modo si quis fiat Diaconus antequàm fiat Subdiaconus, erit verè ordinatus. Et ratio huius est, quia licet hi ordines inter se cõnexionem quandam dicant; sunt tamẽ re vera distincti ordines: Episcopatus verò dicit talem connexionem cũ Sacerdotio, vt non sit ordo ab illo distinctus; sed tantùm potestas quædam, & officium, & dignitas, vt dixi. Quare Episcopatus erit sacerdotium quoddam, sed dignius, & habens maiorem potestatem, quàm illud Sacerdotium, quod communiter dicitur sacerdotiũ. Multas alias rationes affert Sot. in 4. d. 24. q. 2. art. 2. & 3.

Sed dices, quomodo Episcopus potest ordinare, confirmare, &c. si Episcopatus non est ordo, vel sacramentum distinctum à sacerdotio? Nam dare potestatem ad aliquid efficiendum circa sacramenta, quæ potestas est character, pertinet ad aliquod sacramentum, maximè ordinis: Nihil enim confert characterem, nisi sacramentum. Ad hoc respondent Theologi, maximè Sotus loc. cit. Quòd Episcopus qñ consecratur non recipit nouum characterem distinctum à charactere Sacerdotij; Sed ille idem character, qui est sacerdotij, tunc dilatatur, & fit amplior, quia illi annectitur potestas ordinandi, & confirmandi, &c.

14 Quòd si dicas. Cum illa dilatatione characteris datur ne noua gratia? Respond. idem Sotus, quòd non ex opere operato; quia tantùm sacramenta dãt gratiam ex opere operato, consecratio verò Episcopi non est sacramentum. Dabitur tamen aliquis gradus gratiæ ex opere operantis, idest iuxta Episcopi, qui consecratur, deuotionem.

15 Vltima dubitatio est. Vtrum, supra episcopalem dignitatem sit aliquis gradus, officium, aut dignitas superior in Ecclesia Catholica? Respond. secundum communem Doctorum Catholicorum opinionem. Quòd supra Episcopos sunt Archiepiscopi; qui dicuntur Archiepiscopi quasi principaliter Episcopi; & hi dicuntur Metropolitani, quia aliquam iurisdictionem habent supra Episcopos suæ Prouinciæ. Supra Archiepiscopos sunt primates, qui ita nominantur, quia sunt primi post Vicarium Christi Summum Pontificem, inter quos sunt Patriarchæ, qui dicuntur Patriarchæ, Idest principales Patres: Qui antiquitus in toto orbe erant quatuor, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus: Postea verò facti sunt alij, vt Patriarcha orbis noni: Quia, vt dicit Anicetus Papa, quando aliquis populus conuertitur ad fidem, si magna sit eius multitudo, Primas institui in illo potest. Supra Patriarchas aũt est vnus Summus Pontifex Romanus, quẽ Illustrissimus circumstat Cardinaliũ cætus, qui sunt eius consiliarij; imò & qui ipsũ eligũt; Supra quẽ Summũ Pontificem est Deus Opt. Max. Qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum.

CA-

CAPVT TERTIVM.

De materia, forma, & effectu cuiuslibet Ordinis.

1 IN hoc capite quæritʳ primo. Vtrũ, omnes suprascripti septem Ordines sint sacramenta?

De hoc sunt quatuor inter Doctores Catholicos opiniones. Quidam.n. dixere tantùm sacerdotium verè Ordinis sacramentum esse: Inter hos est Duran. in 4. sent. dist. 24. In cuius sententiã magnoperè inclinat Sotus, Durandi opinionem probabilissimam esse dicens, eiusque rationes maximã vim habere. Ita iu 4. d. 24. q. 1. art. 4.

Alij dixerunt. Diaconatum, & Sacerdotium esse sacramentum: quia de illis tantùm fit mentio in sacra scriptura.

Alij tertiò dixerunt. Tres ordines maiores tantùm esse sacramenta, & quòd ideò ordines sacri nuncupantur. Hanc opinionem deffendit Sotus loc. cit. & Victoria in summa.

Alij demùm dixerunt. Omnes septẽ Ordines esse sacramenta. Et huius opinionis fuit D. Thomas, D. Bonauent. Riccar. Alens. & alij.

Ego pro solutione istius difficultatis dico primo, Sacerdotium esse Sacramentum. Et de hoc nulla est inter Catholicos Doctores dubitatio: Cùm enim Ordo inter sacramenta connumeretur, & sacerdotium sit principalis ordo, saltem sacerdotium erit sacramentum.

2 Sed dices primo, quando nam hoc sacramentum sacerdotij fuit institutũ? Resp. vt supra dixi. Quòd quantùm ad consecrationem sanctissimæ Eucharistiæ institutum fuit in vltima cœna: Quantùm verò ad potestatem, quam habet sacerdos supra corpus Christi mysticum, idest absoluendi à peccatis, Ioan. vlt. institutum fuit, cùm Apostolis Christus dominus Accipite, inquit, Spiritum sanctum. Et quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & cætera.

3 Dices secundo, Si sacerdotium est sacramentum, quænam est eius materia, quæ forma, & qui effectus? Resp. secundum communem Doctorum opinionem, quòd materia sacerdotij est calix cum vino, & patena cum hostia.

Forma

Forma verò ſunt ea verba, quę profert Epiſcopus, quando calicem, & patenā cum pane, & vino porrigit ordinando; quæ ſunt. Accipe poteſtatem, &c. Effectus autem ſacramenti ſacerdotij eſt character, qui eſt poteſtas conſecrandi; cui poteſtati eſt annexa alia poteſtas, ideſt abſoluendi. Gratia item eſt effect⁹ ſacerdotij, niſi ponatur obex: quæ gràtia ideò datur, vt ſacerdos ſua poteſtate dignè vti poſſit.

Dices tertiò, quando confertur hæc gratia? Et quando imprimitur character? Reſpondeo, quando perficitur ſacramentum: Sacramentū verò perficitur quando Epiſcopus applicat materiam, & formam, Epiſcopus autem applicat materiam, & formam quando porrigit calicem, & dicit hæc verba. Accipe poteſtatem, &c.

Sed magna hic oritur dubitatio. Vtrum, manuum impoſitio, quam facit Epiſcopus ſupra ſacerdotis caput, dicens. Accipe Spiritū ſanctum, quorum remiſeritis, &c. ſit de eſſentia ſacramenti ſacerdotij? Et certè videtur quòd ſit. Primò, quia ſacerdos habet duplicem poteſtatem, vnam conſecrādi, alteram remittendi peccata: ſed ſicut Epiſcopus mentionem facit poteſtatis conſecrandi quando porrigit calicem; ita poteſtatis abſoluendi mentionem facit quando ſupra caput ordinandi manus imponit: ergo ſicut illa porrectio calicis eſt de eſſentia ſacerdotij: ita & hæc manuum impoſitio erit de eſſentia ſacerdotij.

Secundò. Chriſtus Dominus diuerſis temporibus tradidit Diſcipulis prædictas duas poteſtates; primam in cęna; alteram Ioan. vlt. vt ſuperius diximus; ergo nec erit mirum ſi Epiſcopus diſtinctis temporibus vnum, & eundē inſtituat ſacerdotem.

Tertiò. Apud Apoſtolos in ordinatione ſacerdotis nulla fit mentio, quòd ſacerdotes aliter, quàm per manuum impoſitionem, ordinarentur; ergo manuum impoſitio àd ſacerdotij ſacramētum erit maximè neceſſaria. Quòd apud Apoſtolos fiat mentio tantùm impoſitionis manuum cùm ordinabantur ſacerdotes probatur etiā ex D. Pau. Qui in 1. ad Timot. 4. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetam cum impoſitione manuum presbyterij. Et cap. 5. ait. Nemini manum citò impoſueris; quo loco de ſacerdotum ordinatione loquitur. Et in 2. epiſt. ad eundem Timot. cap. 1. ſic dicit. Admoneo te, vt reſuſcites gratiā, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyterij.

Propter has tres rationes non defuerunt aliqui, qui dixerunt, ordinationem ſacerdotis eſſentialiter protrahi à porrectione calicis vſque ad impoſitionem manuum, quam facit Epiſcopus; ita vt impoſitio ipſa ſit de eſſentia ſacerdotij.

D. Thomas circa hoc non ſatis ſe declarat: Nam in 4. d. 24. q. 2. art. 3. dicit. Quòd quando Epiſcopus offert calicē, & patenam cum pane, & vino dat ſacerdoti principalem poteſtatem: In quæſt. verò ſequenti, art. 1. in reſp. ad 1. argum. dicit, quòd quando Epiſcopus offert calicem imprimitur character: quando verò imponit manus ſupra caput ordinandi confert gratiam.

His tamen non obſtantibus. Dicendum eſt, vt ſupra diximus, quòd ſacramentum ſacerdotij confertur in porrectione calicis, &c. dicente Epiſcopo. Accipe poteſtatem, &c. Et tunc imprimitur character, & gratia confertur: non autem quando manus imponit.

Et hoc probatur primò, quia hoc idem tenet communior Doctorum opinio.

Probatur ſecundò, quia Florentina Synodus ſub Eug. 4. materiam, & formam ſacramentorum enumerās dicit, Materiam ſacerdotis ſolùm eſſe calicē cum vino, & patenam cum hoſtia; Formam verò eſſe illa verba. Accipe poteſta-

testatem, &c. nec inter materiam, & formam aliquam enumerat manuum impositionem; aut illa verba Accipe Spiritum sanctum, &c. Tunc autem fit sacramentum cùm materia, & forma sacramenti simul applicantur; quo tempore sacramentum confert suum effectum.

Probatur tertiò, quia absque dubio quando Episcopus dicit. Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c. cõfertur potestas consecrandi; cui potestati est annexa, & indiuidua potestas absoluendi: Alioquin vel dicendum esset, quòd non conferatur character, idest potestas consecrandi nisi in manuum impositione, cùm Episcopus dicit. Accipe Spiritum sanctum, &c. Et sic non esset vera significatio illorũ verborum. Accipe potestatem consecrandi, &c. Quia tunc non daretur hæc potestas: Vel dicendum esset, quòd in sacerdotij ordinatione duo imprimuntur characteres, vnus ad consecrandũ in traditione calicis cùm Episcopus dicit. Accipe potestatem offerendi, &c. alter ad absoluendum cùm Episcopus dicit. Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris, &c. imponendo supra caput sacerdotis manus; Et hoc esset incidere in Scyllam dùm volumus euitare Carybdim; nullus.n. vnquam imaginatus est duos characteres in ordinatione sacerdotij.

Sed posset aliquis dicere, quòd in traditione calicis datur character sacerdotij ad consecrandum; in impositione verò manuũ ille idem character dilatatur; ita vt character, qui erat potestas ad consecrandum, efficiatur ẽt potestas ad absoluendũ, eo modo, quo sacerdos quando in Episcopum consecratur dilatatur character sacerdotij; ita vt fiat etiam potestas ad confirmãdum. Sed neque hoc potest dici, quia sequeretur. Quòd si Episcopus moreretur post traditionem calicis ante manuum impositionem sacerdos posset absoluere ex delegatione; sed hoc falsum est, quia nullus potest absoluere, nisi habeat potestatem ordinis.

Ad primam rationem resp. quòd quando Episcopus dicit. Accipe Spiritum sanctum: Quorum &c. non tradit sacerdoti nouam potestatem, quam ante immediatè non haberet: sed tantùm explicat partem illius potestatis, quam sacerdos habuit in porrectione calicis, & patenæ, quæ est potestas absoluendi. Quare, sensus horum verborum. Accipe Spiritum sanctum, est referendus ad illud idem tempus, quo prolata fuerunt alia verba videlicet. Accipe potestatem offerendi, &c. cùm enim hæc verba. Accipe Spiritum sanctum significent alteram potestatẽ sacerdotis, & sint verba ipsiusmet Christi debuerunt proferri ab Episcopo in ordinatione sacerdotis: sed quoniam commodè nõ poterant proferri simul cũ alijs verbis, in quibus significatur, & datur principalis potestas, cui est annexa secundaria, ideò postea referuntur non ad dandam nouam potestatẽ; sed ad significandam potestatem iam datam. Hæc responsio est Soti in 4.d. 24.q.1. art. 4. & bona quidquid dicat summa Corona contra ipsum Sotum.

Ad secundam rationem resp. quòd Christus, qui habuit potestatem excellentiæ potuit vtramque potestatem separatim Apostolis tradere. Sed hoc non possunt Episcopi, quia supra sacramenta non habent tantam potestatem, quantam habuit Christus.

Ad tertiam rationem resp. quòd impositio manuum, quam facit Episcopus supra caput sacerdotis non est de essentia sacramenti sacerdotij, sicut & vnctio manuum; sed est sacramentale quoddam necessarium necessitatẽ prę cepti. Et hoc probatur ex ca. Presbyter. tit. De Sacramentis non iterandis. Vbi determinatur, quòd impositio manuum non est de essentia sacramenti Ordinis. Apud Apostolos verò ordinatio

natio sacerdotis manuũ impositio appellata est; quia sicuti nunc, ita & tunc non fiebat sine manuum impositione. Credere tamen debemus quòd & ipsi Apostoli in ordinatione sacerdotij vterentur vera forma, & vera materia à Christo Domino instituta, quæ ad nos peruenit per traditionem: Sicut Apostoli dicebantur imponere manus quãdo confirmabant, vt videre est Act. 8. & 19. & tamen probabilissimum est, quòd Apostoli vterentur chrismate, & nõ solùm per impositionem manuum confirmarent, vt diximus in 3. par. isti⁹ tractatus; Et hæc de Sacerdotio dicta sufficiant.

6 Dico secundò, quòd ordo Diaconatus est etiam sacramentum: Et probatur primo, quia est communior Doctorum opinio, à qua non est temerè recedendum. Secundò, quia impositio manuum est signum collationis sacramẽti; sed Act. 6. legitur, quòd Apostoli imposuerunt manus supra septem Diaconos.

7 Sed dices, quisnam instituit hoc sacramentum Diaconatus? Resp. quòd Christus instituit: Nam omnia sacramenta à Christo instituta fuerunt. vt habetur in Conc. Trid. sess. 7. Et probabile est, quòd hoc sacramentum instituerit in vltima cœna, sicut Subdiaconatum, & Acolytatum; quia tunc instituit Christus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, & sacerdotium; vt diximus; ergo probabile est quòd etiã tunc instituerit Christus ministros, seu ministrorum ordinationem, qui sunt necessarij ad sanctiss. Eucharistiæ sacramentum conficiendum, & ad adiuuandum sacerdotem in tali ministerio.

8 De materia autem Diaconatus est controuersia inter Doctores; Nã Scot. in 4. d. 24. dicit, quòd officium Diaconi non est legere Euangelium; & propterea innuit, quòd liber Euangeliorũ non sit materia Diaconatus. Duran. in eadem dist. idem dicit; sed existimat ordinationem Diaconatus cõsistere in impositione manuũ; & in illis verbis. Accipe Spiritum sanctum. Sed contra Duran. facit canon Presbyter, supra cit. Riccar. in eadem dist. dicit, librum Euangeliorum esse materiam Diaconatus; & ita tenendum est; nam litẽ abstulit Conc. Flor. quod determinauit librum Euangeliorum esse materiam Diaconatus.

Quòd si dicas. In primitiua Ecclesia non erat liber Euangeliorum: Nam D. Matthæus, qui primus inter Euangelistas scripsit Euangelium, vt dicunt Historici, scripsit decem annis post passionem Christi; ergo in illis decem annis non poterant ordinari Diaconi. Resp. quòd forsitan tunc temporis ex diuina dispensatione sufficiebat tradere potestatẽ Diaconibus legendi Euangelium, & alia munera exequendi. Vel dicendum est, quòd illis tradebatur aliqua charta, in qua esset scripta vita, vel pars vitæ Christi. Ita Sot. in 4. sent. d. cit. artic. 3. q. 1. Forma Diaconatus sunt illa verba, quæ dicit Episcopus in porrectione libri Euangeliorum. Effectus est character, idest potestas exequendi munus suum; de quo supra diximus; & gratia ad illud dignè exequẽdum.

Dico tertiò, quòd ordo subdiaconatus est etiam sacramentum. Et probatur primò, quia est communior Doctorum opinio. Secundò, quia sic videtur vsus Ecclesiæ; quæ eodem modo astringit Subdiaconos ad votum castitatis, & ad recitandas Horas canonicas, sicut & Diaconos.

Quòd si dicas. In sacris litteris non fit mentio de subdiacono sicut de Diacono. Ad hoc resp. D. Tho. in 4. dist. 25. Quòd sub nomine Diaconatus intelligitur etiam in sacris litteris subdiaconus: quia subdiaconus est minister licet ministri, & propterea sub nomine Diaconi intelligitur. Et in primitiua

na Ecclesia propter raritatem ministrorum non fiebat seorsim mētio Diaconi, & Subdiaconi; & etiam probabile est, q Diaconus exerceret vtrumque officium propter raritatem ministrorum, vt dixi. Institutor Subdiaconatus fuit Christus propter rationem supradictam tempore vltimæ cęnæ.

10 Sed de materia est dubitatio. An sit liber Epistolarum? Nam si conijcere volumus ex Diaconatu sicut liber Euāgeliorum est materia Diaconatus, ita liber Epistolarum debet esse materia Subdiaconatus. Sed Conc. Flor. [illegible]terminauit materiam subdiacona[illegible] esse calicem sine vino; & patenam [illegible] pane. Et ratio huius est, quia calix, & patena magis indicant officium subdiaconi, quàm liber Epistolarum; principale enim officium subdiaconi non est legere Epistolam, vt supra diximus in quæsito 3. istius capitis; sed inseruire Diacono in officio Missæ, ad quā Missam magis dirigitur calix cum patena, quàm lectio Epistolæ; Nam in calice, & patena fit consecratio panis; & vini. Diacono autem non datur alia materia, quàm liber Euangeliorum; quia non restabat tertium quid magis directum ad Sanctiss. Eucharistiam, quod illi tradi posset; nā calix vacuus traditur subdiacono; plenus traditur sacerdoti; calix verò non potest esse nisi plenus, vel vacuus; propterea necesse fuit tradere Diacono materiam, quæ saltem significaret eius secundarium munus. Hæc ratio affertur etiam à Soto.

Forma subdiaconatus sunt verba Episcopi, quæ profert in traditione calicis. Effectus est character, & gratia, vt diximus.

11 De Ordinibus minoribus Mag. sent. in 4.d.24. existimauit illos non esse sacramenta. Eandem opinionem sequitur Sotus eadem dist.q.1.art.4. vbi dicit. Ordines minores nec esse sacramēta, nec imprimere characterem, nec conferre gratiam, neque forsitan fuisse à Christo institutos. Ratio eius est, quia non dicuntur ordines sacri sicuti cæteri maiores; si enim ordines minores essent sacramenta essent ordines sacri, quia sacramentum est res sacra. Deindè inquit Sotus ordinibus minoribus non esse annexum votum castitatis; sed possunt ordinati in minoribus contrahere matrimonium; Item ordinibus minoribus non est annexa obligatio recitandi officium; imò neque B.Virginis; imò neque graduale, licet aliqui absque ratione aliter dixerint; Hoc autem signum est, quòd non sunt sacramenta.

His tñ non obstātibus dico quarto, quòd probabile est etiā ordines minores esse sacramenta à Christo domino instituta, & ea imprimere characterē, & conferre gratiam. Primò, quia hæc est opinio D.Th. in 4. d.24. & communior Doctorum; Nam eam sequitur D.Bonau. Riccar. Palud. & oēs Scholast. antiquiores. Secundò, quia ordines minores non possunt iterari; & hoc est signum quòd imprimunt characterem, ac proindè quòd sint sacramenta. Tertiò, quia eadem die posset vnus recipere ordines minores, & aliquem ex maioribus. Quartò, quia rationes Soti parùm valent; nam si quid probant tantùm probant ordines maiores esse perfectiora sacramenta; quā minores; quod concedendum est; & propterea dicuntur sacri. Vel, vt alij dicunt, quia ordinati in maioribus sacra tangunt vasa; quod non est permissum ordinatis in minoribus. Periculum tamen non est quamlibet ex duabus opinionibus deffendere affirmatiuam, vel negatiuam.

12 Sed dices. Si sunt sacramenta quænam erit eorum materia? Resp. quòd Acolytatus sunt urceoli: Exorcistatus est liber Exorcismorum: Lectoratus liber Prophetiarum: Ostiariatus claues, vel tympanum: Forma verò sunt verba,

ba, quæ profert Episcopus cùm porrigit dicta instruméta. Effectus erit character, & gratia vt de alijs tribus diximus. Munus est illud de quo supra diximus. Et notandũ est, ꝙ statim ac ordinatus in minoribus suscepit ordines potest suũ munus exercere præter Exorcistã, qui nõ põt exorcizare nisi facultate ab Episcopo impetrata; qm̃ ad expellẽdos Dæmones requiritur maior vitæ sanctitas, prudentia, & experientia : q̃ illa, quæ nunc temporis est in ijs, qui tales suscipiunt ordines; qui vt plurimùm sunt pueri, vel adolescentes.

13 Rursus si dicas. Quando nam Christus instituit hos ordines? Resp. ꝙ si cõijcere, licet possumus dicere, Christũ instituisse Ostiariatũ Mar. 11. cũ flagello ex funiculis facto ementes, & vendẽtes ab Ecclesia eiecit. Lectoratũ Luc. 4. cũ in medio Doctorũ legit librũ Isaiæ. Exorcistatũ quando septem Dæmones à Magdalena eiecit. Vel potius Mar. 7. Cùm dixit surdo, & muto Epheta, qđ est adaperire. Acolytatum verò instituit in vltima Cœna, quia magis dirigitur ad sanctiss. Eucharistiam.

14 Sed restarẽt nonnullæ dubitationes soluendæ ad maiorẽ supradictorũ euidentiã. Quarũ prima est. Vtrùm ordo sit vnum tantùm sacramentum; an verò plura sacramenta? Nã si vnum est: ergo Diaconatus, & Subdiaconatus nõ sunt sacramenta. Si sunt plura: ergo non tantùm septẽ sunt sacramenta in Ecclesia, sed plura. Respondeo, ꝙ etiãsi omnes ordines sint sacraméta; verum tamen est dicere, ꝙ ordo est vnũ sacramentum, quia vnum est principale sacramentũ in ordinibus, idest sacerdotiũ: reliqui verò ordines sunt sacramẽta, prout pẽdent à sacerdotio, vel ꝓut dicunt ordinẽ ad sacerdotiũ; sicut aĩa nostra rationalis est substantia quędã, quæ habet potentias, i. intellectũ, & voluntatẽ, quæ potentiæ nõ sunt potentiæ, nisi in ordine ad ipsam animã: Quare, nõ dicuntur tres animę, licet sit vna substantia animæ, & potentiæ simul dicuntur vna anima. Ita D. Th. in 4. d. 24. Sacramentum enim ordinis, inquit D. Thomas, non diuiditur in septem ordines tamquam totum integrale in suas partes; sicuti diuiditur homo in caput, thoracem, pedes; &c. alioquin sicut non est verum dicere caput est homo; ita non esset verum dicere. Subdiaconatus est sacramentum. Neq; diuiditur tamquã vnũ vniuersale in sua particularia eo modo, quo diuiditur anima in hominem, & leonem; nam verum non [illegible] Subdiaconatus, & sacerdo[illegible]nt duo sacramenta; sicut est ve[illegible]cere vnus homo, & vnus leo sũt duo animalia; sed diuiditur tamquã totũ quiddã principale in ipsummet principale, & in alia, quæ ab ipso pendent, seu ad ipsum ordinãtur, eo modo, quo diuiditur anima in substãtiam, & suas potentias. Quare sacramẽtum ordinis erit totũ quiddam simile toti analogo; in toto enim analogo est aliquid, quod est principale, quod dicitur principale analogatum; & deinde sunt alia, quę dicuntur talia prout dicunt ordinem ad principale: Vt homo dicitͬ sanus principaliter, quia in se formaliter continet sanitatẽ: Vrina dicitur sana in ordine ad hominem sanum, quia ostendit, & significat hominem esse sanum: Deambulatio dicitur sana, quia conseruat hominem in sanitate: Medicina dͬ sana, quia efficit sanitatẽ: Quare si homo non esset, reliqua non dicerẽtur sana. Ita sacerdotium dicitur sacramentum ordinis principaliter; reliqui verò ordines dicuntur sacramenta in ordine ad sacerdotium.

15 Secunda dubit. Vtrum de necessitate sacramenti ordinis sit, vt ordinãdus tangat instrumentũ, qđ sibi ab Episcopo porrigitur qñ intendit eũ ordinare? Caiet. quolib. 1. q. 16. dixit talem cõtactũ esse de necessitate sacramenti; sed in sum. ver. ordinandi dixit contrariũ. Sot. in 4. d. 24. q. 1. ar. 2. dicit. Talẽ cõtactum

ctum non esse necessariũ necessitate sacramenti:sed timidè id dicit,quia dubitat errare in re magni momẽti. Quare in fine dicti articuli concludit contrariũ esse tenẽdũ. Sed dicendũ est necessariũ esse necessitate sacramenti, vt ordinandus tangat instrumentũ,quod sibi ab ordinante porrigitur qñ ordinatur. Et probatur primo à simili; Nã Baptismus nõ põt esse sacramentum, nisi eius materia,i.aqua tãgat eũ,qui baptizãdus est,vt probauimus in 2. Par.isti⁹ tract. Confirmatio non põt esse sacramentũ,nisi oleũ consecratũ tangat eũ, qui vult confirmari; Pariter dicitur de Extrema vnctione: ergo neq; sacramẽtum ordinis põt esse sacramentũ, nisi fiat contactus materiæ ab eo, qui vult ordinari. Probatur 2.quia accipere est correlatiuũ illius,quod est dare; sed de necessitate sacramẽti ordinis est quòd Episc. porrigat,& det instrumẽtũ ordinãdo:ergo & de necessitate eiusdẽ erit, ꝙ ordinandus illud tãgat, & accipiat.

16 Sed dices, qñ nã debet fieri hic contactus instrumẽti ab eo, qui vult ordinari? Resp. ꝙ tunc qñ ab Episcopo porrigitur,dicente, Accipe potestatẽ,&c. Nã si post aliquod tempus ordinandus tangeret instrumentũ, & non qñ ordinans illud porrigit, nõ esset ordinatus: sicuti si baptizandus nõ tangeretur ab aqua qñ baptizatur,sed postea nõ esset baptizatus. Motiuum aũt Soti, & Caiet.quare dixerint contactũ hunc non esse necessariũ, fuit,quia D.Th. in 4.d. 24. dixit sacramentũ ordinis verè materiã non habere; sed instrumentum, quod porrigitur ordinando ab Episcopo,esse potius signũ sui officij, & muneris; q̃ materiã. Sed de hoc nũc null⁹ relinquitur dubitãdi locus: qm̃ Conc. Flor.post D.Tho.determinauit,instrumentũ,qđ porrigitur ordinãdo ab Episcopo, esse materiã sacramẽti ordinis.

17 Tertia dubit. quare forma sacramẽti ordinis profertur per modũ imperatiuum, cùm non ita fiat in alijs sacramentis? Ad hoc resp. Soto in 4.d.24.q. 1.ar.4.ex D.Th.ꝙ a sanctificatio,idest, & gratia,& character, qui datur ordinando, non datur in ordine ad perfectionẽ ipsiusmet secundũ se; sed in ordine ad alios,i.ad populum christianũ: Nam ille, qui ordinatur, constituitur persona publica, & perficitur per gratiã,& characterem in ordine ad alios. Quare,sicuti quando creatur Rex, aut Magistratus cùm illi datur sceptrũ, vel claues Vrbis, aut aliud Insigne Reipu. dicitur illi imperatiuè. Accipe potestatẽ,&c.quoniam non fit Rex,aut Magistratus propter se,sed propter alios, & ita constituitur persona publica:ita cũ quis ordinatur imperatiuè illi dicitur. Accipe potestatẽ,&c. quia non ordinatur propter se, sed propter alios. Secus in alijs sacramentis;quia qui v.g.baptizatur propter se baptizatur,&c.qui cõfirmatur propter se confirmatur.

18 Quarta dubit. Vtrum ille, qui vult suscipere ordines, teneatur illos suscipere sine conscientia peccati mortalis? Idest vtrũ teneatur habere contritionẽ peccati mortalis si aliquòd commisit, vel dubitat commisisse; de quo alias nõ credit se habuisse sufficientem dolorẽ? Resp. ꝙ absque dubio ille, qui recipit ordines maiores cũ conscientia peccati mortalis peccat mortaliter peccatò sacrilegij; & tãtò grauius est peccatũ, quãtò altior est ordo,quẽ recipit:Nam multò maius peccatũ est cũ cõscientia peccati mortalis recipere ordinẽ sacerdotij;quàm Diaconatus;& similiter de alijs.De ordinibus verò minoribus dico secundũ oẽs DD. ꝙ si verè sunt sacramenta,vel ordinãdus probabiliter credit, aut dubitat eos esse sacramẽta peccat mort. si illos recipit, vel illorũ aliquem cum conscientia peccati mortalis.Et hoc probauimus in 1. Par. istius tract.cùm diximus, ꝙ recipere,vel ministrare sacramenta quælibet in peccato mortali est peccatũ mortale ꝓpter irreuerentiam,quæ fit sacramento.

Sed

19 Sed dices. Prærequiriturne confessio in eo, qui est in pecc. mortali, vt possit ordines dignè suscipere? an verò sufficit contritio? Resp. quòd necessariò non prærequiritur confessio, sed tantùm ad benè esse: quia, vt dixi in prima Par. istius Tract. ad dignè ministranda, vel recipienda sacramenta sufficit contritio post peccatum mortale. Excipitur tamē sumptio sanctiss. Eucharistiæ, vt diximus in 4. par. istius Tract. Quare si ille, qui vult suscipere ordines, vult statim sumere sanctiss. Eucharistiam, vt fit in nostra Ecclesia Mediolanensi, tenetur non tantùm habere contritionem; sed etiam confiteri habita Confessarij copia. Hoc autem non est ratione ordinis; sed sanctissimæ Eucharistiæ.

20 Quinta dubit. Vtrū ordinatus, qui est in conscientia peccati mortalis, peccet mortaliter exercendo suum proprium officium.

Ad hoc dico primò, quod de sacerdotio nulla est dubitatio apud Doctores, saltem quoad sua principalia munera: Nam qui cum conscientia peccati mortalis consecrat, aut absoluit sacramētaliter, peccat mortaliter peccato sacrilegij.

Dico secundò, quòd de Diacono, & Subdiacono varia est Doctorum opinio. Sunt enim, qui dicunt eos peccare mortaliter si cum conscientia peccati mortalis solemniter legunt Epistolam, Euangelium, & Sacerdoti ministrant. Verùm probabilior opinio est, quòd non peccent mortaliter: quia, vt optimò ait Sotus loc. cit. in officio ordinū non est spectandus ipse ordo quātùm ad peccatum, vel ordinati dignitas: sed est spectandum obiectum, circa quod versatur mun⁹ ordinati. Sacerdos peccat mortaliter exercendo munus suum in peccato mortali, quia immediatè versatur circa conficiendum, vel ministrandum sacramentum, quod sacramentum in se continet sanctitatem: at verò Diaconus, & Subdiaconus in suo officio versantur circa lectionem Euangelij, vel Epistolæ, quæ lectio nō continet in se sanctitatem, sicut sacramentum, vel circa administrationem, quæ fit sacerdotij, quæ non est res, quæ sanctitatem in se habeat, sicut sacramentum: & si non peccat Diaconus, vel Subdiaconus exercendo suum munus in peccato mortali; multò minus peccabunt inferiores ordinati exercendo suum munus in peccato mortali. Erit tamen graue peccatum veniale, quia arguitur satis notabilis irreuerentia.

21 Sexta dubitatio est. Quare ex ordinibus aliqui dicantur sacri; aliqui verò non? Ad hoc respond. D. Thom. in 4. distinct. 24. id esse; quia qui sunt initiati ordinibus sacris vasa sacra tāgere possunt; reliqui verò non. Sed melius est dicere, vt innuit Sotus eadem dist. quòd aliqui inter ordines dicūtur sacri, idest tres; quia qui illis sunt initiati sunt quodammodò Deo dedicati, & consecrati, in cuius signum Ecclesia prohibuit ne matrimonium cōtrahere possent; & ordinauit, vt quotidie teneantur recitare Horas canonicas, quasi sint omninò Deo dedicati, & consecrati. Qui verò minoribus tantùm ordinibus initiati sunt absque peccato matrimonium cōtrahere possunt; & non tenentur ad recitandū aliquod officium si nullum habeant Beneficium: quare non ita consecrantur Deo, sicut illi, qui initiantur ordinibus maioribus; & propterea ordines minores, etiamsi fortasse sint sacramenta, non dicuntur sacri respectiuè ad maiores.

CAP. IV.

De ministro Sacramenti Ordinis.

1 *Minister ordinis quis sit.*
2 *An quis Episcopo inferior possit ordines conferre.*
3 *An Episcopus præcisus ab Ecclesia possit illos conferre.*

1 IN hoc capite quæritur primò, quinam sit minister sacramenti ordinis? Resp. solum Episcopum ex proprio officio esse ministrum sacramenti ordinis. Et huius rei rationem affert D.Th.in 4.dist.25.quæ est hæc. Ad Regem, seu ad Rempub. pertinet instituere ministros publicos Ciuitatum: ergo & ad Episcopum, qui est primus in Ciuitate, pertinebit instituere ministros in Ecclesia; instituere autem ministros in Ecclesia idem est, ac ordinare: ergo ad Episcopum pertinebit ordines conferre.

Sed dices. Qui potest maius potest & minus; sed simplex sacerdos potest sanctissimum Christi corpus consecrare, quod est multò maius, quàm ordinare: ergo simplex sacerdos potest ordines conferre. Resp. quòd non est semper verum quòd ille, qui potest maius, possit & minus; maximè quando potestas efficiendi id, quod est minus, supponit potestatem efficiēdi id, quod est maius: Episcopus enim potest id omne, quod potest sacerdos, & deinde aliquid amplius. Valeret autem argumentum si Episcopus tantùm posset ordines . ferre, & non consecrare.

2 Dico secundò, quòd de licētia Sum. Pontificis Abbas, sicuti & quilibet alius sacerdos, potest ordines minores conferre, & primam tonsuram. Imò Abbates hoc habent de iure vt possint minores, & primam tonsuram conferre non quidem diuino, sed ecclesiastico: quia id est priuilegium à Summis Pontificibus antiquitus illis cōcessum; vt videre est cap.Quoniam. 69.d. Imò Host. ca.Cùm contingat. De ætate, & qualit.ordinand.& Panorm.ca.Quando. De consuetudine dicunt, quòd Parochus absque alia licentia potest conferre primam tonsuram: Sed consuetudo est in contrarium; & propterea hoc non est dicendum. De licentia autem Sum. Pontificis, vt dixi, simplex sacerdos id potest, & etiā minores ordines conferre clericis.

3 Quæritur secundò. Vtrum Episcopus hæreticus, excommunicatus, degradatus, suspensus, aut alio modo ab Ecclesia præcisus possit ordines conferre? Resp. quòd de hoc fuerunt tres opiniones Doctorum errantium. Nam alij dixerunt primò, quòd Episcopi excommunicati, hæretici, suspensi, &c. aut alio modo ab Ecclesia præcisi non possunt conferre ordines; & si tentant illos conferre verè non ordinant.

Alij secundò dixerunt. Quòd hæretici Episcopi, seù ab Ecclesia præcisi ordines quidem conferunt si conferre tentant; sed Episcopi, qui deindè ab illis sunt consecrati, verè ordines non conferant, etiamsi tentent eos conferre.

Alij tertiò dixerunt. Quòd Episcopi hæretici, seu excommunicati, & etiam Episcopi ab ipsis consecrati si tentant conferre ordines verè eos conferunt; Imò & simul gratiam dant cum characteris dilatatione.

Sed veritas catholica est, quòd Episcopi quomodolibet sint ab Ecclesia præcisi si tentent conferre ordines verè conferunt characterem ordinum, & verum sacramentum ordinis; sed non dant gratiam si ille, qui tales ordines suscipit, cognoscat Episcopum ordinantem esse ab Ecclesia præcisum: Et hoc apertè dicit D.Aug. tract.5. super Euan-

Euangel. D. Ioan. non enim attendenda est Episcopi probitas, inquit D. Augustinus, in ordinum collatione; quia non ipsi ministrant sacramenta, sed Christus per ipsos: Vndè ait D. Ioan. cap. 1. Ille, super quem videris spiritum sanctum descendere, est qui baptizat; Et hoc habetur c. Non nocet. 1. q. 1. & ita dicit apertè D. Greg. vt refertur cap. Quoniam. dist. 19. & nos idem latè probauimus in prima Part. istius Tract. vbi disputatum est. Vtrum, in ministro sacramentorum de necessitate sacramenti requiratur morum probitas, aut catholica fides. Idem probatur ratione: quia potestas ordinandi est character, quem habet Episcopus; sed per nullam hæresim, aut ab Ecclesia præcisionẽ amittitur character Episcopalis: ergo Episcopi si sint hæretici, aut ab Ecclesia præcisi possunt conferre ordines. Verum quidem est, vt dixi, quòd ille, qui à tali præciso, seu hæretico ordines suscipit, non recipit gratiam; sed peccat mortaliter; & per ecclesiasticos canones priuatur ab exequutione ordinum à talibus Episcopis susceptorum. Quare, si aliqui canones reperiuntur, vt est cap. Arrianus. 1. q. 1. & multi alij in eadẽ quęst. in quibus determinarunt Sum. Pontifices; quòd hæreticorum sacramenta, & sacerdotia sint inania, & vacua, intelligendi sunt quantùm ad ordinũ exequutionem; & quantùm ad gratiæ infusionem, non autem quantùm ad characterem: Et hoc modo exponendi sunt quàm plurimi textus Doctorum, quos affert Gratianus d. q. 1. & Mag. sent. in 4. d. 25. Pari modo idem dicendum est ad illos textus, in quibus habetur: quòd non suscipiunt ordines qui per pecuniam illos suscipiunt; nam intelligendi sunt quantùm ad gratiam, & ordinum exequutionem, quia ordinatus symoniacè est ipso iure suspensus; non autem quantùm ad characterem.

CAPVT V.

De ætate, & qualitatibus ordinandorum.

1 *Quinam possint ordinari.*
2 *Mulieres num sint capaces characteris.*
3 *Num puer ante usum rationis possit ordinari.*
4 *Sic ordinatus num teneretur seruare castitatem.*
5 *Aetas ordinandorum.*
6 *Possitnè quis inuitus ordinari.*
7 *Num teneretur obligatione castitatis.*
8 *Quomodo castitatis votum obliget ordinatum.*
9 *Requisita in ordinandis. Probitas.*
10 *Scientia.*
11 *Titulus.*

IN hoc capite quæritur primò, quinam ordinari non possint? Respondeo, quòd quantùm ad necessitatem sacramenti illi non possunt ordinari, qui non sunt capaces characteris ordinis. Huiusmodi sũt sexus fęmineus, & Hermaphroditi, qui ad sexum fœmineum declinant; tales enim si ordinentur ordinatio non tenet. Et ratio huius est, quia ordo dicit quandam prælaturam; sed fœminæ, & Hermaphrodyti ad sexum fœmineum inclinantes debent esse, vt habetur Gen. 3. viris subditi; dominantur enim fœminis viri; quia nó vir ex fœmina, sed fœmina ex viro fuit desumpta, Vndè habetur in 1. ad Cor. cap. 11. quòd sicut Christus est caput Ecclesiæ; ita vir est caput mulieris; & ideò cùm fœmina debeat esse viris subdita non potest esse capax ordinis, qui dicit quandam prælaturam supra populum. Secundò, sexus fœmineus non est capax ordinis, quia est sexus inconstans,

ſtans, & imprudens; & in ordinato debet eſſe maxima conſtantia, & prudentia: Nam, vt diximus in 1. Par. iſtius Tract. ſeptē ſacramenta Eccleſiæ correſpondent ſeptem virtutibus, Baptiſmus fidei, Extrema vnctio ſpei, Sanctiſſ. Euchariſtia charitati, Matrimonium temperantiæ, Pœnitentia Iuſtitiæ; Prudentia ordini, & confirmatio fortitudini. Tertiò, mulier non eſt capax ordinis, quia qui ordinatur efficitur ſponſus Eccleſiæ; ſed indecorū eſt. Quòd mulier ſit ſponſus Eccleſiæ &c.

2 Sed dices tertio. Character imprimitur in anima, non in corpore; ſed tàm eſt anima mulieris, quàm anima viri: ergo ſicut imprimitur character ordinis in homine, poterit etiam imprimi in muliere. Ad hoc reſp. quòd character ordinis imprimitur quidem tantùm in anima, quæ eſt forma corporis; ſed viri tantùm propter tres rationes iàm aſſignatas.

Dices ſecūdò, Antiquitus erant Diaconiſſæ, & Presbyteræ: Nam de Diaconiſſis fit mentio 27. q. 1. in Decretis c. Diaconiſſæ. Vbi ſtatuitur, quòd non ordinentur Diaconiſſæ, niſi peruenerint ad quadrageſimum ętatis annum; & c. Mulier. d. 32. fit mentio de mulieribus, quæ erant presbyteræ: ergo mulieres poſſunt ordinari. Reſpond. quòd verè antiquitus erant Diaconiſſæ; ſed non erant per ſacramentū ordinis inſtitutæ; ſed tantùm erant ſanctimoniales quædam, quæ per aliquam benedictionem deputabantur ad legendas Homilias, ſeu etiam Euangelium in ſuo Choro; Vt puta in Matutino; vel adminiſtranda ea, quæ ſunt neceſſaria ad Miſſam celebrandam clericis, ſacerdotibus inſeruientibus: Vndè Diaconiſſa idem eſt, quòd miniſtra. Presbyteræ verò erant illę ſanctimoniales, quæ erant cæteris ſeniores; presbyter enim idem eſt, quod ſenior. Et hæ erat deputatæ ad curam rerum eccleſiaſticarum, puta paramentorum Eccleſiæ; & ideò iſtæ dicebantur presbyteræ. Ita exponunt omnes Doctores, maximè Sotus in 4. d. 25. q. 1. art. 2.

3 Quæritur 2. Quinam poſſint ordinari? Reſp. quòd quantùm ad neceſſitatem ſacramenti omnes viri ſunt capaces ordinis ſiuè ſint coniugati, ſiuè non; ſiuè ſint in ætate legitima, ſiuè non; licet de neceſſitate præcepti non omnes viri poſſint ordinari.

Sed dices. Ergò puer ante vſum rationis eſt capax ordinis. Reſp. quòd licet Duran. in 4. d. 25. q. 2. dixerit, pueros ante vſum rationis non eſſe capaces ordinis: Contrarium tamen dixerunt alij Theologi, & omnes Canoniſtæ, vt videre eſt apud D. Th. in 4. diſt. 25. apud D. Bonau. Riccar. Palud. & alios in eodem 4. & eadem diſt. quòd ſi quis ante vſum rationis recipit ordines inferiores non eſt iterùm ordinandus, ſed poteſt effici ſubdiaconus. Et ratio tàm Theologorum, quàm Canoniſtarum eſt, quia ad recipienda ſacramenta characterem imprimentia non requiritur rationis vſus, vt apertè patet de Baptiſmo, & Confirmatione.

4 Dices ſecundò, ſi quis eſt ordinatus ante vſum rationis, teneturne ſeruare votum caſtitatis, an verò poteſt contrahere matrimonium? Riccardus lo. cit. ita perplexè loquitur, vt intelligi minimè poſſit. Aliqui dixerunt teneri ad votum caſtitatis. Sed Palud. & Sot. loc. cit. dicunt. Quòd talis non tenetur ad votum caſtitatis; ſed poteſt contrahere: Quia licet ad ſuſcipiendos ordines non requiratur vſus rationis; requiritur tamen ad emittendum votum; nam votum eſt promiſſio deliberatè facta Deo de meliori bono; ſed in carentibus vſu rationis nulla poteſt eſſe deliberatio. Verum tamen eſt, vt ait Sotus, quòd ſi talis quando deinde eſt capax rationis vellet fungi officio ordinum maiorum, deberet induci ad emittendum votum. Quòd ſi id facere

recusaret, aut vellet contrahere matrimonium ab officio deberet suspendi. Verissimum item est Episcopū peccatum maximum perpetrare si aliquē vsus rationis incapacem ordinet; Ratio est. Quia sua abutitur potestate.

5 De ætate autem, quæ requiritur ad maiores ordines suscipiendos, videndum est Concilium Tridentinum sess. 23.c.12. Et si quis ordinetur ante ætatē præscriptam a Conc. Trid. est ipso facto suspensus. Et si Episcopus scienter id facit maxima pœna puniri debet, nisi intercedat Summi Pontificis dispensatio.

6 Dices tertiò, vtrum. Ad suscipiēdos ordines in habentibus vsū rationis requiratur cōsensus? Idest, vtrum quis vi possit ordinari? Resp. Quòd dupliciter hoc potest intelligi, idest vel per vim, quæ est coactio; vel per metum cadentem in constantē virum. Si quis ordinetur coactè ordinatio nō tenet, eo modo, quo diximus de Baptismo in 2.par. Si vero quis ordinetur per metum ordinatio tenet; Sicuti est verè baptizatus qui propter metum baptizatur.

7 Quantum verò ad obligationē voti dicendū est. Quòd ille, qui ordinatus est per metum non cadentem in constantem virū absque dubio tenetur seruare votū castitatis: Quia secundū cōmunem Doctorū catholicorū opinionem votū emissum per metum, qui nō cadit in constantem virum obligat ad sui obseruationem, quia est verè votū: At si quis ordinatus fuit per metum cadentem in constantem virum non satis constat inter Doctores. Vtrùm Talis teneatur seruare votum, necne; est enim magna inter ipsos controuersia. Vtrùm Votum extortum per metū cadentem in constantem virum obliget ad sui obseruationem? Quod alijs affirmantibus nonnulli negant. Sed de hoc vbi de voto agetur.

8 Dices quarto, Ille, qui ordinatur nō habens intentionem emittendi votū castitatis, teneturne illud seruare? Resp. Affirmatiuè. Quia implicat contradictionē in nostra Ecclesia occidentali recipere sacrum Ordinem, & non emittere votum castitatis, quia ex statuto Ecclesiæ apud nos ordo, & votum solemne castitatis sunt res omnino cōnexæ, itaut vnus non possit velle recipere sacrum Ordinem, nisi etiam velit vouere castitatem; sed de hoc infra.

9 Quæritur tertiò. Quænam requirantur de necessitate præcepti ad sacros ordines suscipiendos? Res. Quòd præter legitimā ætatē, de qua supra diximus, in ordinando requiritur. Primò, Morū probitas. Secundo sufficiēs sciētia. Tertiò titulus Beneficij, patrimonij, aut alterius loci, vnde viuere possit, ne ordinat⁹ cogatur ostiatim mēdicare; & de ijs est singillatim differēdū.

Primò ergo requiritur morū probitas; Nā Mat. 5. de ordinatis dicitur, quod sunt sal terræ; & lumen Ecclesiæ; Et si sal euanuerit, in quo salietur? Si lumen ipsum extinguetur quis illuminabit? D. Paul. in 1. ad Timot. cap. 3. enarrat conditiones, quas habere debet ordinatus Episcopus, sub cuius nomine, vt alias dixi, intelligitur Sacerdos quilibet; & quas habere debet Diaconus, sub cuius nomine intelligitur Subdiaconus. Ibi enim dicit. Quòd debet esse innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cęlis factus; & antea dixerat, quòd debet esse irrepræhensibilis; non quidem quò nolit repræhensiones; sed quòd non habeat caussas repræhensionis. D. Dionys. Areopag. cap. 3. De cœlesti Hierarch. dicit. Quòd quantò quis est altior in ordinibus tantò magis debet Deo esse similis, vt ab ipso ad cæterùm populū radij diuini influere possint. D. Gregor. Pont. p. 1. Pastoral. dicit. Quòd in Testamēto veteri qui habebant maculā non poterant afferre panem; & qui erat surdus, vel claudus a ministerio sacrificiorū excludebatur; quia tūc in

in tali Testamento sub tegumentis rerum corporalium significabatur qualitas spiritualis, quæ in figurato ordinato esse debet. Quare sicut tunc nullus habens maculam corporalem poterat Deo panem offerre; ita nunc nullus habens maculam spirituale, sicut tũc claudus, vel surdus a ministerio sacerdotij excludebatur, ita nunc surdus, & claudus spiritualiter excludi debet ab eodem sacrificio; tantò magis, quantò maius est nostrum sacrificium illo Testamenti veteris. D. Hieronym. prout refertur 8. q. 1. dicit, Quòd ordinati sicut dignitate antecellunt non ordinatos; ita & bonis moribus antecellere debent; quia maximum detrimentum patitur Ecclesia, quando meliores sunt laici, quàm clerici. D. Ioan. Chrysost. in libro. De dignitate sacerdotum sic fatur. Ordinandi tantùm secundum mores distare deberent a cætero populo, quantum distat pastor rationalis ab ouib', quę irrationales sũt. Imò dicit. Quòd sacerdotes deberent esse Angeli, & Dij, quia ita in scriptura vocantur, hoc autem intelligendum quantùm ad mores, non quantũ ad naturam: quia est impossibile. Et certè immensum esset enarrare omnia Sanctorum Patrum dicta de moribus, & qualitate ordinandorum, quorum innumerabiles sententiæ extant in Decretis a dist. 25. vsque ad 50. Et ideo nemini mirum esse debet si Illustriss. Cardinalis sanctæ memoriæ Archiepiscopus noster in suis Concilijs decreuit, vt in delectu ordinandorum quisque afferat testimonia probitatis suæ a Parocho, à Præfecto spiritualium exercitationum, à Ludimagistro, a Confessario, & ab eo, qui cætera Sacramenta, maximè sanctissimam Communionem, ministrauit; & alia huiusmodi: quia, vt ait D. Pau. lo. cit. Diaconus, & Episcopus debent habere testimonium ab ijs, qui foris sunt: Et aliter Episcopus nõ potest conscientiæ suæ satisfacere quando ordinat. Si enim indignum omninò ordinat mortalissimè peccat, quia est Deo infidelis, & Ecclesiæ iniurius. Deo (inquam) infidelis: quia est contra illud Mat. 5. Fidelis seruus, & prudens &c. & Ecclesiæ iniurius, quia maximum damnum affert Ecclesiæ Episcopus quando in illa indignũ ministrum instituit. Et tandem multo magis ad suscipiendos ordines requiritur morum probitas; quàm monogania, aut legitimitas; quia hæc tantùm requiruntur de iure pontificio, sed morum probitas requiritur de iure diuino.

Dico secundò, quòd præter morum probitatẽ ad ordines ecclesiasticos ẽt requiritur sufficiens scientia: nam nõ omnis iustus debet se in Ordinibus ingerere; nam, vt ait D. Hieronym. rustica simplicitas tantũ destruere potest, quantum ædificare; & propterea ordinandus bonis moribus addere debet scientiam debitã. Quæ autẽ illa esse debeat dico generaliter, quòd vnusquisque, qui ordinãdus est, saltẽ ea scire debet & tenetur, q̃ sufficiunt ad obeũdũ munus ordinis, quẽ suscipere vult; & multa de hoc habemus in Con. Prouin. 4. Ecclesiæ Mediol. quæ, ne lungũ faciam, prætermitto: Sed tantùm dicam quæ in vniuersali Tridentina Synodo quantùm ad hoc negotium determinata fuerunt. Primùm enim de clerico determinauit Trid. Synodus sess. 23. cap. 4. Quòd nullus est initiandus Prima tõsura, qui fidei rudimenta edoctus non fuerit, quiq; legere, & scribere nesciuerit; Secundò determinauit cap. 11. Quòd qui Ordines minores suscipere voluerit saltem latinam linguam intelligat. Tertiò decreuit cap. 13. Quòd Subdiaconi, & Diaconi debent esse litteris, & ijs, quę ad ordinem exercendum pertinent, instructi. Quartò, ordinauit, quòd Sacerdotio initiandi sint tales

vt ad populum docendum apti sint ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & administranda sacramenta; & ad hoc confirmandum diligenti examine præcedente periculum fiat. Et ratio huius est, quia de iure diuino, vt alias probauimus, tenetur sacerdos sub pœna peccati mortalis aliquando ministrare sacramenta, quæ potest & Parochus, vt in casu necessitatis; & ideò vt adueniente tali casu sciat, quomodò se gerere debeat, quæ ad talia sacramenta ministranda requiruntur didicisse, ac meminisse tenetur. Atque hæc de doctrina ordinandorum dicta sufficiant; nam si plura dicere vellem, satis esset supra nonnulla sacræ scripturæ verba commentari: Vt supra illa, quia repulisti scientiam, & ego te repellam; aut supra illa. Labia sacerdotis custodiant scientiam. Quæ si benè considerentur, certè in illis videri potest, quæ teneatur efficere sacerdos ad scientiam sibi necessariam perquirendam.

11 Dico tertiò, quantùm ad titulum, quòd præter morum probitatem; & sufficientem scientiam debet vnusquisque ordinandus in sacris saltem aliquẽ Patrimonij, siue alterius loci puta Religionis, Seminarij, & huiusmodi habere titulum.

Dices: Paupertas est res optima, optimum Euangelij cõsilium; & quò magis quis est pauper, tantò magis placere Deo debet; & in huius rei testimonium legatur vita D. Francisci, & eius Religiosorum: ergo potiùs ordinandi essent pauperes, quàm qui per Beneficium, vel per aliquem alium titulum ditiores sunt. Resp. iuxta doctrinã Soti in 4. dist. 25. q. 1. art. 4. Quòd si nunc temporis ea sacerdotum, & ordinatorum sanctitas vigeret, & ea sæculariũ charitas, quæ antea vigebat pauperes ordinandi essent, magis, quàm diuites; sed quia nunc in clericis non apparet tanta sanctitas, & in laicis tantus ignis charitatis, quantus antea apparebat in Primitiua Ecclesia; ideò statutum fuit ne deinceps aliquis initietur ordinibus sacris, qui non habeat aliquem titulum, ex quo viuere possit, ne cogatur aliqua incommoda pati indigna clericatu: Si enim id non esset, videremus, inquit Sotus loc. cit. in resp. ad 4. arg. quàm plurimos sacerdotes, quorum & multos videmus huc, & illuc concursare, vt pro Missis eleemosinas conquirant, & pro alijs ordinum officijs. Et nos in hac nostra ciuitate quàmplurimos sacerdotes videm⁹, qui quoniam fortasse patrimonium, aut alium titulum non habent, ex finitimis Diœcesibus ad vrbem nostram confluunt, & pedagogi fiunt, in domibus nobilium sæcularium non sine magno sacerdotij dedecore commorantes. Sed iàm, inquit Sotus ibidem, ordines facti sunt officium merum de pane lucrando, quia Episcopi negligentes sunt, vt in delectu ordinandorum, quod facere debent, benè videant, non enim cateruam Iuuenum ordinare deberent, quales nunc ad ordines concurrunt; sed per paucos eligendo ex multis eos, qui probitate, & doctrina cæteros antecellunt; qui aliquod Patrimonium habeant, vel quibus ab Episcopo Beneficium procuretur. Atque hæc de ordine sufficiant.

TRA-

TRACTATVS DE SACRAMENTIS. PARS OCTAVA

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

HAEC pars diuiditur in ſex principalia capita; In quorum primo agitur, De ſponſalibus, quæ Matrimonium præcedere ſolent. In ſecundo agitur, De ipſomet contractu Matrimonij. In tertio agitur De impedimentis, quæ impediunt, & dirimunt Matrimonium. In quarto, De impedimentis, quæ impediũt, ſed non dirimunt Matrimonium. In quinto, De vſu copulæ matrimonialis, In quo capite præcipuè dicitur, Quandonam coniux teneatur reddere debitum coniugi;& quando illud teneatur non reddere. In vltimo agitur de ſeparatione Matrimonij quantùm ad vinculum; quantùm ad cohabitationem; & quantùm ad thorum.

Non debet autem mirum eſſe ſi hæc octaua Pars, quæ eſt de ſacramento Matrimonij, eſt aliquantulum prolixa, quoniam de Matrimonio variæ ſunt ſanctiones Imperatoriæ in lege ciuili; Varia ſunt Decreta ſacra ſummorum Pontificum, in lege canonica; Variæ ſunt inſtitutiones Matrimonij in ſacra ſcriptura; Inſtitutũ enim fuit Matrimonium ante peccatum in officium naturæ: Poſt peccatum in remedium concupiſcentiæ; & in lege noua tempore gratię, vt eſſet ſacramentum nouæ legis gratiam conferens ex opere operato; ſicut & alia nouæ legis ſacramenta. Tum demum, quoniam ſacramentum Matrimonij hoc habet peculiare inter alia nouæ legis ſacramenta, vt non tantùm ſit ſacramentum, ſed etiam contractus quidam naturalis, humanus, & ciuilis; & ideò, licet non vt ſacramentum ſaltem vt contractus eſt, poteſt Matrimonium eſſe non ſolum apud Chriſtianos; ſed etiam apud omnes alias nationes.

CAPVT

CAP. PRIMVM.

De Sponsalibus.

1 *Quid nomine sponsalium intelligatur.*
2 *Quid veniat nomine Sponsæ.*
3 *Copulam habens cum sponsa alterius num dicatur adulter.*
4 *Occidens inuentum cum propria sponsa, num sit excommunicatus.*
5 *Effectus sponsalium quoad obligationem fidei.*
6 *Effectus quoad impedimentum cõtrahendi cum alia.*
7 *Sponsalia iurata num soluantur per simplicia, & cur.*
8 *Quid si quis post promissionem factam vni contrahat cum alia.*
9 *Sponsus num possit cogi ad matrimonium contrahendum.*
10 *Sponsalia possintnè contrahi per nuncium.*
11 *Quid si mandatum sit reuocatum.*
12 *Vir promittens teneaturnè fæminam ducere, etiam si ea non repromittat.*
13 *Possitnè vnus pro alio sponsalia contrahere.*
14 *Per quæ verba contrahantur sponsalia.*
15 *Quid de sponsalibus contractis per verba amphibologica.*

DE sponsalibus tractant Canonistæ in 4. Decreta. tit. De sponsalibus. tit. De dispensatione impuberũ. tit. De sponsalibus clandestinis. & titu. De sponsa duorum. Item in sexto lib. 4. De dispensatione impuberum c. vnico. Quibus in locis de sponsalibus agunt, & Panor. Innoc. Fel. & alij Canonistę. Item de sponsalibus agunt Theologi Scholastici, D. Th. D. Bonau. Scot. Alexan. de Ales. Palud. Ricc. Duran. Sot. & alij cum Mag. sent. lib. 4. dist. 27. Itẽ de sponsalibus agunt Sylu. Ang. Tab. Caiet. Armil. & alij Summistæ in suis summis. ver. sponsalia. Demũ de sponsalib⁹ agit Nau. in Manu. ca. 22. n. 25. & infra; & Franc. Vict. in sum. sacram. à num. 259. & infra; Item & Catechis. Rom. vbi de Matrimonio.

Pro faciliori doctrina ea; quæ hic dicuntur de sponsalibus, diuiduntur in tria membra; In quorum primo dicitur quid sint sponsalia, & quem effectũ pariant. In secundo de ætate, quæ requiritur ad contrahenda sponsalia. Et in tertio de caussis, ob quas absq; peccato possunt dirimi sponsalia.

MEMBRVM PRIMVM.

De deffinitione sponsalium.

INter varias sponsalium deffinitiones, quæ afferuntur à Doctoribus Canonistis, Theologis, & Sũmistis illa existimatur melior, & clarior; quæ & affertur à Dom. Sot. in 4. sent. d. 27. q. 2. art. 1. concl. 1. quæ est hæc. Sponsalia sunt promissiones mutuæ viri, & mulieris de Matrimonio contrahendo. Cuius deffinitionis quatuor particulæ breuiter explicandæ sunt.

Dicuntur Primò sponsalia (promissiones) quia sponsalia veniunt à verbo spondère, quod significat spontè promittere: Vndè sponsus dr̃ quasi promissus; sicut & sponsa dicitur quasi ꝓmissa. Et antiquitus patres, aut matres, vel tutores, qui pro filio, vel pro filia Matrimoniũ promittebant, dicebantur sponsores: & inde dicta sunt sponsalia.

Dicuntur secundò sponsalia (promissiones mutuæ,) quia ad constituenda sponsalia non sufficit, quòd vir promittat Matrimoniũ contrahendum mulieri; sed etiam requiritur, vt mulier promittat viro Matrimonium contrahendũ, ita vt hinc, inde sit reciproca promissio de Matrimonio contrahendo.

Ter-

Tertiò sponsalia dicuntur(promissiones mutuæ viri, & fœminæ) quoniã ad constituẽda sponsalia non sufficit, vt pater pro viro, aut pro fœmina promittat; sed requiritur, vt ipsemet vir, & fœmina sibi inuicem promittant; nec Pater pro filia potest constituere sponsalia, nisi filia expressè, vel tacitè patri consentiat.

Vltimò (sponsalia dicuntur promissiones de Matrimonio contrahendo) quia si promissiones inter virum, & fœminam sunt de alia re, vt de emenda, vel vendenda possessione aliqua, non erunt sponsalia.

Sed circa primam particulam deffinitionis quæritur primo vtrum nomẽ sponsæ, de quo nomine facta fuit mentio in explicatione eiusdem primæ particulæ, habeat plures significationes apud sacros canones, & apud sacrã scripturã? Item quæritur qua significatione accipiendum sit nomen sponsæ cũ dicimus sponsum, vel sponsam a spõsalibus dici; Respondeo nomen sponsæ verè habere plures significationes, est enim æquiuocum: nam aliquando significat illam, quæ promisit alicui cõtrahere matrimonium cum eo, antequam ipsum matrimoniũ cõtrahatur. Secundò, aliquando sumitur pro ea, q̃ iam contraxit matrimoniũ per verba de præsenti, sed illud nondum consumauit. Tertiò, sumitur pro ea, quæ paulò ante contraxit matrimonium, & illud consumauit. Atque tantùm in prima significatione sumitur propriè nomen sponsæ cùm sponsa à sponsalibus dicitur; & in eadem prima significatione tantùm sumetur nomen sponsæ in toto hoc primo capite.

Neque abs re fuit prænotasse plures significationes nominis sponsæ, nam cognitio illarum maximè refert ad intelligendos, & interpretandos multos Pontificum canones, & aliquando sacram scripturam; nam 22. q. 1. cap. Si quis sponsam, nomine sponsæ intelligitur sponsa in prima significatione; hæc enim sunt verba capituli, si quis sponsam filij sui oppresserit filius aliã accipiat; quod non liceret si fuisset spõsa de præsenti, & cap. Qui desponsatam, in eadem quæst. per desponsatam intelligere debemus sponsam in secunda significatione; nam hæc sunt verba capit. Qui desponsatam proximo suo puellam sibi copulauerit anathema sit. Vbi postmodum Gregorius Papa auctor illius capituli appellat vxorẽ eã, quam appellauerat desponsatam puellam; sicut & Deuteron. 22. legitur hæc lex iudicialis, quòd si quis puellam virginem homini desponsatam sibi copulauerit morte moriatur simul cũ puella: puella, quia non clamauit; vir verò, quia vxorem proximi sui humiliauit: cùm ergo in eodem loco appelletur vxor proximi illa, quæ fuerat appellata desponsata, per sponsam, seu desponsatam necesse est, vt aliquando intelligamus coniugem, idest sponsam in secunda, vel in tertia significatione.

Sed dices primò. Vtrum, sicut nomine sponsæ aliquando intelligitur maritata, vt modò ostẽdimus, nomine maritatæ debeat aliquãdo intelligi spõsa in prima significatione? Ad hoc resp. Sylu. ver. spõsalia. §. 1. ꝙ in materia indifferenti, vel odiosa nomine maritatę nõ intelligitur sponsa in prima significatione, quoniam pœnæ sunt restringendæ: In materia verò fauorabili nomine maritatæ intelligenda est sponsa, etiam in prima significatione, quia fauores sunt ampliandi.

Dices secundò, si quis habuerit copulam carnalem cum spõsa alterius sumpto nomine sponsę in prima significatione, diceturne adulter? Respondeo quòd non, vt notat Couar. 1. p. cap. 1. num. 11. ratio huius est, quia adulterium committitur inter coniugatos: at sponsa in prima significatione non dicitur coniugata.

Atque

Atque hinc infertur primò, quòd si quis habuerit rem cum sponsa alteri', accepto nomine sponsæ in prima signi ficatione, cùm voluerit confiteri non tenetur dicere hanc circunstantiam, quòd illa, cum qua rē habuit erat spon sa alterius, vt ait idem Couar.cap.cit. num.13. Ratio est, quia talis circūstātia, licet grauet peccatum, non tamen mutat speciem.

Infertur secundò, quòd pœnæ quæ in lege imperatoria, & canonica circa adulteros ponuntur, non sunt infligendæ illis, qui sponsam alterius cognouerint, vt ait Couar. dicto cap. num. 14. quia non censentur adulteri.

4 Dices vltimo, vtrum si quis occideret clericum inuentū cum propria spōsa turpiter operantem, efficeretur excommunicatus? Ratio dubij est; quia, vt videre est apud Caiet. in sum. ver. excommunicatio, cap. 10. si quis occiderit clericum inuentum turpiter operari cum vna ex his quatuor personis, non censetur excommunicatus. Istæ autem sunt mater, soror, vxor, & filia: & hoc habetur cap. Si verò. tit. De sententia excommunicationis. Et ad quęsitum respondet Couar. n. cit. quòd talis homicida, qui occiderit clericū inuentum cum sponsa, erit excommunicatus excommunicatione papali. Ratio huius est, quia sponsa non est vna ex ijs quatuor personis, quæ excipiuntur in d. cap.

Quæritur secundò, circa eandē particulam deffinitionis sponsalium, quisnam sit sponsalium effectus? Respond. cum communi DD. opinione effectum sponsalium duplicem esse, quorum alter est de iure naturali; Et hic est obligatio, quæ oritur in sponso, & spon-

5 sa, ad contrahendum matrimonium. Ob quam obligationem de iure naturali tenentur inter se sponsi matrimoniū contrahere sub pœna peccati mortalis, si nulla intercesserit legitima caussa dissoluendi sponsalia ipsa: ita D. Th. in 4. distin. 27. & ibidem Scholast. dd. alij. Caussæ autem dissoluendi sponsalia, & cessandi à proposito contrahendi matrimonium permultæ sunt; de quibus infra dicam.

Atque ex hoc possumus cognoscere, quòd si quis sponsalia cum aliqua contraxit, non potest, cessante legitima caussa, cum alia matrimonium contrahere absque peccato mortali. Si tamen cum alia contraheret, matrimonium cum ea esset ratum, nec posset cū prima sponsa contrahere viuente illa, cum qua matrimonium contraxit; sed manere debet cum illa, cum qua contraxit; & pœnitentiam facere de fide mētita: ita habetur cap. Sicut. De sponsalibus. Et multò magis tenebitur habere pœnitentiam de fide mentita, si sponsalia, quæ contraxerat cum illa, cum qua postea non contraxit matrimonium; erant iurata; vt habetur cap. ex litteris. el 2. De sponsalibus. Quia intercedit periurium: ita Sylu. in sum. ver. sponsalia. §. 4. & omnes summistæ.

6 Secundus effectus sponsalium est impedimentum quoddam, quod dicitur impedire, & dirimere matrimonium, si contraheretur inter nonnullas personas: Et hoc dicitur publica honestas; & oritur hoc impedimentum ex sponsalibus, non quidem de iure naturali, sicut primus effectus, sed de iure canonico: de quo effectus, & de quo impedimento suo loco dicetur, vbi agemus de alijs impedimentis, quæ impediunt, & dirimunt matrimonium, capite tertio huius Partis.

7 Quæritur tertiò, vtrū sicut per contractum matrimonij factum cum vna persona dissoluantur sponsalia simplicia, vel iurata contracta iam antea cū alia persona: ita per sponsalia iurata dissoluantur sponsalia simplicia antea facta? Resp. quòd non secundum communem omnium DD. opinionem; Nā si Petrus cum Iulia contraxit sponsa-

lia sine iuramento; & deinde contraxit sponsalia cum Catherina cum iuramento, nisi contraxerit matrimonium cum Catharina, tenetur contrahere cum Iulia; & facere pœnitentiã de iuramento, quod fecit quando promisit Catharinæ. Et ratio est, quia promissio, q̃ fecit cum Catharina, postquàm promiserat Iuliæ, erat illicita; & iuramentũ, qđ cadebat supra illã promissioné, erat pecc. mort. neq; validũ iuramẽtũ, quia cadebat supra materiam indebitam.

Quòd si dicas, quare Petrus, si contraxit matrimoniũ cũ Catharina, dissoluit sponsalia, quæ contraxerat cum Iulia: & non ita si cũ Catharina contrahit sponsalia iurata? Resp. quia in matrimonio consistit realis datio: Datur enim in eo potestas corporis hoĩs fœminæ, & potestas corporis fœminæ viro: In sponsalibus verò, etiãsi sint iurata, tãtùm promittitur hæc datio, sed actu non exhibetur: Vt si aliquis ꝓmisit mihi vendere possessioné, quã deinde vendidit Petro, illa venditio facta Petro dissoluit ꝓmissioné mihi factã, licet non sine peccato venditoris, qui mẽtitus est: Secus esset si Petrꝰ nõ emisset talé possessioné, sed tantùm illi promissa fuisset; quia tunc promissio facta Petro non dissolueret promissionem mihi factam.

Dices secundò, quot peccata committit ille, qui promisit vni, & deinde promittit alteri fœminæ, cũ qua postea cõtrahit matrimoniũ? Resp. ꝙ duo ad minimũ: Vnũ qñ promisit secundæ, q̃a talis promissio erat illicita: Et si intercedit iuramentũ, erit multò maius peccatũ. Alterũ qñ cõtraxit matrimoniũ, quia tũc reddidit se impossibilé ad seruanda spõsalia, quæ cum prima cõtraxerat; quæ sola erant vera sponsalia.

9 Quæritur 4. vtrũ sit cogendus sponsus ad contrahendũ matrimoniũ, si nõ intercedit legitima caussa recedendi à sponsalibus? Ad hoc resp. Sylu. in sum. ver. sponsalia. §. 4. ꝙ est cogẽdus in foro conscientiæ. Idé dicit D. Th. in 4. d. 27. Et ratio huius est, qm̃ non est absoluendus in foro cõscientiæ ille, qui persistit in peccato; sed sponsus, qui nulla intercedẽte legitima caussa recusat cõtrahere matrimoniũ, quod promisit; persistit in peccato perfidiæ: ergo non est in foro cõscientiæ absoluendus: Et ideò in tali foro est cogendus ad cõtrahẽdũ matrimoniũ, cogere. n. in tali foro est nolle absoluere illũ, nisi habeat animũ standi promissis, vel nisi actu ipso stet promissis. Sed in foro contentioso dicit D. Th. lo. cit. ꝙ non est cogẽdus sponsus ad contrahendũ matrimonium cum sponsa si noluerit: Et ratio huius est, quia matrimonia coacta, vt plurimùm, infœlicem pariunt exitum.

Ex Canonistis aliqui dixerunt esse verã opinionem D. Th. qñ spõsalia nõ fuerunt iurata: sed si fuerunt iurata dicunt ꝙ ét in foro contentioso est cogẽdus sponsus ad contrahendũ matrimonium, si noluerit. Nonnulli alij Canonistæ dixerunt sponsum non esse cogẽdum in foro exteriori ad contrahendũ matrimoniũ, etiãsi sponsalia fuerint iurata. Et ratio huius, quam afferunt dd. Canonistæ, qui sequũtur hanc opinionem, est illa quam affert D. Th. & quã prius attulerat Innoc. 3. cap. Præterea. De sponsalibus, quia scilicet matrimonia coacta, vt plurimùm, pariunt exitum infœlicem. Ratio cõtrouersiæ, quæ circa hoc orta est inter Doctores Canonistas, fuit duorum Summorũ Pontificum auctoritas, qui in hoc visi sunt inter se contrarij: Nam Alexan. 3. cap. Ex litteris. el 2. eo. tit. dixit cogendum esse sponsum, qui noluerit contrahere matrimonium, ad contrahendũ. Luciꝰ verò Papa, qui immediatè Alexandro successit, c. Requisiuit. eo. tit. dixit non esse cogendũ sponsum ad cõtrahendũ, si noluerit; sed tantùm esse admonẽdũ.

Ego in hac Canonistarũ cõtrouersia dicã qđ dicit Sylu. §. 4. cit. id esse in Iudicis arbitrio, qui poterit cogere, &

non cogere, prout sibi melius videbitur. Vel melius dicendum est, seruandum esse stilum fori, vel Curiæ, sub qua est ipse sponsus.

Ad auctoritates Summorum Pont. ne videantur contrariæ, dicendum est quòd Alexander loquutus est quando probabiliter non timetur infœlix exitus Matrimonij; in tali enim casu poterit cogi sponsus ad contrahendum matrimonium. Lucius verò loquutus est quando probabiliter timeẽ infœlix exitus, qui, vt plurimùm, euenire solet ex matrimonio coacto.

10 Quæritur quinto, vtrum sponsalia possint contrahi per nuncium, & procuratorem? Respond. secundum cõmunem Doctorũ opinionẽ, ꝙ spõsalia possunt contrahi per nunciũ, & procuratorẽ, quia si matrimoniũ, qđ est maius spõsalibus; per nunciũ, & ꝓcuratores contrahi poteſt, vt postea dicetur; multò magis poterunt contrahi sponsalia per nuncios, & procuratores; quę sunt minora matrimonio.

11 Sed dices, si quis dedit alicui mandatum, vt pro ipso contraheret sponsalia cum aliqua; & deinde reuocauit mandatum; & non obstante tali reuocatione procurator contraxit sponsalia nomine procuratorij, eruntne valida sponsalia?

Dico primò, quod si reuocatio mandati fuit facta, & inthimata procuratori antequam procurator nomine principalis contraheret sponsalia, sponsalia nulla sunt, quia gesta per procuratorem postquam fuit reuocatum mandatum, & reuocatio fuit illi inthimata, non tenent: Sicut si dedi mandatũ procuratori ad renunciandum Beneficium in manu sum. Põtificis in fauorem alterius, & antequam procurator illud renunciaret reuocaui mandatum & reuocatio fuit procuratori inthimata, si deinde procurator renunciat nulla est renuntiatio.

Dico 2. quòd si procurator, vel nuncius contrahit sponsalia pòstquam reuocatum est mandatum, nulla sunt spõsalia, etiamsi procurator de reuocatione non fuerit factus certior, vt habetur cap. Procurator: De procuratoribus in 6. Non sic in alijs negotijs, quia si procurator, qui habuit mandatum renunciandi Beneficium, illud renunciauit post reuocationem mandati valet renunciatio, si procurator non fuerit factus certior de reuocatione mandati ante renunciationem. Cur autem matrimonium, vel sponsalia non possint esse valida si cõtrahantur per procuratorem post mandatum reuocatũ, etiamsi reuocatio non peruenerit ad aures procuratoris, ratio est: Quia in matrimonio necessariò requiritur consensus, qui est forma ipsius matrimonij, & postquàm reuocatur mandatũ cessat etiam consensus. Et quod dicitur de matrimonio extenditur ẽt ad spõsalia, quæ sunt via ad matrimoniũ.

1 Quæritur sextò, circa secundã particulam deffinitionis sponsalium, quã supra attulimus; Vtrum si vir promittat fœminæ teneatur eam ducere etiã si fœmina non repromittat? Respond. Quòd vir tenetur stare promissis, etiamsi fœmina non repromittat; & hoc non vi sponsalium, sed simplicis promissionis: Et si fœmina non repromittat statim dissoluitur obligatio promissionis factæ a viro vt ait Sylu. ver. sponsalia, in principio; nisi fœmina petierit tempus ad deliberandum; Quod si concesserit vir tenebitur aliquandiu expectare responsionem; Et si tardauerit fœmina respondere, dissoluetur promissio facta a viro; quia cùm fœmina diù tardat respondere censetur non acceptasse promissionem à viro factam, seu illam contemnere: Ita Sot. in 4. d. 27. q. 2. ar. 1.

13 Quæritur septimò, vtrum circa tertiam particulam allatę deffinitionis Pater possit contrahere sponsalia pro filio, vel filia, etiamsi nullam habeat com-

cõmissionẽ, seu mandatum à filio, vel filia contrahendi sponsalia? Resp. secũdum communem Doctorum opinionẽ quòd Pater, & mater, & frater, & quilibet amicus, seu alius homo absolutè potest pro alio, vel alia sponsalia contrahere; quæ tamen sponsalia nõ erũt valida, nisi postquàm accesserit cõsensus illius personæ, pro qua fuerint contracta siuè tacitè, siue expresse: Et aliquando pro tacito consensu sufficiet taciturnitas illius, pro quo contrahuntur sponsalia; vt si pater, vel mater præsente filia contrahant pro ipsa sponsalia, & ipsa non contradicit cùm audiat, & intelligat quòd pro ipsa promittant parentes cẽsetur consentire. Hoc autem, quod dicitur de taciturnitate dicit Syl. ver. sponsalia. §. 2. Vbi pro se citat Io. Andr. in nouellis, valere tantùm quando parentes pro filia tacente promittunt; non autem si alij, quàm parentes; etiamsi ipsa audiat; & hoc confirmat nonnullis legibus.

Quæritur 8. circa vltimam particulam allatæ deffinitionis, vtrum sponsalia sint omninò necessaria ad contrahendum matrimonium? Resp. quòd duplex est necessitas. Vna; quæ dicitur necessitas simpliciter. Alia, quæ dicitur necessitas secundum quid. Prima est; propter quam aliqua ità necessariò requiruntur ad faciendum aliquid, vt sine ipsis minimè fieri possit; & hoc modo cibus ad victum est necessarius, nã impossibile est sine cibo viuere. Alia necessitas est, secundum quam aliqua sunt quidem necessaria ad faciendum aliquid, non vt simpliciter illud fiat, sed vt benè, & commodè fiat; Vt equus dicitur necessarius ad iter faciendum. Sponsalia sunt necessaria ad matrimonium secundo modo, non primo; Nam Matrimonium potest quidem fieri sine præuijs sponsalibus, sed non ita benè, ac si præcessissent sponsalia; & maximè nunc cùm ex noua constitutione Conc. Trid. sess. 24. ante matrimoniũ requirantur banna, seu publicationes, quas facere non est congruũ, nisi prius præcedant sponsalia.

14 Quæritur vlt. Vtrum sponsalia possint contrahi per eadem verba, per quę contrahitur matrimonium, idest per verba de præsenti, vt loquuntur Doctores?

Ad hoc dico primò, quòd si sponsalia contrahantur inter illos, quorum vnus, vel vterque non peruenerit ad annum pubertatis, qui est duodecim⁹ in fœmina, & in masculo decimus quartus, possunt contrahi per verba de præsenti; Nam si duo, quorum vnus, vel vterque non peruenit ad annos pubertatis, etiam factis denunciationibus, etiam præsente parocho, & testibus, etiam cum animo contrahendi matrimonium de præsenti, vtantur verbis, quibus vtuntur puberes quando contrahunt matrimonium; talis contractus non erit matrimonium, sed tantùm sponsalia, vt habetur De desponsatione Impuberum. cap. vnico in sex. Vbi hoc determinatur, quòd videlicet matrimonium, quod contrahitur inter illos, qui non attigerunt annum pubertatis cùm non valeat, vt matrimonium ob defectum ætatis, valeat tamen, vt sponsalia.

Dico secundò, quòd quando debent contrahi sponsalia inter illos, qui peruenerunt ad annum pubertatis, verba debent esse de futuro, & non de præsenti; quia sponsalia non sunt matrimonium, sed sunt promissiones, vt diximus, de matrimonio contrahendo. Quare Matrimonium indicatur futurum per sponsalia, & non præsens.

15 Sed dices, quid si volentes contrahere sponsalia vtantur verbis amphibologicis, idest quæ possunt habere significationem, & de futuro, & de præsenti: Vt si dicat vir fœminæ, Ego volo tecum contrahere matrimonium; & ipsa respondeat, Et ego tecum: Vel si vir dicat. Ego volo vt sis mea vxor;

& ipsa respondeat, & ego volo vt sis maritus meus? Respond. primò, quòd si vir dicit, Ego volo tecum contrahere non erit matrimonium, vt ait Sot. loc. supra cit. Quia velle contrahere, non est contrahere. Sed si dicit, Ego volo vt sis mea vxor, est maior dubitatio; quia verè (volo) potest significare idem, quòd desidero; & sic verba sonabunt de futuro, & potest significare idem, quòd assentior, & sic verba erunt de præsenti: Et quandò est talis amphibologia in conscientia standum est conscientiæ contrahentium. Sed in foro exteriori vtendum est regula D. Hylarij: quæ refertur cap. Intelligentia, De verborum significatione. Quòd videlicet intelligentia verborum est attendenda penes caussam dicendi; quia non res sermoni, ait D. Hylar. sed sermo rei debet esse subiectus. Quare si contingat casus, vt verba sint amphibologica; ita vt ex ipsis nō possit discerni, an fuerit contractus matrimonij, an sponsalium, debent interpretari verba secundùm subiectam materiam; Nam si quando prolata fuerunt verba agebatur de sponsalibus, contractus erit sponsalium; vt si erant domi, & non erat caussa cur accederent ad Ecclesiam, & si sacerdos fuit præsens fuit tantùm vocatus, vt haberet consensum publicandi, etiamsi à contrahentibus proferantur dicta verba, quæ valent ad contrahendum matrimonium, arguunt tantùm pro sponsalibus. Si verò post publicationes in Ecclesia ante altare maius, præsente parocho, & testibus proferantur eadem verba cùm agatur de matrimonio tunc contrahendo, illa verba arguunt matrimonium.

MEMBRVM II.

De ætate, quæ requiritur ad contrahenda sponsalia.

1 *Aetas requisita ad contrahenda sponsalia.*
2 *Aetas septennij requisita in vtroque contrahentium.*
3 *Quid si parum desit.*

IN hoc membro primò quæritur, quænam ætas requiratur ad contrahenda sponsalia? Resp. secundū cōmunem Doctorum opinionem ꝙ ad contrahenda sponsalia, vt sint valida, necessariò requiritur ætas septē annorum: Et ita statuerunt Summi Pontifices, vt videre est c. Accessit ad dissoluendum. & c. litteras, De dispens. impuberum; & c. Vnico, eōd. tit. in sex. & vt dicit D. Th. in 4. sent. d. 27. q. 2. art. 2. Et huius rei ibidem reddit rationē D. Th. quæ est hæc, vt ait Arist. lib. 1. Ethic. in homine triplicem statum considerare possumus, idest vnum statum à principio vitæ vsq; ad septenniū; Alterum, à septennio vsq; ad decimumquartū annum; Tertium à decimo quarto vsque ad finē vitæ. In primo statu homo nec per se, nec per alium intelligere potest ea, quæ ad prudentia pertinent; & ideò ille status dicitur infantia, quia homo in ea fari nequit de ijs, quæ ad prudentiam pertinent. In secundo statu homo, licet per se non possit cognoscere ea, quæ ad prudentiā pertinent; potest tamē adminiculo alterius cognoscere multa, q̄ prudētiæ specimen habēt: Et ideò ait Aristot. ꝙ in ea ætate pueri ad scholas mittuntur. In tertio verò statu hoīes sunt habiles per aliū, & per seipsos cognoscere ea, quæ ad prudentiam pertinent; & propterea in primò statu nec matrimoniū, nec sponsalia ab hominibus cōtrahi possunt; In secūdo verò

rò statu matrimoniũ quidẽ cõtrahi nõ põt, sed sponsalia saltẽ: In tertio aũt & spõsalia, & mrimoniũ cõtrahi possũt.

Quæritur secundò. Vtrum ætas septennij tàm requiratur in fœmina, q̃ in masculo ad contrahenda sponsalia? Resp. affirmatiuè: quia ita dicunt Summi Pontifices citati; & omnes DD. Et ratio supradicta in quæsito antecedẽti desumpta ab Aristotele tàm pro fœmina, quàm pro masculo probat.

Sed dices. Ad contrahendum matrimoniũ, quod est maius, quàm sponsalia; nõ necessariò requiritur tãta ætas in fœmina, quanta in masculo; vt dicet in capite sequenti, nam in fœmina sufficit duodecimus annus, in masculo vero requiritur decimusquartus: ergo ẽt in sponsalibus non erit opus requirere tantam ætatem in fœmina; quanta requiritur in masculo. Resp. ꝙ in Matrimonio, vt contrahatur, non tantùm spectatur vsus rationis, sicut in sponsalibus; sed ẽt spectatur potentia generãdi; quæ, vt ait Arist. lib. 2. De animalibus, in fœmina incipit quidẽ communiter in duodecimo anno; sed i masculo in decimoquarto; Et propterea est diuersa ratio de matrimonio, & spõsalibus quantùm ad necessariam ætatem contrahentium.

3 Quæritur 3. Vtrũ ita ad contrahenda sponsalia requiratur ætas septẽnij, vt si ad illam parũ desit, puta quatuor dies, nõ possint contrahi sponsalia? Dicunt. n. dd. ꝙ ad matrimoniũ cõtrahẽdũ, si malitia suppleat ætatẽ, non adeò requiritur decimusquartus ætatis ann⁹ in masculo, vel duodecimus in fœmina, quin possit fieri paulò ante: ergo idem dicendũ est de sponsalibus, quòd videlicet paulò ante septennium possint contrahi ab illis, in quibus acceleratur vsus rationis, & malitia supplet ætatẽ Panor. cap. Iuuenis. De sponsalibus existimauit ad cõtrahenda sponsalia omninò necessarium esse septẽniũ, ita vt si tantùm desit vna dies non possint consistere sponsalia: Et Panormitanũ sequutus fuit in hoc Auctor summæ Rosellę, & Auctor summę Angelicæ contra supplementum. Sed Sylu. in sum. ver. Sponsalia. §. 2. vbi pro se citat Innoc. Archid. Archiep. Flor. Host. & alios; Item D. Th. & Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 2. dicunt contrariũ, videlicet posse consistere spõsalia vera, & valida paulò ante septennium si malitia suppleat ætatem: Et ratio eorum est; quia quod parum distat à re nihil distare videtur, vt habetur ex Arist. 2. Physic. & parũ pro nihilo reputatur; & ita dicẽdũ est.

Sed dices primò. Istud parum tẽporis, in quo possunt fieri sponsalia ante septenniũ, quantum potest esse? D. Th. loc. supracit. dicit ab aliquibus determinari ad sex menses. Sed meli⁹ est, vt ipse ait, ꝙ determinetur iuxta cõditionẽ illorum, inter quos sponsalia fieri debent: quia in aliquibus vsus rationis celerius, maturescit, quàm in alijs.

Dices 2. Nicol. Papa c. Vbi non est. De despõsatione districtè prohibet parentibus ne cõtrahant sponsalia pro filijs ante septenniũ, nisi maxima vrgẽte necessitate, vt pro bono publicæ pacis inter magnates, & Principes: ergo non necessariò requiritur ętas septennij ad cõtrahenda sponsalia. Resp. cũ Sot. lo. cit. prout dixi in mẽbro præcedenti, q. 6. ꝙ parẽtes possunt contrahere spõsalia pro filijs qñ volunt; quia, vt habet apud Legistas, nulla est deffinita ætas ad cõtrahenda spõsalia; sed tn illa spõsalia nõ erunt valida nisi accedẽte consensu filiorũ; qui consensus non põt haberi ante septenniũ; quia ante septenniũ, vt plurimùm, nõ est vsus rationis. Quare alij Pontifices vt habetur c. litteras cit. superius, & alijs cit. in primo quæsito istius mẽbri, determinarunt tẽpus septennij ad cõtrahẽda sponsalia, vt valida sint, qualia sunt ea, quæ deffiniuimus in principio istius capitis.

Dices 3. D. Greg. in 4. Dialog. cap. 1. refert puerum quẽdam quinq; annorũ blas-

blasphemasse; Et propterea à Dæmone fuisse extinctum: ergo ante septennium potest esse vsus rationis; quia ad peccandum requiritur vsus rationis: ergo ante septennium poterunt contrahi sponsalia valida. Ad hoc resp. D.Th.loc.cit. quòd vsus rationis illius pueri fuit singularis; & non secundum communem legem naturæ: sed legislatores condunt leges de illis rebus, quæ vt plurimùm accidere solent; sed quia vt plurimùm ante septenniũ non est vsus rationis, ideò ad septennium reduxerunt sponsalia.

MEMBRVM TERTIVM.

De caussis, ob quas licitum est dirimere sponsalia.

1 *Causæ dirimentes sponsalia, prima ingressus religionis.*
2 *Secunda, susceptio ordinis sacri.*
3 *Differentia inter votum solemne religionis, & ordinis.*
4 *Votum simplex castitatis num dirimat sponsalia.*
5 *Tertia mutuus consensus.*
6 *Quarta, contractus matrimonij cum alia.*
7 *Quincta, Lapsus temporis.*
8 *Sexta, Defectus conditionis.*
9 *Septima. Fornicatio.*
10 *Octaua. Affinitas superueniens.*
11 *Nona. Morbus, vel defectus supernascens.*
12 *Decima. Recessus in longinquas partes.*
13 *Vndecima. Dissensus impuberis.*
14 *Duodecima. Inimicitiæ graues, vel atrox sæuitia sponsi.*

1 PRima caussa est ingressus in Religionem: Si enim alter sponsorum Religionem ingreditur, ille, qui in sæculo remanet, poterit absque peccato contrahere matrimonium cum ea persona, cum qua voluerit; nisi sit aliud impedimentum: Nec tenebitur expectare professionem illius, qui ingressus est Religionem; sed statim ac sciuerit suum sponsum induisse habitum monachalem, liber erit, vt cum alio contrahere possit vel sponsalia, vel matrimonium. Et ratio huius est, quoniam qui in Religionem ingreditur, vel habitum monachalem induit, si sponsus est, censetur nolle contrahere matrimonium, quod promisit in sponsalib'; & propterea qui manet in sæculo remanet liber.

Sed dices. Peccatne sponsus si ingreditur Religionem post sponsalia contracta? Resp. quòd non peccat, quia Religio est melioris frugis, quam sit coniugium; Nisi malitiosè sponsus ingrediatur in Religionem, idest vt præiudicium inferret sponsæ, & non propter aliquem bonum finem: tunc enim esset peccatum.

2 Secunda caussa est susceptio ordinis sacri: Nam si aliquis sponsus suscipit ordinem aliquem ex sacris, sponsa libera erit, vt possit contrahere cũ quo voluerit. Et ratio huius est, quoniam non poterit amplius contrahere cum suo sponso, quia est ordinatus in sacris; & ordo sacer dirimit Matrimonium, vt postea declarabo cap.3. Secus esset si iam contraxisset matrimonium cum sponso antequàm sponsus suscepisset ordinem sacrum: Nam coniugatus, qui suscipit ordinem sacrum, etiamsi matrimonium non consummauerit, remanet coniugatus, & est ordinatus in sacris; & sua vxor ipso viuente non poterit cum alio contrahere. Secus esset si coniugatus ingrederetur Religionem, & in ea profiteretur; tũc enim dissolueretur matrimonium, modò non fuerit consumatum. Et hæc est

3 differentia inter votum solemne Religionis, & votũ solemne ordinis sacri, quòd

quòd illud dirimit matrimonium non consumatum; hoc autem non. Caussa verò disparitatis huius tertio capite asferetur.

4 Sed hic est maxima dubitatio, Vtrũ votum simplex castitatis factum post contracta sponsalia dirimat ipsa sponsalia; sicuti votum solemne castitatis, vt modò diximus, dirimit sponsalia?

De hoc reperio inter DD. triplicem opinionem. Nam aliqui dixerunt votum castitatis emissum post sponsalia non esse votum: quia esset in præiudicium alterius. Alij dixerunt, votum castitatis emissum post sponsalia esse quidem votum validum, sed non dirimere sponsalia. Nauar. in Man. ca. 22. num. 27. non clarè se explicat, sed videtur esse primæ, vel secundæ opinionis. Sylu. ver. sponsalia. §. 7. vbi & citat Innoc. Host. & alios, videtur fuisse secundæ opinionis.

Quòd si dicas, quid faciet ipse, qui contraxit sponsalia, & postea emisit votum castitatis? Nam si facit id, quod promisit in sponsalibus, quod est contrahere matrimoniũ, non poterit seruare votum castitatis: Si verò seruat votum castitatis, non poterit contrahere matrimonium. Resp. quòd iste si alio modo non potest dirimere sponsalia tenebitur ingredi Religionem, & in illa profiteri; vt ita per aliquam legitimam caussam possint dissolui sponsalia, & ipse possit seruare votum castitatis. ita Nauar. in Manu. cap. 22. numero 25. 27.

Alij dixerunt, votum castitatis factum post sponsalia esse verè votum, & dirimere sponsalia: & ita tenet Sot. in 4. d. 27. q. 2. art. 5. Vbi & dicit, quòd talis vouens poterit remanere in sæculo, & in illo seruare castitatem; nec tenebitur ingredi Religionem: Et ratio huius est, quia votum castitatis est maioris frugis, quàm status coniugalis. Et alij dicunt, quia quando concurrunt duo vincula incompatibilia, quæ simul seruari non possint, fortius dissoluit debilius: sed in sponsalibus promissio, quæ fit de contrahendo matrimonio, fit homini; in voto verò promissio fit Deo; sed promissio, quæ fit Deo, est maioris momenti, quàm quæ fit hominibus. Ego credo opinionem Soti esse probabilem. Ita tamen vt resarciat damnum sponsi.

5 Tertia caussa est, quando sponsi inter se conueniunt de dissoluendis sponsalibus: Nam per consensum vtriusque sponsorum dissoluũtur sponsalia, etiã si sint iurata, vt habetur cap. Præterea De sponsalibus. & ita tenẽt omnes Doctores.

6 Quarta caussa est, contractus matrimonij cum alia: Nam si sponsus. v. g. Catherinæ matrimonium contrahit cum alia, poterit Catherina cum alio contrahere. Et ratio huius est, quia cum Petro, qui fuerat suus sponsus, nõ potest contrahere matrimonium dum viuit illa, quam duxit Petrus in vxorem.

7 Quinta caussa est lapsus tẽporis præfixi: Nam si duo promittunt inter se contrahere matrimonium intra biennium, si culpa sponsi intra tale tempus matrimonium nõ contrahitur post tale tempus sponsa remanet libera; Et si culpa sponsæ matrimonium non contrahitur intra tale tempus, post illud sponsus erit liber. Et hanc caussam ponunt omnes Doctores.

8 Sexta caussa est defectus conditionis, quę apponitur sponsalibus; Vt si Petrus promisit ducere Catherinam in vxorem hac conditione, vt Catherina habeat pro dote mille libras, non tenebitur Petrus eam ducere in vxorẽ eùm cognouerit, eam non posse habere mille libras. Et quod dicitur de hac cõditione intelligite vos de omni alia conditione possibili, & honesta. Sed de conditionibus, quæ possunt apponi sponsalibus; quoniam & eædem possunt apponi matrimonio, quod fit per

verba

verba de præsenti; fusius agam cap. sequenti, membro 5. Et hanc caussam ponunt omnes Doctores.

9 Septima caussa est crimen fornicationis: Nam si sponsa Petri post sponsalia fornicata est, Petrus non tenetur eam ducere in vxorem; licet ipsa teneatur ducere Petrum, si ipse voluerit. Et hoc intellige etiamsi sponsa Petri fuerit per vim fornicata, vt dicunt omnes Doctores. Simili modo si post sponsalia Petrus fornicatus est, sponsa non tenebitur eum ducere; Sed Petrus tenebitur eam ducere si voluerit sponsa.

Sed dices. Si sponsa Petri fornicata fuit ante sponsalia, poteritne Petrus recedere à sponsalibus? Resp. Quòd si Petrus hoc sciebat ante sponsalia, nō poterit: Secus si nesciebat, & si sciuisset sponsalia cum ea non contraxisset, vt dicunt Doctores. Et hìc per fornicationem intelligite non tantùm carnalem, sed etiam spiritualem; puta apostasiam, vel hæresim: Nam si Petrus labitur in hæresim, eius sponsa non tenebitur eum ducere in maritum.

10 Octaua caussa est superueniens affinitas: quia si Petrus post sponsalia habuit rem cum consanguinea suę sponsæ in primo, vel secundo gradu, non poterit ducere in vxorem suam sponsam propter impedimentum affinitatis. Poterit tamen ducere in vxorem eam, quam cognouit, si fuit consanguinea suę sponsæ in secundo gradu, & nō in primo: sed si fuerit consanguinea suæ sponsæ in primo gradu, illa, quam cognouit Petrus, non poterit matrimonium contrahere cum ea, quam cognouit; neque cum sua sponsa. Non cum illa, quam cognouit, propter impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus, quod impedit in primo gradu, & dirimit: Non cum sua sponsa propter impedimentum affinitatis. Et ita dicunt omnes Doctores.

11 Nona caussa est superueniens lepra, vel morbus alius contagiosus, & grauis; aut aliqua notabilis deformitas: Nam si Petrus efficitur leprosus, aut infirmatur morbo gallico, aut amittit nasum postquàm est sponsus, non tenebitur eius sponsa illum ducere: Similiter nec tenebitur suam spōsam ducere in matrimonium si sua spōsa facta est notabiliter deformis; aut infirmata fuit aliquo morbo contagioso, & graui. Et ita dicunt omnes Doctores.

12 Decima caussa est, Recessus in longinquam regionem: Nam si sponsus absque licentia sponsæ recessit in longinquam regionē, non tenebitur spōsa diù eum expectare. Leges ciuiles statuerunt vt sponsus expectetur per biennium: sed leges canonicæ nullum determinarunt tempus: Et propterea dicit Sot. in 4. d. 26. q. 2. ar. 5. quòd statim ac sponsus recessit in longinquam regionem poterit sponsa cum alio contrahere. Sed melius dicunt alij DD. q à Iudice est præfiniendum aliquod tēporis spacium, in quo sit expectandus sponsus: Et post quod sponsa poterit cum alio contrahere.

13 Vndecima caussa est, Dissensus alterius sponsi, qui contraxit sponsalia ante pubertatem. Quæ caussa vt intelligatur.

Notandum est primò, quòd quando duo intra annos pubertatis contrahūt sponsalia, potest quilibet illorum statim ac peruenerit ad annum pubertatis resilire; etiamsi nulla alia caussa sit quàm voluntas: quod tamen non poterit efficere ante, vel post annum pubertatis: Nam si ante annum pubertatis sufficeret hic dissensus ad dissoluendum sponsalia, plerumque dissoluerentur, & fierent sponsalia; Et similiter si post annum pubertatis.

Notandum est secundò, quòd si aliquis post annum pubertatis contrahit sponsalia cum aliqua persona, quæ nō peruenerit ad annum pubertatis; ille non poterit resilire absque legitima

caussa;

caussa; sed persona, cum qua contraxerit spōsalia, poterit resistere statim ac peruenerit ad annum pubertatis; sed non ante, neque post. Et ita statuerunt sacri canones, vt videre est in titu. De desponsatione impub.

14 Duodecima caussa est, superueniēs caussa grauissimarū inimicitiarū inter sponsum, & sponsam; Vel atrox sæuitia sponsi, seu spōsæ antea inopinata: & similes aliæ caussæ, quas experientia docere potest; & ob quas iudicio Iudicis poterit fieri dissolutio sponsalium. Nec numeraui votum simplex castitatis præcedens sponsalia inter caussas, q̄ dirimunt sponsalia; quia loquutus sum tantùm de sponsalibus validis, qūo dirimi possint. Sponsalia verò facta post votum castitatis non sunt valida.

CAPVT SECVNDVM.

De ipsomet contractu Matrimonij.

De contractu matrimonij tractāt Host. Innoc. Panorm. Fel. & alij Canonistæ in 4. Decret. & sparsim sup multis alijs Decretis, in varijs titulis. Item de contractu matrimonij tractāt Scholast. D. Th. D. Bonau. Duran. Riccar. Palud. Scot. Dom. Sot. & alij cum Mag. sent. in 4. d. 26. Item de matrimonio agit Nau. in Manu. c. 22. & Victor. ī sum. sacram. Sylu. Armil. Caiet. Ang. Supplem. Tab. & alij Summistæ in ver. Matrimonium. Item de matrimonio agit Cōc. Trid. sess. 24. & Catech. Rom. vbi de sacramento Matrimonij.

Ego pro faciliori doctrina diuidam ea, quæ de matrimonio dicenda sunt in hoc capite, in quinque membra; In quorum primo agam De cōtractu matrimonij secundum se. In secundo De personis, quæ matrimoniū contrahere possunt. In tertio De modo, quo matrimoniū cōtrahi debet. In quarto De matrimonio cōtracto cōtra intētionē contrahentiū. In quinto, & vltimo, De matrimonio contracto sub cōditione.

MEMBRVM PRIMVM.

De contractu Matrimonij secundum se.

1 *Quid sit matrimonium.*
2 *Matrimonium cur à matre.*
3 *Matrimonium an sit sacramentū.*
4 *Minister matrimonij, qualis.*
5 *Cur non sit sacerdos.*
6 *Cur tamen ille requiratur præsens.*
7 *Materia, & forma matrimonij.*
8 *Materia in eo duplex.*
9 *Matrimonij institutor, & quando.*
10 *Quoties institutum, & quis illius finis.*
11 *Quando in eo conferatur gratia.*
12 *Quid sit sacramentum, & res sacramenti in matrimonio.*
13 *Gratia datur in matrimonio.*
14 *Matrimonium nū sit de præcepto.*
15 *Matrimonij bona, fides, proles, sacramentum.*
16 *Illorum necessitas.*
17 *Matrimonium B. Virginis cum B. Ioseph, num fuerit verum.*

1 In hoc membro primo quæritur, quid sit matrimonium? Resp. quòd matrimonium est coniunctio viri, & mulieris indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.

Dixi primò, q̄ matrimoniū est (coniunctio viri, & mulieris) & non viri, & mulierū; neq; virorū, & mulieris: quia vnus vir vnā tantùm pōt habere vxorē; & vna vxor vnum tantùm pōt habere virum: Et licet antiquitus in lege antiqua (Deo dispensante) ad ampliandā prolem aliqn̄ vnus vir posset habere plures vxores eodē tēpore; vt patet de Dauide, Salomone, Abrahā; nūquā tamen legitur, q̄ vna vxor potuerit habere plures viros eodem tempore legitimo matrimonio copulatos.

Dixi secundo (indiuiduam vitæ cõsuetudinem retinens) quia vinculum matrimonij est indissolubile per potentiam humanam: Nam quod Deus coniunxit homo non separet inquit Christus Mat. 19. sed de vinculo Matrimonij agam, vt promisi, in quinto capite.

2 Quæritur secundò, quare matrimonium à matre dicatur matrimonium; & non potius à patre dicatur patrimonium? Nam cùm ad constituendum matrimonium nõ tantùm requiratur mulier, quæ potest esse mater; sed etiã vir, qui potest esse pater, debuit potius dici patrimonium; maximè cùm vir sit nobilior fœmina. Respond. quòd matrimonium dicitur matrimoniũ à matre; quia quando primò institutum fuit ante peccatum, fuit institutum ad gignendam, & educandam prolem: sed mater magis elaborat circa prolẽ, quã pater, quia mater prolem gestat in vẽtre, eam parit, & vberibus lactat, atque alia infantilia adminicula eidem proli subministrat. Quare dicitur matrimonium, quasi matris munium, hoc est munus matris: quia matris munus est maximè elaborare circa prolẽ, propter quam est institutum matrimoniũ in principio orbis. Sed quia pater deinde magis elaborat in acquisitione possessionum, quàm mater; vt illis filios adultos alat, & post mortem suam habeant filij vnde viuant, ideò dictæ possessiones dicuntur patrimonium, & matrimonium.

3 Quæritur tertiò. Vtrum matrimonium sit sacramentum? Resp. Affirmatiuè, imò & nouæ legis. Et hoc est de fide vtpote determinatum in Conc. Florent. Et nuper in Tridentino sess. 7. can. 1. Cuius verba sunt hæc. Si quis dixerit, Sacramẽta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quàm septem videlicet Baptismum, &c. & Matrimonium; aut etiam aliquod eorum septem non esse verè, & propriè sacramentum: anathema sit. Et sess. 24. can. item 1. Cuius verba sunt hæc. Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè vnum ex septem legis euangelicæ sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum; neque gratiam cõferre: anathema sit. Idem secundò probatur hac ratione. Sacramentum est sacræ rei signum, vt probauimus, & explicauimus in 1. par. istius Tractatus; sed matrimonium est sacræ rei signum: ergo matrimonium est sacramentum. Quòd matrimonium sit sacræ rei signum, probatur. Quia significat vnionem Christi sponsi cum Ecclesia sua sponsa; quæ vnio fit per gratiam. Idem probatur tertiò auctoritate D. Pau. ad Ephes. 5. vbi habentur hæc verba. Sacramentum hoc magnũ est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia; & ibi D. Paulus loquebatur de matrimonio. Probatur quartò ex consensu omnium Catholicorum Doctorum.

Quæritur quartò, quisnam sit minister sacramenti matrimonij? Respond. quòd sunt contrahentes ipsi: Nam licet nunc ad contrahendum matrimonium necessariò requirantur sacerdos, & duo testes ad minimum; non tamen requiritur sacerdos vt minister: quia alioquin sequeretur, quòd inter Christianos plurima matrimonia cõtracta ante Conc. Trid. non fuerint verè sacramenta; quia sacramentum non potest esse, nisi sit à proprio ministro; sed ante Conc. Trid. plurima matrimonia contrahebantur absque sacerdote.

Dices. Si sacerdos non fuit minister sacramenti Matrimonij ante Concil. Trid. saltem erit minister sacramẽti matrimonij post Conc. Trid. per nouam constitutionem ipsius Cõc. Trid. Respond. quòd neque Concil. Tridẽt. neque tota Catholica Ecclesia absque Christo potest instituere alium ministrum sacramenti, quàm Christus institue-

stituerit: sicut Ecclesia, quantamcunque potestatem habeat; non potest efficere, vt Diaconus possit sanctissimã Eucharistiam consecrare; aut sacramentum Extremæ vnctionis conficere: quia Christus solum sacerdotẽ Eucharistiæ ministrum instituit: Ita non potest Ecclesia efficere, quòd sacerdos sit minister matrimonij, nisi ipse ex dispensatione vxorem duceret. Item sicut Ecclesia non potest facere, vt minister alicuius sacramenti non sit minister: ita non potest facere, vt non minister sit minister, saltem in specie: Nam licet Ecclesia possit suspẽdere sacerdotem ab officio, eum excommunicare, & degradare; non tamen poterit efficere, vt si talis voluerit cõsecrare, non consecret panem, & vinum: quia Ecclesia, sicut non habet auctoritatem instituendi sacramenta; ita nec habet auctoritatem instituendi alium ministrum sacramentorum, quàm illum, quem constituit Deus. Quare verissimum est sacerdotem non esse ministrum sacramenti matrimonij: Et eius verba non esse formam sacramenti matrimonij, idest, Ego vos coniungo; vel similia.

6 Quòd si dicas. Quare ergo requiritur sacerdos necessariò ad contrahendum matrimonium nunc? Respond. quòd sacerdos, licet necessariò necessitate sacramenti nunc requiratur ad contrahendum matrimonium; non tamen requiritur vt minister, sed vt conditio, sine qua non: quia Ecclesia statuit, matrimonium clandestinum non fore amplius matrimonium. Et determinauit, vt omnia matrimonia; quæ in posterum absque parocho, vel sacerdote de licentia parochi, & testibus duobus ad minimum contrahentur, clandestina censeantur.

At si dices. Ecclesia potest facere inhabilem ad contrahẽdum matrimonium illum, qui erat habilis, puta instituendo nouum impedimentum, vel dilatando iam constitutum; vt efficiendo quòd matrimonium non sit validũ si contrahatur inter cõsanguineos in quinto gradu, sicut statuit matrimonium non fore validum inter consanguineos in quarto, tertio, vel proximiori gradu. Item Ecclesia potest efficere, vt inhabiles ad contrahendum per dispensationem fiant habiles; vt potest dispensare eos, qui sunt in quarto, vel tertio consanguinitatis gradu: ergo Ecclesia potest facere de ministro sacramenti matrimonij non ministrum, & de non ministro ministrum. Respond. quòd Ecclesia non potest facere vt alij, quàm contrahentes matrimonium, sint ministri sacramenti matrimonij: Nec potest facere, vt qui sunt habiles ad contrahendum matrimonium, & inuicem contrahunt nullo intercedente impedimento, naturali, vel Ecclesiastico dirimente matrimonium; non sint verè ministri sacramenti matrimonij. Ratio autem, cur Ecclesia possit instituere impedimenta dirimentia matrimonium, aut dispensare in iam constitutis, est: quia matrimonium prout est sacramentum, supponit matrimonium prout est contractus quidam ciuilis; & ad contractum ciuilem potest Papa apponere conditiones, sine quibus non sit validus. Quare, licet Ecclesia possit efficere, vt qui poterant esse contrahentes, non sint, aut esse non possint; vel è conuerso possint esse contrahentes, qui non poterant esse per legem Ecclesiasticã: non tamen potest facere, vt non sint ministri sacramenti matrimonij illi, qui secũdum legem Ecclesiasticam verè possunt esse, & sunt contrahentes: Sicut, licet minister sacramenti Pœnitentiæ sit ille, qui habet potestatẽ ordinis, & iurisdictionis, & possit Ecclesia sacerdoti dare iurisdictionem, & ab illo demere; non tamen potest Ecclesia efficere, vt alius sit minister sacramẽti Pœnitentiæ, quàm ille, qui habet

bet ordinem, & iurisdictionem: Nec potest efficere vt ille, qui habet iurisdictionem, & ordinem scilicet sacerdotij, non sit minister sacramenti Pœnitentiæ; quia omné talem, & non aliũ, Christus instituit ministrum sacramẽti Pœnitentiæ: sicut, licet possit Ecclesia hominem sacerdotem facere, & nõ facere; non tamen potest efficere ne sacerdos sit minister sanctissimæ Eucharistiæ.

Quæritur quinto. Quænam sit materia; & quæ forma sacramenti matrimonij?

De hoc reperio quinque Doctorum opiniones.

Prima opinio fuit aliquorũ DD. qui dixerunt, sacramentum matrimonij, nec habere materiam, nec formã. Huius opinionis fuit Duran. in 4. d. 26. sed hæc opinio est erronea: Nã de fide est, matrimoniũ esse sacramentũ nouæ legis, vt determinatũ fuit in Conc. Flor. & Trid. & vt probauimus in præsenti membro, quæsito 3. Et de fide est per Conc. Flor. omne sacramentũ constare materia, & forma; & adhuc præter materiam, & formam requiri intentioné ministri: ergo de fide est matrimonium habere materiam, & formam.

Secunda opinio fuit, quòd materia sacramenti matrimonij est ille consensus contrahentium, qui primò exprimitur per verba, vel alia signa ab altero contrahentium. Forma verò sit ille consensus alterius contrahentis, qui secundò exprimitur per verba, vel alia sensibilia signa. Atque hæc opinio est Victor. in sum. sacram. nu. 247. vbi & pro se citat D. Thomam. Item hæc opinio fuit D. Bonau. in 4. d. 26. Et probatur primò, quia materia præsupponit formæ in naturalibus, artificialibus, & sacramentalibus. In naturalibus corpus hominis præcedit animam, quæ est forma corporis. In artificialibus lignum præcedit arcam. In sacramentalibus aqua præcedit formam Baptismi; oleũ consecratum præcedit formam Confirmationis, & Extremæ vnctionis: ergo consensus præcedens in matrimonij sacramento erit materia; & ille, qui sequitur, erit forma. Probatur secundò, quia forma est illa, quæ dat perfectionem rei; sed sacramentum matrimonij non perficitur nisi accedente consensu, qui secundò exprimitur: ergo secundus consensus expressus per verba, vel alia signa tantũ erit forma sacramenti matrimonij; & ita primus erit materia.

Tertia opinio fuit, quòd consensus amborum contrahentium sint sibi inuicem materia, & forma tam qui primò exprimitur, quàm qui secundò. Quare si consensus viri cõsideretur vt materia, siue primò exprimatur, siuè non, consensus mulieris erit forma; & si consensus viri consideretur, vt forma consensus mulieris erit materia: Ita ait Sot. in 4. d. 26. q. 2. sed secunda opinio est magis probabilis propter rationes allatas in ipsa.

Quarta opinio fuit, quòd consensus vtriusque contrahentium sit materia: Verba verò, vel alia signa exteriora, quibus consensus exprimitur, sint forma. Atq; ita tenuit Nau. in Man. ca. 22. n. 20. Sed contra hanc opinionem arguit Sot. lo. cit. quia tàm materia, quã forma sacramenti debet esse res sensibilis; sed consensus, si per se consideretur absq; verbis, vel alijs signis exterioribus, non potest esse sensibilis: ergo cõsensus secundum se nõ potest esse materia alicuius sacramẽti. Quòd aũt materia sacramenti debeat esse res sensibilis probatur: quia sacramentũ est inuisibilis gratiæ visibile signũ; sed sacramentũ nil aliud est, quã materia sacramẽti, & forma simul: ergo tã materia, quã forma sacramenti debet esse sensibilis. Quòd cõsensus secundũ se nõ sit sensibilis probatur. Quia est tantũ in anima, & sensus nostri non penetrant ea, quæ sunt in anima, nisi exprimantur per signa sensibilia.

Quin-

Quinta opinio fuit, quòd contrahẽtes sunt materia; consensus verò illorum expressi per verba sunt forma. Sed hæc opinio, licet sit antiquorum Doctorum, meo tamen iudicio non est vera; Quia contrahentes sunt ministri sacramenti matrimonij: ergo non possunt esse materia sacramenti matrimonij, tum quia in alijs sacramentis minister non potest esse materia neque remota, neque proxima; Nam baptizans, confirmans, consecrans, absoluens, vngens, & ordinans non possunt esse materia sacramentorum; Tũ etiam, quia minister sacramẽti est caussa extrinseca, nec ingreditur in compositionem sacramenti; nec est pars sacramenti: Materia verò est caussa intrinseca, & ingreditur in compositionem sacramenti, & est pars sacramenti essentialis: ergo contrahens, cùm sit minister sacramenti matrimonij, non potest esse materia sacramenti matrimonij: Restat ergo vt secunda opinio sit cęteris probabilior.

8 Quòd si dicas. In quolibet sacramento materia duplex est: ergo & in sacramento matrimonij assignanda erit duplex; scilicet proxima, & remota. Respond. consensum expressum per verba, vel alia signa, qui primò exprimitur a contrahentibus esse materiam proximã; Consensum verò secundum se esse materiam remotam. Nec requiritur vt materia remota sit sensibilis; Quia neque in sacramento Pœnitentiæ, peccata, quæ sunt materia eius remota, sunt res sensibiles.

9 Quæritur 6. Quinam sit institutor matrimonij? Et quando matrimoniũ fuerit institutũ? Resp. Quòd Deus fuit institutor matrimonij. Et primò ante peccatum in Paradiso terrestri, ut mulier daretur viro in eius adiutorium; Et in officium naturæ idest ad generandam prolem. Et hoc factũ fuit quãdo Deus creator abstulit vnam ex costis Adæ, & eam carne repleuit, atque in mulierem ædificauit. Quod deinde videns Adam spiritu Dei afflatus dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea; & vocabitur virago, quia de viro sumpta est: Et propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

Secundò, Deus instituit matrimonium post peccatum Adæ in remediũ concupiscentiæ: Ne videlicet homo habens copulam carnalem cum alia, quàm cum vxore sua; peccaret mortaliter. Sed vexatus a concupiscentia carnis, matrimonio eam reprimeret. Et propter hoc dicit D. Pau. 1. ep. ad Cor. cap. 7. Propter fornicationem (idest ad euitandam fornicationem) vnusquisque habeat vxorem suam; & vnaquæque virum suum.

Tertio, A' Christo Domino fuit institutum matrimonium in lege noua in sacramentum, vt daret gratiam ex opere operato; sicut & faciunt alia nouæ legis sacramenta; Et hoc fuit vel quando Christus interfuit nuptijs factis in Cana Galileæ, vbi & fecit ex aqua vinum: Vel quando Mat. 19. interrogatus Christus, an liceret dimittere vxorem quacunque ex caussa; respondit. Non legistis: Quia qui fecit ab initio masculum, & fœminam fecit eos: Et dixit propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna; Itaque non sunt duo; sed vna caro; Et quod Deus coniũxit; homo non separet.

Atq. ex ijs videre possumus, ter fuisse institutum matrimonium, sed semper à Deo. Et quotuplex sit finis matrimonij. Primus, vt vxor sit in adiutorium mariti: Et è conuerso, maritus in adiutorium vxoris. Secundus, vt habeatur proles. Tertius, vt euitetur fornicatio. Et quartus, vt habeatur gratia gratum faciens.

Sed dices. Si qs cõtraheret matrimoniũ pro-

propter alium finē, quàm vnum ex ijs quatuor; puta propter diuitias, propter pulchritudinem, vel propter amicitiam; peccaretne mortaliter? Resp. Primò, quia si finis alius, quàm ex illis quatuor; propter quem quis contrahit matrimonium; sit res de se bona, contrahere matrimonium propter illum finem non erit peccatum mortale, puta propter amicitiam, pulchritudinem, &c. Sed tantùm erit veniale, vel nullum: quia si finis de sua natura est res bona, non erit contra proprium finem matrimonij; sed secundum, vel tantùm præter finem matrimonij.

Respond. Secundò, quòd si finis, propter quem quis contrahit matrimonium, sit peccatum veniale: Contrahere matrimonium propter illum finē erit veniale.

Respond. Tertiò, quòd si finis, propter quem quis cōtrahit matrimoniū, est peccatum mortale: Contrahere matrimonium erit mortale: vt si quis cōtraheret matrimonium, vt facilius furari posset, vel lucrari ex meretricio. & cætera.

11 Quæritur septimò, quādo detur gratia gratum faciens per sacramentū matrimonij? Quando fiunt benedictiones à sacerdote? An quando contrahitur matrimonium? An verò quando consumatur? Respond. quòd gratia gratum faciens per sacramentum matrimonij ex opere operato tantùm datur in illo tempore, in quo exprimitur per verba, vel alia signa sensibilia consensus illius contrahentis, qui secundò exprimitur. Et propterea diximus in quæsito 5. consensum expressum illius contrahentis, qui secūdò exprimitur, esse formam sacramenti matrimonij: quia posita forma sequitur effectus, nisi ponatur obex; idest nisi sit impedimentum peccati mortalis. Atque ex hoc colligere possumus, quòd ad contrahendum matrimonium absque peccato mortali, sicut & ad suscipienda alia sacramenta, requiritur vt contrahentes, vel suscipientes sacramenta nō sint cōscij peccati mortalis: Alioquin si quis contraheret matrimonium cum conscientia peccati mortalis, esset sacrilegium. Quare Parochi aduertere debent, vt qui matrimonium contrahere volunt, præuia contritione; & si per consilium fieri potest; præuia etiā confessione illud contrahant.

12 Quæritur octauò. Vtrum in sacramento matrimonij; sicut & in alijs sacramentis; sit aliquid, quod est sacramentum tantūm: Aliquid, quod sit res tantùm. Et aliquid, quod sit res, & sacramentum simul? Respond. affirmatiuè. Sacramentum tantùm sunt consensus expressi per verba, vel alia signa sensibilia. Res tantùm est gratia gratum faciens. Res, & sacramentum simul est nexus maritalis, seu vinculum coniugale; Ita Sot. in 4. d. 26. q. 2.

13 Sed dices. Quare datur in matrimonio gratia gratum faciens? seu quinam est effectus gratiæ, quæ datur in matrimonio? Resp. Vt homo diuino auxilio munitus possit prolem educare; fornicationem euitare; & auxilium vxori præbere.

14 Quæritur 9. Vtrum præceptū sit cōtrahere matrimonium? Resp. Præcepta esse duplicis generis: alia negatiua; alia affirmatiua. Negatiua sunt illa, in quibus est particula negatiua, vt Non occides: Non mœchaberis. Affirmatiua verò sunt illa, quibus nulla est annexa particula negatiua, vt Sabbatha sanctifices: & Habeas in honore parentes. Præcepta negatiua obligant semper, & ad semper. Præcepta affirmatiua obligant tantùm loco, & tempore; Idest positis debitis conditionibus. Præceptum de contrahendo matrimonium est affirmatiuum, & nunc obligaret tantùm quando esset necessitas conseruandi humanum genus: quo casu obligarentur & Religiosi, & Sacerdotes.

Quòd

Quòd si dicas, Religiosi, & sacerdotes habent votum castitatis, contra quod non possunt facere: ergo ad conseruandum genus humanum non tenerentur contrahere. Ad hoc respondent aliqui: quòd quando concurrunt duo præcepta (quæ ambo seruari non possunt) debet seruari maius: sed maius esset de conseruando humano genere si casus eueniret, quàm de seruanda castitate Deo promissa. Alij resp. vt Sot. in 4. quòd votum castitatis habet annexam hanc conditionem; Idest nisi teneretur cõtrahere matrimonium ad conseruandum genus humanum.

15 Quæritur 10. Quænam sint bona matrimonij? Resp. quòd à D. Aug. principaliter, & deinde ab alijs DD. tria ponuntur matrimonij bona; videlicet fides, proles, & sacramentum. Atque in fide attenditur, vt maritus non commisceatur cum alia, quàm cum vxore; & vxor non commisceatur cum alio, quam cum marito proprio. In prole attenditur, vt proles religiosè generetur, alatur, & instruatur. In sacramento attenditur, vt matrimonium sit indissolubile, nec possit vir aliam vxorẽ ducere viuente prima; aut mulier aliũ maritum viuente primo: quia matrimonium, prout est sacramentum, significat vnionem Christi cum Ecclesia, quæ vnio est indissolubilis: Aut vnionem naturæ diuinæ cum humana in Christo; quæ vnio etiam est indissolubilis: quia quod semel Deus assumpsit numquam dimisit, ait D. Damascenus: Aut significat vnionem animæ nostræ cum Christo per gratiam; quæ vnio certè deberet esse indissolubilis: ergo & sacramentum matrimonij debet dicere vnionem indissolubilem.

16 Atque hæc tria bona matrimonij sunt adeò de intrinseca ratione ipsius matrimonij, vt si ponatur conditio cõtra vnum ex ijs bonis in ipso cõtractu matrimonij omninò inualidetur matrimonium: vt si tempore contrahendi matrimonium interrogante parocho sponsum, an sit contentus ducere in matrimonium Catherinam de præsenti? Et ipse sponsus respondeat. Sum contentus, sed cum hoc pacto, vt sit meretrix; vel vt ego cum alia copulam habere possim, aut contrahere: Vel sum contentus; sed cum hoc pacto, vt sit sterilis, seu vt nõ teneatur reddere debitum: Aut sum contentus; sed cum hoc pacto, vt sit mea vxor tãtùm per quatuor annos; reddatur omninò inualidum matrimonium. Sed de ijs conditionibus, & similibus, atq; alijs; quæ matrimonio apponi possunt, fusius dicam in membro 5. huius capitis.

Quòd si dicas. Quare sunt tria intrinseca matrimonij bona? Respond. quia homo potest considerari vt animal; vt homo; & vt Christianus. Si consideretur vt homo, bonum matrimonij erit fides: quia proprium hominis esse debet, seruare fidelitatem. Si consideretur vt animal, bonum matrimonij erit proles: quia proprium animalis est generare sibi simile. Si consideretur vt Christianus, bonum matrimonij esset sacramentũ: quia proprium Christiani esse debet applicare sibi merita passionis Christi per sacramenta. Seu tria sunt matrimonij bona; proles, quæ est bonum naturæ; fides, quæ est bonum moris; Sacramentum, quod est bonum gratiæ; vt in sacramento matrimonij ostendantur bona omnis generis.

17 Quæritur vltimò. Vtrum inter B. Ioseph, & Beatiss. Virginem fuerit perfectum matrimonium? Resp. primò, quòd si consideremus perfectionẽ matrimonij quantùm ad copulam; Idest si intelligimus per perfectum matrimonium illud, quod est consummatum; verè matrimonium inter B. Ioseph, & B. Virginem non fuit perfectum: quia de fide est B. Virginẽ semper fuisse uirginem, & numquàm matrimoniũ consumasse.

Resp.

Respond. secundò, quòd si consideremus matrimonium, prout est sacramentum, matrimonium B. Virginis cũ B. Ioseph non fuit perfectum; quia non fuit sacramentũ, nã quando contractum fuit nondum matrimonium erat institutum sacramentum saltem nouæ legis.

Respond. tertiò, quòd si consideretur matrimonium secundum se, matrimonium B. Virginis cum S. Ioseph fuit perfectum matrimonium; quia verè B. Virgo consensit in matrimonium, qđ contraxit cum S. Ioseph; & S. Ioseph verè consensit in matrimoniũ, quod contraxit cum ipsa.

Sed dices. B. Virgo vouerat castitatem: ergo non poterat contrahere matrimonium. Ad hoc resp. aliqui, quòd quidem B. Virgo vouerat castitatem; vouerat tamen cum hac conditione; Idest si aliter Deo non placuerit; & propterea annuente Deo potuit contrahere matrimonium. Sed certè omne votum, quod emittitur absque eo, quòd ponatur hæc conditio omnino; debet intelligi cum hac conditione, si aliter Deo nõ placuerit: quia quotiescunque Deo placet aliter, quàm ego voui; votum meum non est votum. Quare potius dicendum est B. Virginem non vouisse castitatem ante matrimonium; sed tantùm proposuisse seruare castitatem, si Deo placuisset: sed post contractũ matrimonij B. Virginem emisisse votum castitatis antequàm diceret. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et B. Ioseph simul vouisse castitatem: quod piè credendum est.

MEMBRVM II.

De personis, quæ matrimonium contrahere possunt.

1 *Quinam matrimonium contrahere possint.*
2 *Aetas ad matrimonium requisita.*
3 *Malitia quomodo suppleat ætatem.*
4 *Aetas sine malitia num sufficiens.*
5 *Amens num aptus matrimonio.*
6 *Ebrius.*

IN hoc membro primo quæritur, quinam matrimonium contrahere possit? Resp. quòd omnis vtriusq; sexus habens legitimam ætatem, & sanus iudicio potest contrahere matrimonium; nisi prohibeatur à lege per aliquod impedimentum: Ita Nau. in Man. cap. 22. num. 29. & Sylu. in sum. ver. Matrimonium. 5. §. 10.

Quæritur secundò, quæ sit ætas legitima ad cõtrahendum matrimoniũ? Resp. quòd in masculo est quatuordecim annorum completorum; In fœmina verò duodecim annorum completorum. Nam si masculus ante quartumdecimum annum completum; & fœmina ante duodecimum annum completum matrimonium contrahant, illud non est matrimonium; sed ex legis dispositione erunt tantum sponsalia, vt supra dixi in præcedenti capite; Nisi malitia suppleat ætatem.

Quæritur tertiò, quæ sit malitia, q̃ potest supplere ætatem ad contrahendum matrimonium? Respond. quòd non est malitia in negotijs gerendis; sed potentia ad habendam copulã carnalem. Nam si aliquis in vndecimo, vel duodecimo, vel alio anno ante quartumdecimum; aut ante duodecimum est potens ad habendam copulã, poterit

poterit cõtrahere matrimonium: quia tunc dicitur malitia supplere ætatem.

Quæritur 4. quomodo cognoscatur quod aliquis habeat malitiã, quæ suppleat ætatẽ? Ad hoc resp. Sylu. in sum. ver. Matrimonium. 5. §. ꝙ vir cognoscitur habere potentiã ad copulam, vel si illam habuit cum alia muliere; & mulier cum alio viro: Vel aliqua persona cognoscitur habere malitium ex aspectu corporis, aut alijs signis; qui aspectus, vel quæ signa indicant hominẽ habilem ad copulam. Nicol. de Lyra in exposit. cap. 22. Exodi dicit ex Rabi Salomon, quòd ortus pilorum, & menstrua sunt signa aperta malitiæ. Medici, vt ait Sylu. loc. cit. dicunt menstrua esse aperta signa potentiæ contrahendi, vel copulandi, quia ante illa nõ potest fieri copula, & post ipsã põt fieri.

4 Quæritur 5. Vtrum possit contrahere matrimoniũ ille, qui habet legitimã ætatem; sed non malitiã? Glo. in c. Puberes. tit. De despons. impuberũ, tenuit partẽ negatiuã. Sed omnes alij Doctores tenent partem affirmatiuam: Et ratio est, quoniam ex quo aliquis habet legitimã ætatem contrahendi matrimonium, & non apparet aliquod impedimentum, & est sanus iudicio; non est cur matrimoniũ cõtrahere nõ possit? Alioquin sequeretur, ꝙ aliquis nõ aptˀ ad copulam tantùm propter aliquam infirmitatem non posset matrimoniũ contrahere. Verum quidem est, quòd si casus eueniret, vt quis habens legitimã ætatem, & non habens malitiam matrimonium contraheret, esset expectãdum vsque ad ætatem decem & octo annorũ, vt videretur an talis fieret potens: Et si in decimo octauo anno, in quo est plena pubertas, non posset cõsummare matrimonium, & antea illud non consumasset; posset iudicio Iudicis tale matrimonium dissolui, si fœmina id exquireret à Iudice, quia tunc præsumeretur esse impedimentum perpetuum. Et hoc habetur apud Sylu. in sum. ver. Matrimonium. 5. §. 7.

5 Quæritur 6. Vtrum furiosus, seu stultus possit matrimoniũ contrahere? Respondeo secundum communem DD. opinionem, ꝙ vel talis hàbet lucida interualla, vel nòn. Si non, non põt contrahere. Si habet, poterit contrahere in lucido interuallo, idest quando est sanus mente; non autem qñ est stultus. Et ratio huius est, quia ad matrimonium requiritur consensus humanus, qui in insanis esse non potest; nam sunt veluti bestiæ.

6 Quæritur 7. Vtrum ebrius possit cõtrahere matrimonium? Resp. secundũ communem DD. opinionem, quòd si ebrietas est tanta, vt tollat vsum rationis, non potest. Secus si non est tanta, vt tollat vsum rationis.

Quæritur vltimò. Quænam sint impedimenta, propter quæ à lege quis impeditur à matrimonio contrahendo? Resp. quòd plura sunt: De quibus, & in vniuersum, & singillatim dicetur in capite sequenti.

MEMBRVM III.

De modo, quo matrimonium est contrahendum.

QVoniam ex decretis sacrosancti Concilij Tridentini; & aliorũ Prouincialium, & Diœcesanorum nostræ Mediolanensis Ecclesiæ ad contrahendum matrimonium nõnulla requiruntur ante ipsum contractum matrimonij: Nonnulla in ipso contractu. Et nonnulla post ipsum cõtractum; quæ omnia maximè debent cognosci, & sciri à Parochis; Ideò hoc membrum, vt memoriæ consulamus, in tres articulos diuidetur. In quorum primo dicã de ijs, quæ requiruntur circa matrimoniũ ante contractũ matrimonij. In secũdo de ijs, quæ requiruntur in ipso contractu. In tertio de ijs, quæ requiruntur post ipsum cõtractũ.

ARTICVLVS I.

De ijs, quæ fieri debent ante contractum ipsum matrimonij.

1 IN hoc capite quæritur primò, vtrũ debeant fieri denunciationes matrimonij contrahendi antequàm contrahatur? Respondeo affirmatiuè: Nã hoc districtè præcipitur in Cõc. Trid. sess. 24. cap. 1. Et publicationes absque peccato mortali propter tale præceptum non possunt omitti, nisi de licentia Episcopi; aut nisi intercedat legitima caussa, & grauis; nec possit haberi accessus ad Episcopum, aut eius Vicarium. Et in hoc casu publicationes debent postea fieri nisi aliter videbitur Episcopo. Vide Petrum de Ledesma de magno matrimonij Sacramento. q. 45. art. 5.

Nõ tamen sunt publicationes de necessitate sacramenti. Vnde si omittantur cum caussa legitima, & de licentia Episcopi, non peccabit parochus, & matrimonium poterit esse ratum. Et si omittantur sine legitima caussa, & sine licentia Episcopi matrimoniũ erit ratum, si fiat; sed mortaliter peccabit Parochus.

2 Quæritur 2. Vtrum, antequàm fiant denunciationes debeat parochus petere ab ijs, qui contrahere volunt; An illis placeat, vt fiant publicationes? Resp. quòd parochus antequàm fiant publicationes debet petere ab ijs, qui contrahere volunt, consensum publicandi; Nec debet prius publicare, quã fiat certior id esse de mente illorum, qui volunt contrahere. Quòd si alter illorum sit absens, debet Parochus ante denunciationes fieri certior de voluntate, & mente absentis per nunciũ, seu & meli⁹ per litteras illius Parochi, in cuius parochia reperitur ille, qui vult contrahere. Et si in duabus Ecclesijs publicationes erunt faciendæ, puta, quia qui contrahere volunt sunt diuersæ parochiæ; debet vnus parochus facere certum alium de voluntate sui parochiani, seu vtriusque parochianorum. Quibus autem in locis sint faciendæ dictæ publicationes dicetur quæsito quinto.

Quæritur tertio, quid debeat dicere parochus quando exquirit consensum publicandi ab ijs, qui contrahere volunt?

Respon. primò, quod loco honesto, etiam in præsentia parentum, vel cognatorum; sed distantium, ita vt non possint audire, quæ ab ipso, & à fœmina dicuntur; debet fœminam seorsim interrogare: An placeat illi vt fiant publicationes de matrimonio, de quo tractatur inter ipsam, & talem virum. Et hoc habetur in Rituali nostro Mediolanensi, fol. 251. Debet autem tunc temporis diligenter cauere parochus, ne dum exquirit consensum publicandi, exquirat consensum contrahendi matrimonium, aut sponsalia: Puta dicendo, Es ne tu contenta contrahere cum tali, vt ego faciam publicationes? Vel promittis ne tu contrahere cum tali, quòd ego faciam publicationes? Quia tunc si adessent parentes, qui audirent, vel alij posset controuerti, an matrimonium fuerit contractum, seu sponsalia.

ſalia. Et hoc animaduertit Rituale folio citato, verſiculo. Qua in re caueat.

Secundò debet parochus eodem tẽpore, ſi commodè poteſt; vel alio, antequàm fiant denunciationes; interrogare ſeorſim contrahere volentes. An habeant aliquod impedimentum, propter quod contrahere non poſſint? puta An ſponſa promiſerit alteri, An vouerit caſtitatem? An cogatur a parentibus contrahere matrimonium? An velit contrahere de conſenſu parentũ? Nam hortanda eſſet, vt voluntatem ſuam conformaret voluntati parentum, niſi parentes vellent maliciosè impedire matrimonium; vel niſi aliud obſtet. Et ſimilia poſsunt dici etiam ſponſo.

Tertiò debet parochus hortari eos, qui contrahere volunt, vt parent ſe ad ſacramentum matrimonij vigilijs, orationibus, cõfeſſione peccatorum, communione ſanctiſſimæ Euchariſtię; aut, adminus cõtritione ſi ſunt conſcij peccatorum: Nam confeſſio, communio, ieiunium, & oratio ſunt de conſilio requiſita ante matrimonium: Contritio verò in eo, qui eſt conſcius de peccato mortali, requiritur de præcepto.

3 Quæritur quarto, quando debeant fieri publicationes? Reſp. quòd tribus diebus feſtiuis continuis; niſi, vt dixi, intercedat legitima cauſſa ceſſandi; aut licentia Epiſcopi. Et dixi (continuis) ex Concil. Trid. loc. cit. Quia ſi aliquis vellet, vt denunciationes fierent tribus diebus Dominicis continuis, omiſſis diebus feſtiuis ſi qui eſſent inter illos; non eſſet audiendus: quia id malitiosè fieri poſſet: Nam forſitan timetur ne aliquis ſciens impedimentum, qui non ſolet intereſſe diebus Dominicis Miſſæ parochi, intereſſet alijs diebus feſtiuis.

4 Quæritur quintò. Quò in loco faciendæ ſint denunciationes, ſeu publicationes? Reſp. quòd in Eccleſia parõchiali contrahentium. Et ſi in duabus parochijs habitẽt, ideſt vir in vna, & fœmina in altera, in Eccleſia parochiali vtriuſque debent fieri publicationes: Et ratio eſt, quia publicationes potiſſimùm fiunt, vt detegantur impedimenta; & cognoſcantur ſi quæ ſunt. Quæ cùm poſſint eſſe tàm ex parte viri, quàm ex parte fœminæ, ideò in parochiali Eccleſia vtriuſque faciendæ ſunt publicationes. Et debent fieri inter Miſſarum ſolemnia; quia tunc temporis in Eccleſia ſolet eſſe frequentior populus.

5 Quæritur 6. Qua forma vtendum ſit ad publicanda matrimonia? Reſpond. quòd nos in Mediolanenſi Eccleſia debemus vti formula præſcripta in ſacramentali noſtro folio 252. ex qua forma habetur: quòd debet publicari nomen, cognomen, parochia, & pater, ſiuè mortuus ſit, ſiuè viuus; illorũ, qui contrahere debent.

6 Quæritur ſeptimò. Vtrum qui ſciũt aliquod impedimentum, teneantur illud denunciare? Reſp. affirmatiuè. Et ita habetur ex prædicta formula. Hoc autem intelligendum eſt, niſi ex denũciatione timeatur futurum graue ſcandalum, aut graue periculum alicuius perſonæ. Ita Nau. in Man. cap. 22. nu. 83. Et ſi iam contractum eſt matrimonium, maximè ſi conſumatum ſit, ſi aliquis ſolus ſciret aliquod impedimentũ eſſe inter eos, qui contraxerunt, iuſtè, & bona fide; non debet illis denunciare tale impedimentum, vt ait Nau. loc. cit. quia ex hac denunciatione non poteſt ſperari aliquod commodum; ſed potius poſſunt timeri multa incommoda.

7 Quæritur 8. Vtrum, qui denunciat falſum impedimentum peccet mortaliter? Reſp. affirmatiuè: & eſt illi propoſita pœna excommunicationis; vt habetur ex formula præſcripta noſtri ſacramentalis. Et hoc intelligendum

est, si talis denunciat falsum impedimẽtum sciens illud esse falsum.

Quæritur 9. Vtrum, Parochus debeat cessare à publicatione quando defertur aliquod impedimentum? Resp. primo, quòd si parochus cognoscit deferentem verum dicere; & quòd verè constat de impedimento, nec amplius remanet dubitatio, debet cessare à publicationibus.

Resp. 2. quòd si ex delatione parochus tantùm dubitet, an sit impedimẽtum verum, necne; debet totam rem deferre Episcopo, seu eius Vicario; & facere quod ab eo sibi dictum fuerit.

Resp. 3. quòd si cognoscit impedimẽtum, quod defertur; esse nullum, vel non posse esse, non debet cessare à publicationibus.

Quæritur vltimò. Vtrum, antequã contrahatur matrimonium, si publicationes fiunt in duabus Ecclesijs: debeat parochus ille, qui vult interesse contractui matrimonij, ab alio parocho certificari, quòd publicauerit tribus diebus, & quòd nullum intellexerit impedimentum? Respond. affirmatiuè: quia alioquin viderẽtur superfluæ publicationes.

ARTICVLVS II.

De ijs, quæ fieri debent in ipso contractu matrimonij.

1 *Matrimonium possitnè fieri statim post vltimam publicationem.*
2 *Quo tempore sit matrimonium cõtrahendum.*
3 *Præsentia parochi quomodo necessaria.*
4 *Quis Censeatur parochus contrahentium.*
4 *Parentes contrahentium an possint esse testes.*
6 *Verba parochi quomodo necessaria.*
7 *Verba contrahentium.*
8 *Puellæ taciturnitas an toleretur, patre pro ipsa respondente.*
9 *Quis prior consensum præstet.*
10 *Quid de matrimonio vagabundorum.*
11 *Quomodo possit per procuratorem contrahi.*
12 *Quomodo tunc se geret Parochus.*

In hoc articulo quæritur primò, Vtrum statim post publicationes debeat fieri cõtractus matrimonij; vel an possit fieri in vltima die publicationis? Resp. Quòd non, nisi habita licentia ab Episcopo, seu eius Vicario: Vel nisi acciderit casus quò publicatio fiat in illa die, postquàm immediatè sequitur Aduentus, seu quadragesima. Et hoc habetur in Rituali folio 253. 1

Quæritur secundò, Vtrum si diù factæ sunt publicationes, idest ante multũ tempus possit contrahi matrimonium? Resp. Quòd si a die vltimæ publicationis lapsi sint duo menses, non debet contrahi matrimonium antequàm iterũ fiant publicationes; vel nisi de licẽtia Episcopi. Quòd si videbitis in Conc. Mediolanensi determinari spaciũ vnius mensis post vltimam publicationem ad contrahendum matrimonium: judicate illud decretum esse abrogatum per subsequentem constitutionem alterius sequentis Concilij.

Quæritur 3. Vtrum Manè, vel à prãdio sit contrahendum matrimonium? Resp. Quòd manè: ex Concilijs Prouinc. & Rituali, folio citato: Quia maiori reuerentia recipiuntur Sacramenta ante prandium, quàm post illud. Aliter autem potest fieri de licentia Episcopi. Atque hæc, quæ dicta sunt de tẽpore contrahendi matrimonium, & de publicationibus; intelligenda sunt de præcepto; non autem de necessitate sacramenti matrimonij: 2

nij; Nam matrimonium poterit esse ratum, & verum etiam sine publicationibus; etiamsi a prandio fiat; etiam si post duos menses ab vltimo publicationis die fiat: &c. Non tamen sine peccato; nisi intercedat legitima caussa, vel episcopi licentia.

3 Quæritur quarto, An præsentia parochi sit necessaria necessitate sacramenti simul cum præsentia testiū duorum, vel trium ad contrahendum matrimonium? Resp. Affirmatiuè: ex noua constitutione Conc. Trid. sess. 24. c. 1. sub his verbis. Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.

4 Sed dices, si peractis publicationibus cōtrahentes mutarent domicilliū, & commigrarent in aliam parochia, vt in illa habitarent; & deinde vellent contrahere: quinam parochus interesse deberet tali contractui? Respond. quòd ille Parochus, in cuius parochia reperitur illud domicillium, in quo tūc habitant quando de præsenti matrimonium contrahere volunt: quia tunc ille solus est contrahentium Parochus. Deberet tamen talis Parochus fieri certior de publicationibus factis; & quòd nullum fuerit repertum impedimentū antequàm matrimonium contraheretur.

5 Item dices. Pater, vel mater contrahentium, seu alterius contrahentis poteſtne esse legitimus testis in cōtractu matrimonij? Vel an, si præsente Parocho, & patre, ac matre alterius contrahentis; & non præsentibus alijs personis matrimonium à duobus contraheretur, esset censendum ratum, & validum? Respondeo affirmatiuè: quia pater, & mater in caussa matrimoniali possunt esse testes pro filijs; licet non in alia caussa. Ita habetur tit. De ijs, qui matrimonium reuocare possunt. cap. Videtur nobis. & probat Couar. Verum quidem est, quòd melius faceret Parochus si posset alios testes adhibere ad omnem suspicionē tollendam.

6 Quæritur 5. Vtrum ad contrahendum matrimonium necessaria sint verba Parochi interrogantis; & verba, vel alia signa cōtrahentium exprimētia consensum?

Ad hoc dico primò, quòd ad cōtrahendum matrimonium non necessariò requiruntur verba Parochi, sed tantùm præsentia: Idest, non est necesse, quòd Parochus interroget contrahentes quantùm ad necessitatem sacramenti; sed tantùm vt sit præsens, & cognoscat id, quod fit.

7 Dico secundò, quòd verba contrahentium, vel alia signa eorum exprimentia consensum necessariò requiruntur ad contrahendum matrimonium: Tum, quia matrimonium est sacramentum; & sacramenti materia, & forma debet esse res sensibilis; sed consensus contrahentium non potest esse res sensibilis, nisi exprimatur per verba, vel alia signa. Tum, quia matrimonium est contractus; sed ad faciendum contractum, vt dicit D. Th. in additionibus quæst. 45. art. 2. necesse est, vt contrahentes exprimant verbis, vel alijs signis exterioribus voluntatem suam.

8 Sed dices. Taciturnitas, sicut est signum sufficiens in puella ad exprimendum consensum sponsaliorum in præsentia patris pro ipsa promittentis, vt supra diximus; sufficitne etiam ad contrahendum matrimonium, si pater ipsa præsente, & non contradicente, & audiente pro ipsa respon-

respondeat? Respondeo affirmatiuè: & ita tenent omnes DD. Ad tollendã tamen omnem dubitationem debet Parochus curare, & efficere, vt puella ipsa distinctè, & altè respondeat; ita vt saltem ab ipso Parocho, & ab altero contrahente, atque à testibus audiatur.

Quæritur 6. Vtrum si Parochus voluerit interrogare, seu exquirere consensum, debeat prius à viro, an verò à fœmina incipere? Sacramentale nostrum folio 258. dicit incipiendum esse à viro. Quàm plurimi Doctores dicunt incipiendum esse primò à fœmina. Et ratio huius est, quia periculosius est quòd fœmina negaret; quia est magis volubilis, quàm vir. Ego dico, quòd hoc parum refert; & propterea poterimus sequi Rituale.

10 Quæritur 7. Quid facere debeat Parochus circa vagabundos, quando volunt contrahere matrimonium? Resp. quòd Conc. Trid. sess. 24. cap. 7. præcipit Parochis: quòd nulla ratione debeant interesse matrimonio contrahẽdo inter vagabundos, nisi prius facta diligenti inquisitione, vtrum alibi contraxerint matrimonium; & delata tota re ad Episcopum ab eo licentiam habeant. Idem etiam dicendum est, si ille, qui vult contrahere, est alterius Diœcesis: Nam tunc Parochus sponsę non debet interesse contractui matrimonij, etiamsi in parochia sponsi peractæ sint denunciationes. Et de hoc habeatur testimonium sui Parochi; nisi prius ab Episcopo, seu eius Vicario licentia habeatur: Ad Episcopum n. pertinet approbare legalitatem Parochi alterius Diœcesis.

Quæritur 8. Vtrum per Procuratorem possit contrahi matrimonium? Respondeo affirmatiuè; sicut dixi de spõsalibus.

11 Sed ad hoc nonnulla requiruntur.

Primum est, quòd Procurator habeat de hoc specialissimum mandatũ.

Secundum, quòd in mandato determinetur persona, cum qua matrimonium sit contrahendum.

Tertium, quòd Procurator non substituat aliam personam ad contrahendum loco sui; nisi de hoc habeatur specialis commissio ab eo, qui vult contrahere.

Quartum est, quòd mandatum non fuerit reuocatum antequàm fiat contractus matrimonij; etiamsi reuocatio non peruenerit ad aures alterius contrahentis. Imò etiamsi non peruenerit ad aures ipsiusmet Procuratoris, vt supra diximus de sponsalibus. Et hoc est specialissimum in matrimonio, & sponsalibus: ita Syluester ver. Matrimonium 5. §. 9. & 11.

12 Quæritur vltimò. Quibus verbis debeat vti Parochus in contractu matrimonij quando per Procuratorem fieri debet? Sylu. in sum. ver. Matrimonium. 5. §. vlt. ex Io. Andr. cap. Procurator. tit. De procuratoribus in sexto, ponit verba, quæ dicere debet Procurator quando nomine alterius vult cõtrahere matrimonium: Et simul ponit verba, quæ respondere debet ille contrahens, qui est præsens. Sed ego dicta verba nunc esse omittenda iudicaui; quia post Concilium Trid. aliter contrahuntur matrimonia, ac vt plurimùm fiebat ante; Nam antea non requirebatur sacerdos. Et propterea ea tantummodò verba ponam, quæ dicere debet sacerdos quando contrahẽdum est matrimonium per Procuratorem; Et hæc sunt. Dominus tuus. N. vultne ducere, & nunc ducit. N. quæ est hic præsens; te mediante in suã vxorem, prout sancta Mater Ecclesia præcipit? Et ipse Procurator debet respondere. Vult, & ducit: Vel Domine ita. Deinde sacerdos interrogabit puellam sic dicens. Et tu. N. vis ne ducere, & nunc ducis, seu accipis. N. in tuum maritum mediante isto suo Procuratore, prout præcipit sancta Mater

ter

ter Ecclesia? Et ipsa respondebit. Volo, & accipio: Vel Domine ita.

ARTICVLVS III.

De ijs, quæ fieri debent post contractum matrimonium.

1 *Benedictio sponsorum.*
2 *A quo benedicendi.*
3 *Quid si sponsus sit viduus?*

1 IN hoc articulo quæritur primò. Vtrum, post contractum matrimonij nuptiæ sint benedicendæ? seu spōsi sint benedicendi? Respondeo affirmatiuè. Et hoc habetur ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 1.

Sed dices. Ista benedictio nuptiarum debetne fieri de præcepto, seu sub pœna peccati mortalis: an verò tantū de consilio? Resp. quòd tantùm de consilio; vt optimè dicit Nau. cap. 22. Manu. num. 83. Et probatur, quia Conc. Trid. cap. cit. non præcipit sponsis, vt benedictionem recipiant; sed tantùm illos hortatur: ergo non peccabunt sponsi si post contractum matrimonij nolint benedici: modò non sit contēptus.

2 Secundò dices: Cuius nam est benedicere sponsos? Resp. ex Conc. Trid. loc. cit. quòd solus Parochus contrahentium; Vel alius sacerdos de ipsius Parochi, aut Episcopi, vel eius Vicarij licentia potest sponsos benedicere. Et si alius, quam Parochus contrahentium, aut sine licentia ipsius Parochi, vel Episcopi, aut eius Vicarij sponsos benedicere ausus fuerit, ipso facto remanebit suspensus suspensione reseruata Ordinario illius Parochi, cuius erat benedicere: Sicut ille, qui interest contractui matrimonij pro Parocho si sit sacerdos, & intersit absque licentia Parochi contrahentium, Episcopive aut eius Vicarij; remanebit suspensus suspensione reseruata Episcopo cō trahentium. Et hæc omnia habentur ex Conc. Trid. cap. cit.

Quæritur secundò. Vtrum omnes sponsi post contractum matrimonij sint benedicendi? Resp. quòd non. Sed tantùm illi, qui alias non fuerunt benedicti: quare si viduus cum vidua contrahit, sponsi non erunt benedicendi.

3 Sed hic est dubitatio. Vtrum, saltem sint benedicendi sponsi, quando sponsa, quę contrahit, est virgo; sed sponsus est viduus? Nau. cap. 22. man. num. 83. dicit, quòd quando virgo contrahit cum viduo, vel vidua cum virgine, non sunt benedicēdæ nuptię, nisi vbi esset consuetudo benedicendi similes nuptias. D. Th. in additionibus ad tertiam partem dicit, quòd non sunt benedicendæ nuptiæ quādo vidua contrahit cum virgine; sed debent benedici quando virgo contrahit cum viduo. Rituale nostrum dicit idē, quod D. Thomas. Sed addit, quòd tantùm in illis locis, vbi est consuetudo, debēt benedici nuptię quando virgo mulier contrahit cum viro viduo. Nauar. loc. cit. dicit hanc opinionem D. Thomæ deffendi ab egregijs Thomistis.

MEMBRVM IV.

De matrimonio contracto contra intentionem, seu consensum contrahentium.

1 *An requiratur consensus animi cō trahentium.*
2 *Protestatio præcedens an inualidet matrimonium.*
3 *Quid consulendum hoc in casu.*

IN hoc membro quæritur. Vtrum, si qui contrahunt matrimonium, & vi-

videntur consentire verbis, sed tamē animo dissentiunt; cēseantur verè con trahere matrimonium? Resp. Quòd in foro interiori siue vterq; cōtrahētiū, siuè alter tantùm dissentiat animo quā do contrahitur matrimonium; tale ma trimonium non potest esse validum: Quia consensus animi adeò necessarius est ad contrahendum matrimoniū tempore ipsius contractus, vt sit materia, vel forma ipsius matrimonij: Sed in foro exteriori quando duo verbis contrahunt, & vterque vel vnus eorum animo dissentit, iudicabitur matrimonium; nisi appareant manifesta signa dissensus: Quia Ecclesia in foro exteriori tantùm iudicat secūdum ea, quæ apparent: Et quia Ecclesia recurrere debet ad communem verborum intelligentiam: Et denique, quia si Ecclesia crederet contrahentibus quā do dicunt se contraxisse absque animo contrahendi, facilè multa dissoluerentur matrimonia. D. Th. in additionibus ad 3. p. q.46. ar.4. Dicit; Quòd si quis simulatis verbis cum vna contraheret; & deinde cum alia vero consēsu, necessariò deberet manere cum secunda: Et licet Ecclesia iudicaret illū debere manere cum prima, & propterea illum excommunicaret si cum prima non maneret; deberet potins iste mille excommunicationes sufferre, quā cum prima manere: Et si non posset alia via vitare scādala, & damna, quæ contra ipsum à Iudice exteriori inferri possunt; in remotissimas regiones fugere deberet.

2 Quæritur 2. Vtrum si quis ante contractum matrimonij protestetur corā viris probis, & multis. Quòd id, quod faciet, non faciet animo contrahendi: Et deinde matrimonium contrahat; an iudicandum sit validum in foro exteriori? Veruecius, vt refert Sylu. in sum. ver. matrimonium. 4. §. vlt. dicit, Quod Ecclesia iudicabit tale esse verum matrimonium. Primò, quia Ecclesia debet recurrere ad communē verborum significationem, quæ in ipso contractu proferuntur. Secundò, quia dolus nemini patrocinari debet. Tertiò, quia iste potuit mutasse animum, & consensisse. Sylu. loc.cit. dicit, quòd distinguendum est. Nam vel talis, qui protestatus est aliqua causa legitima est protestatus; & matrimonium contraxit caussa legitima, puta ad euitandum stuprū, seu aliquod graue scandalum: & tunc Ecclesia iudicabit illud non fuisse matrimonium. Sed si dolosè protestatus est, & contraxit simulatis verbis, nisi constet apertè de ista simulatione per aliud, quàm per protestationē, Ecclesia iudicabit fuisse verum matrimonium.

Quòd si dicas. In foro interiori quid dicendum in hoc casu? Resp. quòd in foro interiori Confessarius non debet multùm considerare protestationem, vt cognoscat, An matrimonium fuerit validum: sed tantùm debet scire, quòd si contrahentes tempore contractus habebant animum contrahendi erat verè matrimonium. Secus non, siuè fuerit facta protestatio; siue non.

3 Quæritur vltimò. Quid faciendum sit, quando vir dicit mulieri. Ego quan do contraxi tecum non habebam animum contrahendi? Resp. quòd consulendum est mulieri, vt non credat; Et ita dicunt omnes DD. Et si crediderit, durante tali credulitate nō poterit petere debitum: quia credit talem non esse suum maritum. Nec debebit reddere; quia maritus sibi præiudicauit dicendo se non consensisse in matrimonium.

Sed dices. Quid si maritus deinde dicat se mentitum fuisse; quando dixerit, quòd non consenserat in matrimonio tempore contractus? Resp. quòd mulier debebit ei credere, quia temerariè antea crediderat. Et si noluerit credere secundis verbis videbitur ligata: quia si non reddet debitum videbitur

tur peccare: quia marito negat debitum. Et videbitur peccare si reddet: quia credit se non habere maritum. Et sic remanebit perplexa. Quare ad euitandam talem perplexitatem consulendum erit ei, vt cesset à tali credulitate; sed existimet suum maritũ consensisse tempore contractus; nisi essent manifesta indicia dissensus mariti.

MEMBRVM V.

De matrimonio contracto sub conditione.

1 *Matrimonium sub conditione an teneat.*
2 *Conditio impossibilis.*
3 *Conditio inhonesta, quomodo vitiet actum.*
4 *Conditione adimpleta num requiratur nouus consensus.*
5 *Quid de conditione, si Papa dispensauerit.*
6 *Quid de alijs conditionibus.*

1 IN hoc membro quæritur primo. Vtrum, Matrimonium contractũ sub conditione sit validum?

Vt huic quæsito satisfiat notandum est, quòd primò conditiones, quæ possunt apponi contractui matrimonij; vel sunt necessariæ, siuè sint generales, siue sint particulares. Vt si quis sacerdoti interroganti responderet. Sum contentus accipere hãc in vxorẽ nũc; Si non est vxor alterius; vel si Deo placet; vel si non est mihi cognata. Et istę conditiones sunt ac si non essent appositæ; quia necessariò subintelliguntur: Et propterea nõ vitiant matrimoniũ. Sed si fuisset matrimonium sine talib⁹ conditionibus, erit etiam matrimoniũ appositis talibus conditionibus. Imò etiamsi talis conditio sit de futuro, puta, Sum contentus accipere hanc in vxorem, si mensis Aprilis habebit triginta dies in hoc anno futuro; Talis conditio habebitur pro non apposita, nec suspendet matrimonium, secundũ communem Doctorum opinionẽ, vsque ad aduentum ipsius Mensis Aprilis. Et ratio huius est, quia quæ sunt necessariò futura sunt præsentia in suis caussis. Ita D.Th. & Sot. in 4.d.29. Victor. in sum. Sylu. in sum. ver. Matrimonium. 3. §. 2. & communior DD. opinio.

2 Secundò. Aliæ sunt conditiones impossibiles: Vt si quis diceret. Sum contentus hanc in vxorem accipere nunc, si Cœlum digito tetigerit: vel si Cœlum Lunæ non est infimum. Et tales conditiones siuè sint de præsenti, siuè de futuro, sunt ac si non essent appositæ; seù censentur non appositæ. Ita dicit Greg. 9. cap. Finali. tit. De conditionibus appositis. Sed quod dicit Papa intelligendum est quantùm ad forũ exterius. Quòd videlicet tales conditiones impossibiles in foro exteriori nec arguunt pro matrimonio, neque contra matrimonium: Sed si aliunde non potest cognosci non esse matrimonium, censebitur matrimonium, etiãsi ponantur tales conditiones. Sed in foro interiori recurrendum est ad intentionem contrahentium. Nam si intendebant contrahere non obstante tali conditione impossibili, erit validum matrimonium: Secus si non intendebant contrahere.

3 Tertiò, conditiones aliæ sunt possibiles; idest rerum, quæ possunt esse, & non esse: Et hæ vel sunt inhonestæ, & contra bona matrimonij, vt si quis diceret. Sum contentus contrahere cum ista nunc, si erit sterilis; vel donec inueniam meliorem; vel si panem meretricio lucrabitur; & istæ conditiones vitiant matrimoninm, vt supra dixi, cũ de bonis matrimonij agerem.

Quartò. Vel sunt possibiles quidem, & inhonestæ conditiones; sed non contra bona matrimonij. Vt si quis diceret;

ret; Sum contentus nunc contrahere cum ista, si tamen interficiat inimicũ meum; vel furtum committat. Et istæ conditiones censentur ac si non essent appositæ; nec vitiant matrimonium. ita cap. finali citato De conditionibus appositis.

Quintò. Vel sunt conditiones possibiles, & honestæ: Et hæ sunt vel de præterito, aut de præsenti, vel de futuro. Si sunt de præterito, aut præsenti possibiles; Vt si diceret. Sum contentus contrahere cũ ista si pater suus est mortuus: Vel si habet totam dotem promissam in sua crumena. Et istæ conditiones ponantur actu, idest si verè est mortuus pater, vel si verè habet pecuniam in crumena matrimonium est validum. Si verò non sunt actu, est inualidum: Vt si non est mortuus pater, vel non habet pecuniam.

Vltimò. Vel conditiones sunt possibiles, honestæ, & de futuro: Vt si quis diceret. Sum contentus contrahere cũ ista si infra duos menses habebit totam dotem promissam. Et tunc istæ cõditiones dicũtur suspendere contractũ matrimonij, vsq; ad euentũ conditionis.

Sed dices. Suntne sponsalia quando quis contrahit cum aliqua sub hac cõditione possibili, honesta, & de futuro? Resp. quòd non sunt sponsalia de præsenti, sed tantùm de futuro, & propterea ante aduentum conditionis inde non oritur impedimentum publicæ honestatis.

4 Rursus dices. Adimpleta conditione eritne matrimonium? Resp. quòd non. Sed tantùm erũt sponsalia de præsenti, idest sponsalia non amplius conditionata. Et si voluerint contrahere matrimonium, oportebit de nouo iterum exprimere consensum præsente Parocho, & testibus. Aliqui dicunt, ꝙ erat matrimonium quando ponebatur conditio, idest quando dicebat. Sũ contentus contrahere nunc cum ista, si termino duorum mensium, &c. Sed isti errant. Quia sacramenta non possunt suspendi sub cõditione. Et si semel fuerunt sacraméta nõ possunt inualidari.

Item dices. Si quis diceret, Sum contentus contrahere cum hac, si inuenero eam virginem, quid iuris? Resp. ꝙ si iste intendit experiri eã per inspectionem Matronarum, An sit virgo; conditio erit honesta, & de futuro. Si verò ipse intendit experiri conditio est inhonesta; & nõ inualidat matrimoniũ.

5 Demum dices. Quid si quis diceret. Contraho tecũ consobrina mea si Papa dispensauerit? Resp. ꝙ dispensante Papa tunc incipient esse sponsalia qñ fiet dispensatio, & non ante. Et deinde erit matrimonium quãdo post dispensationem aderit Parochus, & testes; & nuper exprimetur consensus, per verba de præsenti.

Quæritur 2. Vtrum, si quis cõtraxit cum vna sub conditione possibili, honesta, & de futuro; & deinde ante adimpletionem conditionis absolutè contrahit cum alia; sit matrimonium cum secunda. Resp. Affirmatiuè. Ita Syluest. matrimonium. 3. §. 6. & alij.

Quæritur 3. Vtrum, si quẽ pœniteat postquàm contraxit sub cõditione possibili, honesta, & de futuro; teneatur cõtrahere posita conditione? Resp. ꝙ tenetur. Quia tenetur seruare fidem. Et notate quòd, vt valeat conditio talis, debet acceptari ab vtroq; contrahentium, vt dicunt Doctores. Atque hæc sunt, quæ ex multis, quæ dicũt Doctores; de conditionibus dicenda esse existimaui, circa matrimoniũ, vel circa sponsalia.

6 Notandũ aũt hìc est, ꝙ aliud est, vt dicunt DD. contrahere matrimonium sub conditione, aliud sub modo, aliud sub caussa, & aliud sub demõstratione. Nã sub conditione contrahitur matrimoniũ cùm quis dicit. Sum contentus contrahere tecum; si habes, vel si habebis pecuniam. Sub modo contrahitur matrimoniũ per coniunctionem (vt)

& si

& si quis dicat. Sũ contentus contrahere tecũ, vt occidas inimicum meũ. Sub caussa contrahitur matrimonium cum coniunctione (quia) vt contraho tecũ; quia interficies inimicum. Sub demonstratione verò contrahitur matrimonium per Qui, Quæ, Quod; Vt cõtraho tecum, qui occides inimicũ. Nos loquuti sumus tantùm de conditionali: quia caussa, modus, aut demonstratio circa matrimoniũ nihil efficiunt, nisi ponãtur contra bona matrimonij: Vndè si quis diceret. Contraho tecum, vt feras dotem; vel quia feres dotem; vel quæ feres dotẽ, erit matrimoniũ etiamsi nõ feratur dos. Si verò dicat: Cõtraho tecum si feres dotem, suspendetur matrimonium. Atque hæc intelliguntur etiã de sponsalibus.

CAPVT III.

De impedimentis, quæ impediunt, & dirimunt matrimoniũ.

1 *Impedimenta matrimonij duplicis generis.*
2 *Impedientia, & dirimentia.*
3 *Professio in religione, quomodo dirimat.*
4 *Error quotuplex.*
5 *Error personæ dirimit.*
6 *Cur in errore Papa non dispenset.*
7 *Quid de matrimonio Iacob cũ Lia?*
8 *Quid si pro vna filia alia eius soror substituatur?*
9 *Error fortunæ quid efficiat.*
10 *Error conditionis, qualis.*
11 *Matrimonium serui cum serua, quam putat liberam.*
12 *Serui matrimonium sine licentia domini.*
13 *Obligatio serui domino, & vxori cui potior.*
14 *Quomodo partus sequatur ventrem.*

MAtrimonij quædam sunt impedimenta, quæ à DD. dicuntur impedire, & dirimere matrimonium. Quæ partim sunt à natura, partim verò à lege pontificia iustis de caussis introducta. Quædam verò impedimenta alia sunt, quæ dicuntur impedire tãtùm, sed non dirimere matrimonium: Et hæc etiam partim à lege diuina, vel naturali; & partim à lege pontificia iustis de caussis introducta sunt.

Nos in præsenti capite tãtùm de impedimentis prioris generis agemus, quæ videlicet dicuntur impedire, & dirimere matrimonium: Nam de alijs, quæ impediunt, sed non dirimunt; in sequenti capite dicetur. Porrò impedimẽta prioris generis sunt numero duodecim; quæ continentur in hisce quatuor versibus. Qui ponuntur à Scholast. in 4. sent. à canonistis in 4. Decreta. & à Nau. in Man. cap. 22. & hi sunt.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Atque hæc duodecim impedimenta dicuntur impedire, & dirimere matrimonium, nõ quia verè matrimoniũ dirimant, quod iam fuerit ratum, & validum: sed quia posito vno illorum, iudicatur matrimonium sequens fore nullum. Atque inde fit, quòd hæc impedimenta dicãtur dirimere matrimonium si fuerint posita ante ipsum matrimonium; non autem si oriãtur post contractum matrimonium: Vt si quis habuit copulam carnalem cum sorore vxoris suæ antequàm contraheret cũ vxore sua, affinitas erit impedimentum dirimẽs matrimonium, quod fuit contractum cum sua vxore, idest tale matrimonium iudicabitur nullum propter impedimentum affinitatis præcedens. Sed si quis habuit rẽ cũ

sorore vxoris suæ post contractum matrimonium, talis affinitas orta ex copula carnali non poterit dirimere matrimonium, quod fuit validum ante ipsam. Quia, quod Deus coniunxit homo non separet. Matth. 19. Excipitur 3 tamen impedimentum voti solemnis, quod oritur ex professione in Religione approbata. Quod votum inter alia impedimenta dirimentia matrimoniũ hoc habet singulare priuilegium, vt dirimat matrimonium, quod iam fuit validum, modò non fuerit per copulam carnalem consummatum. Neque sit votum solemne castitatis, quod emittitur per susceptionem Ordinis sacri; nam tale votum non dirimit matrimonium: Si enim coniugatus suscipiat Ordines sacros, vt diximus in septima parte huius nostri Tractatus, remanebit & ordinatus, & coniugatus; sed suspensus ab Ordinibus. At ille, qui post contractum matrimonij emittit professionem in Religione approbata, remanebit quidem religiosus, sed non coniugatus. Ratio autem huius disparitatis afferetur infra cùm de voti impedimento agetur. De prædictis ergo duodecim impedimẽtis singillatim est differendum. Et primò de impedimento erroris.

De Impedimento erroris.

4 Error, quantùm ad nostrum propositum nunc attinet, idest qui circa matrimonium contingere potest; quadruplex est. Videlicet error personæ; vt quando aliquis existimat se contrahere matrimoniũ cum vna persona, puta cum Catherina; & contrahit cum alia persona. Error conditionis; vt cùm quis existimat se contrahere cum libera, & contrahit cum serua. Error fortunæ; vt cùm quis existimat se contrahere cum diuite, & contrahit cum paupere; cum hærede, & contrahit cum non hærede. Et error qualitatis; vt cùm quis existimat se contrahere cum virgine, & contrahit cũ corrupta; cum nobili, & contrahit cum ignobili; cum sana, & contrahit cum infirma; cum legitima, & contrahit cum illegitima. Doctores omnes dicunt, quòd primus, & secundus error, idest personæ, & conditionis dirimũt matrimonium. Reliqui verò duo, idest fortunæ, & qualitatis non dirimũt matrimonium. Sed de secundo errore dicetur in sequenti impedimento, talis enim in versibus præallegatis dicitur conditio.

5 Primus error, qui dicitur personæ, verè dirimit matrimonium; idest matrimonium cum tali errore iudicatur contractum inualidum. Et ratio huius est. Quia vbi est talis error deficit esse consensus; vbi deest consensus deest materia, vel forma matrimonij; vbi deest materia, vel forma matrimonij deest matrimonium. Et hæc est ratio, 6 quam affert D. Th. in 4. sent. dist. 30. q. vnica, art. 1. Et Sot. ibidem. Et propterea Papa non potest in tali impedimento dispensare; Idest non potest efficere, vt matrimonium sit validum si contrahatur per errorem personæ. Quia Papa non potest supplere defectũ materiæ, aut formæ Sacramenti. Et ideò error personæ est impedimentum à iure diuino, & ex natura inductum.

Sed dices. Iacob Genes. 29. contraxit cum Lia, quam putauit esse Rachelem; & tamen fuit matrimonium: ergo error personæ non dirimit matrimonium. Resp. cum D. Th. & Sot. loc. cit. 7 quòd Lia fuit quidem vxor Iacob, sed non per illum consensum, quem præstitit quando existimauit illam esse Rachelem: sed per alium, quem deinde præstitit quando Laban promisit quòd post alios septem annos daret Rachelem, sed interim maneret cũ sola Lia, mansurus postea cum Lia, & Rachele.

Dices secundò. Si quis existimaret baptizare Catherinam, & baptizaret Fran-

Franciscam, esset Baptismus, vt diximus in secunda parte huius nostri Tractatus. Imò si quis existimaret baptizare masculum, & baptizaret fœminā esset Baptismus: ergo multo magis, si quis existimaret contrahere cum Catherina; & contraheret cum Lucia, deberet censeri matrimonium validū. Ad hoc respondeo, quòd non est par ratio. Quia in Baptismo, modò sit materia, & forma debita, sufficit intentio ministri applicandi materiam ad formam in subiecto apto. Sed in matrimonio consensus determinatus in particularem personam requiritur vt materia, vel vt forma: Et deficiente materia, aut forma alicuius sacramenti necessariò deficit & ipsum sacramentum. Quare sicut qui baptizaret accipiendò aquam rosaceam existimans illam esse naturalem non efficeret Baptismum: Ita si quis contraheret cum Catherina existimans se contrahere cum Lucia non esset matrimonium.

8 Dices tertiò. Si aliquis in matrimonium peteret filiam Ioannis Comitis Borrhomei; & loco illius supponeretur filia alterius esset ne matrimonium si talis cum illa contraheret? Videtur enim quòd sic. Quia esse filiam Comitis, vel non esse filiam comitis videtur pertinere ad fortunam, vel qualitatē: Nam sicut fortunæ est esse comitem, & non esse; ita fortunæ est esse filiā Comitis, & non Comitis. Nau. in Man. cap.22. num.32. dicit, quòd licet esse filiam Comitis in generali pertineat ad fortunam; tamen esse filiam talis Comitis pertinet ad personam. Idem dicit & Sylu. in sum. ver. Matrimoniū. Quare, inquit Nauarrus, si quis existimans contrahere cum filia Comitis in generali, contraheret cum filia nō Comitis esset matrimonium: quia talis esset error fortunæ. Si verò quis existimaret contrahere cum filia talis Comitis, & contraheret cum filia non talis Comitis, non esset matrimonium: quia esset error personæ. Sicut, inquit Nau. & Sylu. loc. cit. si quis existimaret contrahere cum primogenita, & contraheret cum secundogenita non esset matrimonium: quia esse primogenitum, & secundogenitum est diuersitas in personis.

9 Sed pro resolutione dictæ difficultatis diligentissimè notādum est ex D. Th. & Sot. in 4. d. 30. Quòd error fortunæ, & qualitatis, licet non dirimat matrimonium secundum se, potest tamen dirimere si redundat in errorem personæ. Quare aduertendum est discrimen esse inter eum, qui intendit contrahere dumtaxat cum illa, quæ habet talem conditionem; & eum, qui intendit contrahere cum ea, quam putat habere talem conditionem; vt si quis intenderet contrahere cum filia talis Comitis dumtaxat; & alius intendat contrahere cum hac, quam putat esse filiā Comitis: Nam primus non contraheret verum matrimonium; nisi talis, cū qua contrahit haberet talem conditionem, vt nisi esset filia talis Comitis. Secundus verò contraheret etiamsi illa, cum qua contraheret, non haberet illam conditionem, quam ipse existimabat habere; vt etiamsi non esset filia talis Comitis: Nam intentio primi fertur in eam personam tantùm, quæ habet illam conditionem; vel quæ est filia Comitis. Intentio verò secundi est contrahere cum hac persona, quam putat habere talem conditionem; vel quam putat esse filiam talis Comitis. Et hoc est id, quod ex D. Th. dicit Nauar. lo. cit. quòd existimans ducere hāc personam, quàm putat esse aliam; non est matrimonium, nisi consensus feratur in hanc. Et si consensus fertur in hanc præsentem erit matrimonium; etiamsi non habeat illas conditiones, quas putat habere. Vnde si quis, vt haberet Castrum, quod est mulieris nubilis; tentaret contrahere cum tali muliere Domina illius Castri; Et suppone-

poneretur altera, quæ non esset domina illius castri, & iste cum illa contraheret: Vt iudicemus, An sit matrimonium; diligenter considerandum est. Vtrum talis tempore contractus matrimonij habuerit intentionem, seu consensum tantùm contrahendi cum domina Castri, quã putabat esse hanc; an verò habuerit intentionem, & consensum contrahendi cum hac, quam putabat esse dominam castri: Nam si primum non fuit matrimonium, quia fuit error fortunæ quidem, sed redundans in personam. Quare & fuit error fortunæ, & personæ: Si verò secundum, non fuit error personæ; sed fortunæ tantùm.

De impedimento conditionis.

10 Notandum est primò, quòd hìc per conditionem non accipim' eam, quæ explicatur coniunctione (si) Nam de hac quantùm sufficit in præcedentis capitis mẽbro vltimo dictũ est; sed per conditionẽ accipimus qualitatem quandam, secundum quam aliqui dicuntur serui, & aliquæ dicuntur seruæ.

Notandum est secũdò, quòd hìc per seruum, & per seruam non intelligim' quemlibet famulum, aut famulam; sed tantùm eos, qui capti in bello; vel ex venditione, quia seipsos vendiderunt, vel ab alijs venditi fuerunt, dicuntur serui: Qui contra distinguuntur liberis, & ingenuis; & quales, licet perpauci, aut fortè nulli, reperiantur in hac nostra Ciuitate Mediolanensi, quàmplurimi tamen reperiuntur in Ciuitatibus maritimis; puta Genuæ, Venetijs, & in regno Syciliæ.

Notandum est tertiò, quòd hìc per seruum non intelligo quemlibet seruũ in seruitutem redactum; sed tantùm eum, qui christianus est; Nam de matrimonijs, quæ possunt fieri inter infideles, non est hic sermo; sed de eo agetur in impedimento disparitatis cultus; Nam inter baptizatum, & non baptizatum siuè baptizatus sit seruus, siuè nõ, nõ põt esse matrimonium propter aliud impedimentũ, quod est fortius, quàm sit seruitus; & quod dicitur disparitas cultus, de quo infra suo loco dicetur.

His prænotatis. Dico primò, quòd si liber contrahit cum serua, quam putat esse liberam: Vel libera contrahit cum seruo, quem existimat esse liberũ, non est matrimonium. Et ita determinatum est ex lege pontificia, vt habetur c.2. tit. De coniugio seruorum. Et ita dicunt omnes Doctores. Et rationem istius affert D.Th. in 4. dist. 36. quia cũ seruus sit totus in potestate Domini sui, non potest alteri tradere potestatem corporis sui.

Dico 2. q. si liber cõtrahit cũ serua, quam scit esse seruam; Vel libera contrahit cũ seruo, quẽ scit esse seruũ, est matrimoniũ validũ; Et habetur prædicto cap. 2. De coniugio seruorum. Et ratio huius est, quia cum liber cognoscat illam, cum qua contrahit, esse seruam; non subest error conditionis.

11 Dico 3. quòd si seruus contrahit cũ serua, quam putat esse liberam; Vel serua contrahit cum seruo, quem putat esse liberum, est matrimonium. Nam ita habetur prædicto cap. 2. Et ratio huius est, quia ex parte contrahentis non deterioratur conditio: Nam & ipse est seruus.

Dico 4. quòd si seruus contrahit cũ libera, quam putat esse seruam; Vel serua cum libero, quem putat esse seruũ; est matrimonium; vt habetur prędicto cap. Et ratio huius est, quia ex parte contrahentis non deterioratur conditio; sed melioratur, cùm ipse sit seruus, & persona, cum qua contrahit, sit libera; licet ipse existimet esse seruã. Hoc autem intelligendum est, si persona

na libera scit alteram personam esse seruam.

12 Sed dices 1. Potestne seruus contradicente, vel nesciente domino matrimonium contrahere? Ad hoc respond. omnes DD. præcipuè D.Th.in 4.d.30. & Sot.ibidem, & Armil.in summ.ver. Matrimonium. §.6. & Pontifex cap.1. De coniugio seruorum. Quòd potest. Et ratio est. Quia matrimonium est de lege naturæ; seruitus verò est de lege gentium, seu ciuili; Et lex naturæ pręponitur omni alteri legi.

13 Dices 2. si seruus contrahit matrimonium, teneturne potius obedire domino; an reddere debitum vxori, quādo illud petit?

Nau.in Man.cap.22.nu.34.dicit, quòd si seruus contradicente, vel nesciente domino contraxit matrimonium tenetur potius obedire domino. Glos.cap. 1.cit.De coniugio seruorū dicit, quòd ille, qui contraxit contradicente, vel ignorante domino debet potius obedire domino si petit seruitium circa eius personam. D.Tho.& Sot. in 4.d.cit.& Armil.in sum.ver. Matrimonium. §.6. dicunt, quòd si seruus ignorante, vel contradicente domino matrimonium contraxit, tenetur potius seruire domino, quàm reddere debitum; nisi seruitium exhibendū domino tempore reddendi debitum, esset parui momenti; Vel nisi dominus nullum, seu paruum detrimentum pateretur ex cessatione seruitij, quod illi faciendum est tempore reddendi debitum: Vel nisi esset periculum incontinentiæ in persona, quæ petit debitum. Si verò seruus contraxit de consensu domini secundū omnes Doctores tenebitur potius reddere debitum, quàm inseruire domino: Et ratio huius est. Quia qui concedit matrimonium censetur & concedere ea, quæ ad ipsum sequuntur. Ita Nauar. D.Thom. Sot. Armil. loc. cit. & Glos. loc.citato.

Atque hinc fit, vt dicunt prædicti Doctores: Quòd si seruus de consensu Domini contraxit matrimonium, non potest à domino vendi alicui, qui ducturus sit illum in remotas regiones: Secus si seruus non contraxit de consensu domini: Nam tunc posset vendi etiam illi, qui ducturus sit eum in remotas regiones; licet honestius esset eum vendere alicui, qui vellet eum retinere in proximis regionibus. Ita Nau.loc.citato.

Quòd si dicas. Si venderetur seruus illi, qui ducturus sit eum in remotas regiones; teneretur ne eius vxor illum sequi? Respond. quòd teneretur si commodè posset: Secus si non posset commodè.

Dices tertiò. Si liber contraheret cum serua, quam putat esse liberam; si postquàm cognouit eam esse seruam cum illa carnaliter commiscetur; per talem commixtionem fitne matrimonium? Respond. quòd ante Concil. Trident. si talis commixtio fiebat affectu maritali erat matrimonium & in foro interiori, & exteriori per talem commixtionem, vt dicunt omnes Doctores, maximè Armill. loc. cit. & vt habetur tit. De coniugio seruorum cap.2. Si verò talis commixtio fiebat non affectu maritali, sed tantùm propter carnis delectationem, aut aliam caussam in foro interiori non erat matrimonium; sed in foro exteriori, secus maximè quia Ecclesia existimabat illam commixtionem fieri vt debebat fieri; Idest sine peccato; Talis autem non poterat fieri nisi affectu maritali. Nunc autem post Concilium Trident. non esset matrimonium; quia post illud cessant matrimonia præsumpta; Vt optimè dicit Nauar.cap.25.num. 144. sicut per copulam carnalem ante Concil. Trident. sponsalia de futuro transibant in matrimonium; nunc non transeunt.

Dices

14 Dices vltimò. Si seruus contrahit cum libera; Vel liber contrahit cum serua, filij qui nascuntur eruntne liberi, an serui? Resp. quòd de lege canonica omnes filij, qui nascuntur ex libera, siuè eorum pater sit seruus, siuè liber; sunt liberi, vt habetur cap. vnico. De natis ex libero ventre. Secùndum legem imperatoriam habetur hæc maxima. Quòd filij sequuntur conditionem ventris. Quare si mater est libera, & ipsi sunt liberi, etiamsi pater sit seruus: Et si mater est serua filij sunt serui, etiamsi pater sit liber. Et ratio est, quia qui seminat in agro alieno facit fructus domino agri: Ita dicunt Doctores. Et ita seruandum est vbi lex imperatoria viget. Vbi verò non seruatur lex imperatoria quãtum ad hoc si filius nascitur ex ventre seruo, seruetur vsus patriæ, vbi nascitur. Si verò nascitur in ventre libero vbicunq; nascatur erit censendus liber, quia ita statutum est in lege canonica, quæ vniuersalis est, & vbique seruari debet.

De impedimento Voti.

1 *Votum duplex.*
2 *Votum solemne castitatis dirimit matrimonium.*
3 *Num hoc sit de iure diuino.*

1 Notandum est, quòd votum est duplex, simplex, & solemne. Votum solemne est illud, quod emittitur in susceptione alicuius Ordinis sacri; & hoc est castitatis: Et illud, qđ emittitur per professionem in Religione approbata; & hoc est obedientiæ, castitatis, & paupertatis simul. Reliqua verò omnia vota quæcunque illa sint præter votum dictum, quod emittitur in susceptione Ordinis sacri; vel per professionem in Religione approbata; dicuntur vota simplicia, quæcunque solemnitate emittantur, etiamsi corã testibus, etiamsi coram toto populo; etiam præsente Episcopo, vt est votũ Oblatorum Sancti Ambrosij. Et ratio huius est, quia Ecclesia tantùm acceptat pro solemnibus ea vota castitatis, obedientiæ, vel paupertatis, quæ emittuntur, & per professionem in Religione tantùm & castitatis quod emittitur in susceptione ordinis sacri in nostra ecclesia latina.

2 Hoc supposito. Dico quod hic est sermo tantùm de voto solemni: Nam de voto simplici castitatis, quod tantũ impedit matrimonium, & non dirimit, dicetur infra cap. sequenti. Item dico, Quòd votum solemne & impedit, & dirimit matrimonium. Hoc est, Quòd omnis ille, qui est ordinatus in sacris, vel est professus tacitè, vel expressè in Religione approbata, si contrahit matrimonium, matrimonium erit nullum, & inualidum. Ita habetur clem. vnica. tit. De affinitate, & consanguinitate. Et in Extrauagantibus. Ioannis 22. cap. Vnico. De voto, & voti redemptione; Et ita habetur c. Vouentibus 17. q. 1. Imò & ordinati in sacris, & professi in Religione approbata, si contrahunt matrimonium præterquã quòd matrimonium erit nullum, sunt ipso facto excommunicati, vt habetur clem. cit. Sed dices. Quid si Ordo sacer, vel professio in Religione approbata subsequantur ipsum matrimonium? Resp. Quòd si quis coniugatus suscipit Ordines sacros, remanet ordinatus, & coniugatus; sed suspensus ab Ordine: Et si sine consensu vxoris suscepit Ordines tenebitur manere cũ vxore, & reddere debitum, sed non poterit petere.

Si verò suscepit Ordines de consensu vxoris, non debebit manere cum vxore, quia vxor sibi præiudicauit concedendo marito licentiam suscipiendi Ordines.

Si autem coniugatus emittit professionem in Religione approbata professio

fessio erit nulla si matrimonium erat consummatum, nisi emiserit professionem de consensu vxoris, & vxor etiam ipsa ingressa sit in monasterium monialium; vel sit adeò vetula, vt non sit periculum incontinentię, vel nisi sit adultera, sed si matrimonium non erat cõsumatum, valet professio etiamsi fiat ignorante, vel contradicente vxore; & tunc matrimonium dissoluitur; & remanet libera vxor ad contrahendũ cum alio.

3 Sed hic est magna inter DD. cõtrouersia tam Theologos, quàm Canonistas. Vtrum, votum solemne dirimat matrimonium de iure diuino: An verò tantùm de iure ecclesiastico? Et hæc quæstio tractatur à DD. vt cognoscãt. An summus Pontifex in tali impedimento dispensare possit. Nam si de iure diuino dirimit matrimonium, non poterit Papa in eo dispensare. Si verò tantùm dirimit matrimonium de iure ecclesiastico, Papa poterit in eo dispẽsare. Si verò tantùm dirimit matrimonium de iure ecclesiastico, Papa poterit in eo dispensare. Et quidem quantùm ad votum solemne, quod emittitur per susceptionem ordinis sacri, nõ ambigunt Doctores; Nam omnes dicunt tale votum tantùm de iure ecclesiastico dirimere matrimonium; & ꝓpterea multoties Summus Pontifex dispensauit; & non multò ante nostra tempora in Marchione Soncini, qui cũ esset in sacris ordinatus dispensatione Summi Pontificis matrimonium contraxit.

Sed tota difficultas est circa votum solemne, quod emittitur per professionem in Religione. Nam D. Tho. 2.2.q. 88. a[illegible] dicit votum solemne emissum per professionem in Religione de iure diuino dirimere matrimonium, nec posse Summum Pontificem in eo dispensare. Idem tenuit Sot. & D. Bonau. in 4. sent. d. 36. Idem Glos. in cap. Cùm ad Monasterium De statu Monachorum, vbi Innoc. 3. cùm multa dixisset de paupertate, quam debent sequi Religiosi claustrales, in fine dicit. Qd paupertas monachorum, sicut & castitas, est adeò annexa Religioni, vt in ea nec Summus Pontifex dispensare possit. Verùm Caiet. in comment. supra prædictum art. 11. D. Th. Henric. Duran. Riccar. & alij in 4. sent. dist. 38. & Canonistæ multi, maximè Abbas Panorm. in cap. prædicto, Cùm ad monasterium. dixerunt contrarium. Idest votum solemne, etiam emissum per professionem in Religione, esse impedimentum dirimens matrimonium tãtùm de iure ecclesiastico; & in eo posse Papam dispensare, sicut & in votis simplicibus. Et ratio eorum est, quia solemnitas voti est tantùm de iure ecclesiastico. Et hæc distinctio voti in simplex, & solemne non est in iure diuino; sed tantùm facta est iure ecclesiastico. Secundò, quia opinio D. Thomæ, & sequacium suorum non fulcitur aliquo argumento, quod vim habeat. Nam ad cap. Cùm ad monasterium, dicunt respondendum esse. Quòd Papa Innocentius ibi loquebatur de monacho, qui vult remanere monachus, cui repugnat matrimonium. Quasi diceret Summus Pontifex repugnare, quòd quis simul, & eodem tempore sit & monachus, & coniugatus; quia castitas est annexa Religioni, & Papa non potest dispensare, vt religiosus manens religiosus matrimonium contrahat. Et hoc verum est; sed tamen potest Papa efficere, vt ille, qui erat monachus ꝓfessus per dispensationem non sit amplius monachus, sed contrahat matrimonium. Atque hæc opinio secunda, idest Caiet. & sequacium mihi videtur probabilior. Tum quia non probatur, quòd solemnitas voti sit de iure diuino. Tum etiam, quia dicunt dicti DD. idest Caiet. & alij ꝓ sola opinione cit. Papam aliquando dispensasse in tali voto, vt legitur Cælestinus 3. dispen-

sasse cum quadam Constantia sanctimoniali Rugerij filia. Et dicit Regem Arragoniæ monachum sancti Benedicti similiter fuisse dispensatum. Idem dicitur de patricio quodam Veneto ex familia iustiniana. Sed tamen Doctores primæ opinionis, vel negant has historias. Vel dicunt Papam dispensasse credentem tamquam particulare Doctorem se posse dispensare; vel Papam errasse in particulari facto. Verùm tutius est & admittere historias, has quæ à multis asseruntur, & dicere, Papam potuisse dispensare.

De impedimento cognationis naturalis.

1 *Cognatio triplex.*
2 *Cognatio naturalis, quæ dicatur.*
3 *Stipitis nomine quid apud Doctores.*
4 *Quid nomine lineæ.*
5 *Qui gradus consanguinitatis.*
6 *Figura consanguinitatis.*
7 *Quo in gradu prohibeatur matrimonium.*
8 *Quis prohibeatur iure naturali.*
9 *Quid si in mundo esset tantum pater, & filia.*
10 *In linea trãsuersali an aliquis gradus naturaliter prohibeatur.*
11 *Quid dicendum de filijs Adam.*
12 *Abraham quomodo contraxerit cum sorore.*
13 *Papa an dispenset in primo gradu.*

1 Cognatio triplex est. Naturalis, seu carnalis, quæ contrahitur per propagationem carnalem; & hæc dicitur consanguinitas. Spiritualis, quæ contrahitur per Baptismum, aut Confirmationem; & hæc dicitur compaternitas. Et legalis, quæ contrahitur de lege ciuili per adoptionem; & hæc dicitur adoptio. Et quoniam istæ tres cognationes omnes dirimunt matrimonium, & inter se diuersæ sunt; ideò de ipsis singillatim est differendũ: Et primò de cognatione naturali.

Est autem cognatio naturalis, vt dicit D.Th. in 4. sent. dist. 40. vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Vnde consanguinitas dicitur quasi sanguinis vnitas; Et consanguinei dicuntur quasi sanguine vniti, vel habentes eundem sanguinem. 3 Porrò per stipitem, intelligunt DD. eam personam, à qua aliæ trahunt originẽ: Vt stipes duorum fratrum erit eorum pater; quia duo fratres sunt consanguinei inter se, ex eo, quòd ab eodem patre descendant. Stipes consobrinorum est eorum auus; quia consobrini sunt inter se consanguinei, eò, quòd ab eodem auo originem trahant. Stipes filiorum consobrinorum est proauus; quia filij consobrinorum sunt inter se consanguinei, eò, quod ab eodem proauo originem trahant.

4 Doctores in consanguinitate naturali ponunt tres lineas, quarum duæ sunt rectæ; & alia transuersalis, seù collateralis (est autem linea collatio personarum ab eodem stipite descendentium diuersos habens gradus) Gradus est habitudo illa, quæ est inter duas proximas personas; nam vna sola persona gradum efficere non potest.

Linea recta descendentium est hæc. Pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, seù trinepos.

Linea recta ascendentium est hæc. Filius, pater, auus, proauus, abauus. Et linea recta descendentiũ, & ascendentium est vna tantùm; dicitur ascendentium si incipiamus computationem ab vna persona ascendendo ad præcedentes; descendentium verò si incipiamus è conuerso.

Linea transuersalis est illa, in qua non recto tramite tenditur ad stipitẽ,

sed

sed comparantur personæ vnius rectæ lineæ ad personas alterius rectæ lineæ: Et in hoc sunt fratres, consobrini, patrui, auunculi, & alij ab ijs descendentes.

5 Ad dignoscendos gradus in prima, vel secunda linea, quæ ambæ sunt rectæ, notanda est hæc regula: Quod tot sunt gradus cognationis in linea recta, quot sunt personæ vna dempta, idest dempto stipite: Vt pater, & filius sunt in primo gradu consanguinitatis: quia dempto patre remanet vna persona, quæ est filius. Pater, & nepos sunt in secundo gradu consanguinitatis: quia si pingatur recta linea à patre ad nepotem reperiuntur tres personæ; idest pater, filius, & nepos: Et propterea cùm dempto patre remaneant duo tantùm, idest filius, & nepos; inter patrem, & nepotem erunt tantùm duo gradus.

Ad dignoscendum quot gradus cōsanguinitatis sint inter vnam personā, & aliam in linea transuersali notandæ sunt diligenter tres regulæ: Quarum prima est: quòd quando consanguinei in linea transuersali æquè distant à cōmuni stipite toto gradu distant inter se; quoto distant à communi stipite: Vt ego, & frater meus sumus in primo gradu: quia ego, & frater meus distamus à patre, qui est communis stipes per vnum gradum. Ego, & consobrinus meus sumus in secundo gradu cognationis: quia ego, & consobrinus meus distamus per rectam lineam ab auo, qui est communis stipes nostrum, in secundo gradu.

Secunda regula est, quod quando duo inæqualiter distant à communi stipite toto gradu inter se distant, quoto distat remotior à communi stipite, vt Ego, & filius fratris mei sumus in secundo gradu cognationis: quia ipse distat à suo auo, qui est meus pater, per duos gradus; licet ego distem à patre meo, qui est suus auus, per vnum tantùm gradum. Et vt hæc omnia, quæ diximus, magis clara appareant, pingenda erit figura; quæ dicitur arbor consanguinitatis: Non quidem illa, quæ habetur apud Canonistas tit. De consanguinitate, & affinitate. Quæ, tùm sit quidem iusta, sed tot habeat ramos, & ramusculos, vt potius ingenia confundat, quàm instruat; & qualis est illa, quæ est in sum. Syluestri. Sed tantùm pingetur figura bicornis, idest habens duo cornua, seu duas lineas rectas, quæ ab eodem stipite incipiũt. 6 Et hęc est.

FIGVRA CONSANGVINITATIS.

Adam,
Eua.

Filius, vel Filia.	Filius, vel Filia.
I.	I.
Nepos, vel Neptis.	Nepos, vel Neptis.
II.	II.
Pronepos, vel Proneptis.	Pronepos, vel Proneptis.
III.	III.
Abnepos, vel Abneptis.	Abnepos, vel Abneptis.
IIII.	IIII.
	Trinepos, vel Trineptis.
	V.

Tertia regula, quæ eſt diligenter notanda, & quæ magis ad propoſitum noſtrum facit, eſt. Quòd licet antiquitus, etiam à tempore D. Gregor. D. Aug. & D. Ambr. conſanguinitas eſſet impedimentum dirimens matrimonium vſque ad ſeptimum gradum, vel ſextum ſecundum variam computationem; Nunc tamen, & à tempore Innoc. 3. hucuſque, vt videre eſt c. Gaudemus, De diuortijs, conſanguinitas dirimit matrimonium vſque ad quartum gradum incluſiuè. Et hoc quantùm ad lineam tranſuerſalem certiſſimum eſt: ſed quantùm ad rectam lineam fuerunt DD. vt Armil. & pleriq; alij; qui dixerunt, in illa vſque in infinitum eſſe impedimentũ dirimens matrimonium: Quare filia non poſſet cõtrahere cum patre ataui ſui, aut cum atauo ſuo: Et ſi Adam reſurgeret non poſſet cum aliqua fœmina contrahere. Sed meo iudicio melius dicit Sotus. Quòd etiam in recta linea conſanguinitas tantùm dirimit matrimoniũ vſque ad quartum gradum incluſiuè: Licet quantùm ad praxim hæc diſputatio ſit vana: quia non reperietur filia, ſicut neque reperta eſt à tempore Diluuij hucuſque; quæ viderit atauum ſuum.

Sed hic ſunt dubitationes. Quarum prima eſt: quòd videntur duo fratres diſtare in duobus gradibus. Quia pater, & filius diſtant in vno gradu, & tamen minus inter ſe diſtãt, quàm duo fratres: ergo duo fratres diſtabunt in ſecundo gradu. Reſp. quòd licet inter patrem, & filium ſit vnus gradus, ſicut inter fratres; tamen ille gradus, qui eſt inter patrem, & filium arguit maiorem conſanguinitatem; & gradus, qui eſt inter fratres, arguit minorem, ſed tamen in numero æqualem; vt vna albedo perfectior altera non eſt magis vna, quàm altera; neque minus vna, quàm altera.

8 Secunda dubitatio eſt. Vtrum cognatio naturalis vſque ad quartũ gradum ſit impedimentum dirimens matrimonium de lege naturæ, & eccleſiaſtica: An verò de lege eccleſiaſtica tantùm? Et hæc quæſtio proponitur, vt ſciamus in quibus caſibus Sũmus Pontifex diſpenſare poſſit circa conſanguinitatem: Et quando non ſit dirimendum matrimonium contractum inter infideles, quando ad fidem conuertuntur. Nam in impedimentis, quæ ſunt de lege naturali, nec Papa diſpenſare poteſt ſi ſunt de primis principijs naturæ: nec matrimonia inter infideles contracta conſiſtere poſſunt. Et reſp. quòd in gradibus, qui ſunt in recta linea aliqui dixerunt. Quòd eſt impedimentum de lege naturæ vſque in infinitum, ita vt Papa non poſſit in recta linea diſpenſare. Sed Sot. in 4. d. 40. & Caiet. vt ipſe Sotus citat ibidem dicũt non eſſe verum. Sed Caiet. dicit, quòd tantùm in primo gradu in recta linea cognatio dirimit matrimonium de lege naturæ. Sotus verò dicit & in primo, & in ſecundo. Quare ſecundum Caietanum Papa poſſet diſpenſare, vt auus contraheret cum nepte: ſecundũ Sotum verò cum pronepte tantùm, & alijs inferioribus.

Cur autem dicant Doctores: quòd Pater, & filia non poſſent inuicẽ contrahere, neque per Papæ diſpenſationem, ſunt multæ rationes, quas affert D. Th. in 4. d. 40. quas omnes, ne longum faciam, omitto. Tantùm dicam, quòd, vt ipſemet D. Thomas ait; etiam inter aliquas feras abhominabile eſt; vt pater, ſeu mater copulam habeat cum filia, vel filio ſuo. Ariſtot. lib. 9. De hiſtoria animalium affert exemplũ de Camelo, & Equo. Quòd Equus, & Camelus habentes copulam cum matre, quam non cognoſcebant, quia erat cooperta tegumentis, ſublatis tegumentis cùm Camelus cognouiſſet ſe habuiſſe rẽ cũ matre illicò Camelariũ occidit; & Equus ſe præcipitem dedit.

Sed

9 Sed dices. Quid si in mundo reperiretur tantùm pater, & filia; possentne inuicem contrahere? Aliqui dicunt; quod non, quia deberent iudicare mundum esse prope finem. Sot. loc. cit. dicit, quod possent contrahere, ne deficiat genus humanum: Nec debent existimare, quod propè sit dies Iudicij: quia de die illa nemo scit. Et ratio Soti est: quia licet sit contra legem naturæ, quòd pater contrahat cum filia; in vltima tamen necessitate hæc lex non obligat, quando est conseruandum genus humanũ; quando alia via conseruari nó potest. Quia quòd pater contrahat cum filia, licet sit contra legem naturæ; non tamen est intrinsecè malum; sicut esset odium Dei, vt in tali lege non posset fieri dispensatio ad conseruandum genus humanum. Extra tamen hunc casum semper est peccatum mortalissimum contrahere cum filia; neque vmquam ab Orbe condito hucusque fuit auditum; nisi inter barbaras nationes; de quibus mentionem facit Ouid. lib. 10. Metamor. sub ijs verbis.

Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, vt pietas geminato crescat amore.

De quibus antea dixerat lib. 7.

Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat sæuarum more ferarum.

In alijs gradibus, præterquam in primo, & secundo; potest Papa dispensare.

10 Altera dubitatio est. Vtrum Papa possit dispensare in omnibus gradibus, qui sunt in linea transuersali? Resp. secundum omnes DD. quòd in secundo, tertio, & reliquis potest. Quia in illis consanguinitas non est impedimẽtum de iure naturæ.

Sed tantùm est dubitatio de primo. Vtrum videlicet possit Papa dispensare, vt frater contrahat cum sorore? Resp. quòd hæc dubitatio est relinquenda Sum. Pontifici, & suis Consiliarijs. Et probabile forsitan est, quòd non: Licet Caiet. vt refertur à Sot. loc. cit. teneat partem affirmatiuam. In lege veteri fuit dispensatum à Deo in hoc; quia potuit Deus dispensare, vt in filijs Adam, & forsitan in alijs: sed Papa non potest omne id, quod Deus. Innoc. 3. dicit, quòd si Iudæi, qui conuertuntur, sint copulati vltra primum gradum, non sunt separandi, vt videre est cap. Gaudemus, De diuortijs, secus si in primo. Quòd autem in linea transuersali in primo gradu sit impedimentum dirimens matrimoniũ de lege naturæ probatur contra Caietanum. Nã Arist. lib. 2. Polyt. maximoperè vituperat Rempublicam à Platone delineatam: quia secundum ipsum posset vnus frater habere rem cum sorore; vel vnus pater cum filia: Quod tamen abhominabile est. Vt autem hoc intelligatur, sciendum est, quòd in Republica Platonis inter cætera decreta hoc erat. Quòd fœminæ deberent esse communes: quòd si hoc fuisset factum frater potuisset accedere ad sororem; & pater ad filiam. Deinde C. de Episc. & cler. l. Eum qui habetur. Quòd matres, & sorores possint manere cum sacerdotibus: Quia præter opinionem est, quòd possit indè aliquid mali euenire circa res venereas: Quasi quòd contra naturam sit filium cum matre, aut fratrem cum sorore commisceri. Lucanus, & alij Poetæ existimarunt talia connubia, idest inter fratrem, & sororem esse abhominabilia. Lucianus in Necromantia dixit talia connubia fieri apud inferos. Ouidius in lib. 9. Metamorphos. inducit quandam fœminã, quæ conqueritur eò quòd sibi non sit licitum habere rem cum fratre; sicut licitum est Dijs; Fingebant enim fabulosi Poetæ Iouem contraxisse matrimonium cum Iunone sorore. Oceanum

num etiam cōtraxisse cum sorore, &c. Hæc omnia afferūtur ex paganis: quia in ijs, quæ ad legem naturalem pertinent, valent argumenta ex paganis deducta. Genes.20. Abraham dixit vxori suæ. Dic te esse meam sororem; Et hoc faciebat Abraham ne recognosceretur maritus ipsius ab Abimelech Rege: Erat enim vxor Abraham formosissima, & cùm deberet ingredi ciuitatem Abimelech cum ipsa, timebat ne à Rege occideretur, vt Rex posset cum vxore ipsius Abrahæ commisceri; & propterea Abraham excogitauit consulere vxori suæ, vt diceret se esse sororem, ne cognosceretur vxor: quasi existimaturus esset Abimelech, quòd si erat soror, non posset esse vxor, eo q̃ id repugnaret legi naturæ. Deinde probatur ex D. Aug. lib. 15. & 17. De ciuit. Dei. Vbi manifestis argumentis declarat, matrimonium inter fratrem, & sororem numquam fuisse tentatum nisi inter belluinas, & barbarismas nationes. Demum Innoc. 3. cap. Gaudemus. tit. De diuortijs dicit, quòd si infideles conuersi ad fidem erant matrimonio copulati in primo gradu debent separari inter se: secus si in secundo, & tertio: ergo signum est, quòd matrimonium de lege naturæ non potest consistere inter fratrem, & sororem: Alioquin non essent separandi frater, & soror matrimonio coniuncti, si conuertantur ad fidem. Capitulum autem Innoc. est intelligendum de consanguinitate; Nam de affinitate aliter dicemus.

11 Sed hic sunt dubitationes. Prima est, quòd filij Adam ab initio Orbis inter se matrimonium contraxerunt: ergo non est cōtra legem naturæ, quòd soror matrimonio cum fratre coniungatur. D. August. libris De ciuit. Dei respondet. Quòd licet de necessitate naturæ ad propagandum genus humanum necessariò id fuerit factum ab initio orbis, numquam tamen postea hoc fuit licitum. Addo ego, quòd etiam nunc si talis casus eueniret, vt tantùm darentur fratres, & sorores in mundo: possent inuicem copulari absque peccato, sicut dixi de patre, & filia.

Secunda dubitatio est. Quòd 2. Reg. cap. 13. cùm Amnō filius Dauid vellet stuprare Thamar eius sororem, volebat prohibere Thamar dicens. Dic Regi, vt me tibi tradat, quod faciet, &c. ergo signum erat, sororem posse contrahere cum fratre. Ad hanc dubitationem dicit Palud. quòd forsitan Dauid non fuit verus pater Thamar; sed tantùm nutricius. Quia sunt aliqui, qui dicunt Thamar fuisse filiā cuiusdam fœminæ captiuæ, quam Dauid bello cœperat, quæ habebat Thamar filiam; & cum qua Dauid matrimoniū contraxit; & postea ex ea habuit Absalon; Amnon verò erat quidem filius Dauid, sed ex alia vxore. Sot. in quarta distinct. 40. putat hanc expositionem non esse verisimilem: quia 2. Reg. cap. 3. mater Thamar dicitur esse filia Regis, sed non est verisimile, quòd illa capta fuerit in bello. Quare ipse Sot. resp. ad dubitationem: quòd Thamar maximo rubore obfuscata, cum videret fratrem velle committere nephandum scœlus, vt euitaret manus fratris coacta fuit dicere quicquid in mentē veniebat.

12 Tertia dubitatio est de Abraham, & vxore. An fuerint frater, & soror? Videtur enim quòd fuerint. Quia Abraham, cùm esset homo iustus, nec debuit dicere, nec debuit consulere mendacium; sed consuluit vxori, vt diceret se esse sororem; & deinde dixit, se nō mentitū fuisse cùm dixisset quòd esset soror. Ad hoc resp. Aliqui, q̃ Abraham fuit dispensatus à Deo, vt posset cum sorore contrahere. Quia debebat in terris alienis multiplicare gentes Hebræorum. Sed D. Hieronym.

De

De quæst. Hebræorum super cap. 20. Genes. dixit. Quòd vxor Abraham nō fuit sua soror verè; sed erat ei maximè consanguinea soror Loth: Sed consueuerant Hebræi consanguineas appellare sorores, & consanguineos fratres. Vnde in Euang. Christo dicitur. Mater tua, & fratres tui foris te expectant. Idem dicit D. Aug. in libr. De ciuitate Dei. Idem Ioseph de antiqu. Iudaica libr. 1. Idem D. Thom. 2.2.q. 110.

11 Vltima dubitatio. Videtur Papa dispensasse cū Armeniaco comite Gallo; quòd posset ducere sororem in coniugem. ergo non est contra legem naturæ. Ad hoc resp. communiter Doctores, quòd cùm Armeniacus diplomate è Roma sibi oblato cum sorore contraxisset, quam perditè amabat; Galliarum Rex id audiens scripsit ad Sum. Pontificem, maximè demiratus, quòd in tali casu dispensasset. Perscrutati sunt Romæ, vnde hoc esset: Et repertum fuit, quòd Apostolicus notarius diploma tāquam apostolicū subscripsisset, accipiens munera, quæ summus Pontifex recusabat oblata ab Armeniaco. Et propterea talis notarius acerbissimas pœnas dedit. Atque hæc sufficiant de impedimēto cognationis naturalis.

De impedimento cognationis spiritualis.

1 *Cognatio spiritualis quid sit.*
2 *Quo iure, & quomodo introducta.*
3 *Cognatio spiritualis quotuplex ante Concilium Tridentinum.*
4 *Quotuplex post Concilium.*
5 *In Baptismo patrinus à quo eligendus.*
6 *Cognatio spiritualis vtrum possit superuenire matrimonio.*
7 *Quid operetur si superueniat.*
8 *Quid in Baptismo ex necessitate collato.*
9 *Quid de ignorantia in baptismo occurrente.*
10 *Cognatio num contrahatur à baptizante filium Concubinæ.*
11 *Num contrahatur in baptismo conditionato.*
12 *Cognatio an contrahatur ab infideli baptizante.*
13 *Cognatio inter baptizantem, & baptizatum.*
14 *Inter leuantem, & baptizatum.*
15 *An contrahatur per procuratores.*
16 *Cognatio inter confirmatum, & eius patrinum non confirmatum.*

1 Cognatio spiritualis est propinquitas personarum proueniens ex collatione sacramenti Baptismi, vel Confirmationis: vel ex susceptione baptizati, aut confirmati ex statuto Ecclesiæ. Ita deffinit cognationem spiritualem Mag. sent. in 4. dist. 42. Et dicitur esse ex statuto Ecclesiæ, quia cognatio spiritualis non contrahitur per ius naturale, neque per diuinum sicut consanguinitas in primo gradu, sed tantùm per legem, seu statutum ecclesiasticum.

2 Et ratio, cur Ecclesia statuerit, vt ex Baptismo, & Confirmatione oriatur hæc spiritualis cognatio; est, quia sicut per generationem carnalem, in qua nascitur filius, pater est filio consanguineus; ita per generationem spiritualem, in qua renascitur filius ad vitam spiritualem, pater idest baptizās, & mater idest tenens, seu suscipiens spiritualiter, debuit esse cognatus filio; & in tali regeneratione qui baptizat tenet locum patris spiritualis: quia ipse ministerialiter dat gratiam, quæ est

est vita spiritualis hominis: Tenens verò, seu suscipiens habet locum matris siuè sit vir, siuè fœmina, quia ipse repræsentans Ecclesiam regeneratum recipit in gremio Ecclesiæ.

3 Porrò triplex ante Conc. Trid. erat cognatio spiritualis, paternitas, compaternitas, & fraternitas.

Paternitas erat illa cognatio spiritualis, quæ proueniebat, sicut & inde prouenit ex Baptismo, & Confirmatione inter baptizantem, seù confirmantem, & baptizatum, seu confirmatum; & inter suscipientes seu tenētes ad Baptismum, vel Confirmationem, & baptizatum, seù confirmatum.

Compaternitas erat illa, quæ proueniebat ex Baptismo, vel Confirmatione inter baptizantem, vel confirmantem; & patrem, ac matrem baptizati, vel confirmatī: & inter tenentes ad Baptismum, seù Confirmationem, & patrem, ac matrem baptizati, vel confirmati. Similiter & inter vxorem tenentis ad Baptismum, vel Confirmationē, & patrem, ac matrem baptizati, vel confirmati.

Fraternitas erat cognatio spiritualis proueniens ex Baptismo, vel Confirmatione inter baptizatum, seu confirmatum, & filios tenentis naturalis legitimos, vel illegitimos. Has omnes cognationes spirituales videre possumus apud Mag. sēt. & omnes Scholast. in 4. d. 42. apud Nau. in Man. cap. 22. n. 36. & tit. De cognatione spirituali in sexto, vbi & Canonistæ has species spiritualis cognationis describunt.

4 Sed nunc post Conc. Trid. de medio sublata est tota fraternitas, & ex parte compaternitas: quia vxor tenentis non est amplius cognata propter Baptismum, aut Confirmationem patris, vel matris baptizati, aut confirmati; sed remansit cognatio spiritualis per Baptismū ad summum inter sex personas; & per Confirmationem inter quinque. Idest inter baptizantem, seù confirmantē; & baptizatum, seù confirmatum; & patrem, ac matrem baptizati, seù confirmati; Et inter tenentes, qui in Baptismo ad summum possunt esse vnus, & vna; & in Confirmatione vnus tantū, vel vna tantùm: & confirmatum, seù baptizatum; ac eius patrem, ac matrem. Quare baptizans, seù confirmans, vir, & mulier, qui tenent; quæ ad summum sunt tres personæ inter se per Baptismum, aut Confirmationem nullam contrahunt cognationem spiritualem; sed vnaquæque illarum personarum contrahit cognationem spiritualem cum baptizato, seù confirmato; & eius patre, ac matre: Similiter inter baptizatum, seu confirmatū per Baptismum, aut confirmationem, & matrem, aut patrem suum naturalem non contrahitur cognatio spiritualis, nisi pater sit ille, qui baptizat, aut mater; sed vnusquisque illorum contrahit cognationem spiritualem cum baptizante, aut confirmante, & cum suscipientibus baptizatum, seù confirmatum.

5 Et notandum est: quòd in collatione Baptismi, & susceptione ille tantū contrahit cognationem spiritualē inter tenentes, qui est deputatus ab illis, qui baptizandi curam gerunt, ad tale officium, & qui verè tenet ad Baptismum, ita & ad Confirmationem, vt videre est apud Conc. Trid. sess. 24. c. 2. Et quoniam eiusdem Concilij verba in re tanti momenti diligenter ponderanda sunt, ideò operepretium esse existimaui ea ad litteram hoc in loco describere, sicut describit Nau. loc. supracit. Et hæc sunt. Sancta Synodus statuit, vt vnus tantùm siuè vir, siuè mulier; vel ad summum, vnus, & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus,

chus, antequàm ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantũ ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat; doceat que eos quam cognationem contraxerint; ne ignorantia vlla excusari valeant. Quòd si alij, vltra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent, constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factũ fuerit; arbitrio Ordinarij puniatur. Ea quoq; cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantẽ, & confirmatũ, illiusq; patrẽ, & matrẽ, ac tenentẽ nõ eggrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.

Propter hanc determinationem sacri Concilij cessarunt multę cõtrouersiæ, & quæstiones, quæ fiebant inter catholicos Doctores circa cognationem spiritualem. Vt, an esset cognatio spiritualis inter baptizatos, & filios adoptiuos patrinorum; inter baptizatos, & vxorem patrinorum; inter baptizatos, & concubinam patrinorum; Similiter, An multi possent esse patrini; & quot possent esse; & similes quæstiones, prout dicit Nau in Manu. cap. 22. num. 38.

6 Sed tamen non obstante prædicta determinatione sacri Concilij adhuc remanent nonnullæ quæstiones, quarum solutio est scitu necessaria.

Quęritur ergo primo. Vtrum cognatio spiritualis possit superuenire matrimonio? Et an, si superueniat, dirimat matrimonium? Respond. quòd secundum communem DD. opinionem, cognatio spiritualis potest matrimonio superuenire. Nam, vt dicunt omnes, si quis baptizaret filium vxoris suæ cõtraheret cognationẽ spiritualẽ cũ ipsa. Non tñ põt cognatio spiritualis superueniens matrimonio dirimere matrimoniũ, quod iã fuit cõtractũ. Quia, vt diximus in principio istius capitis, & circa impedimẽtũ voti, qđ fit in ꝓfessione Religionis approbatæ, inter impedimenta dirimẽtia matrimoniũ, tale votũ solùm potest dirimere matrimoniũ iã contractũ, si non est consumatũ. Et hoc intelligendũ est quãtùm ad matrimonia, quæ fiunt inter Christianos: Nã, vt postea dicã circa impedimentũ disparitatis cultus; si infidelis coniugatus cõuertitur ad fidem catholicam, & alter coniux nolit cõuerti ad talem fidem, neque cum conuerso manere sine iniuria creatoris, poterit conuersus cum alia persona christiana cõtrahere, & sic dirimere matrimonium, quod erat inter se, & coniugẽ infidelẽ.

7 Quæritur 2. quid operetur cognatio spiritualis qñ superuenit matrimonium? Ad hoc dico 1. ꝙ si aliquis baptizat filiũ vxoris suæ, siuè sit ẽt suus fili⁹, siuè non in extrema necessitate, vel nulla oritur cognatio spiritualis, vt dixi in secunda parte huius Tractatus; inter ipsum, & suã vxorem; vel si oritur, nihil operatur: quia nec dirimit matrimoniũ, nec priuat talẽ iure petẽdi, aut reddẽdi debitũ. Et ratio huius est, quia ex eo, ꝙ aliquis facit id, qđ tenetur facere, tale factũ nõ debet sibi præiudicare, aut demere ab eo ius, qđ habet;

8 sed ille, qui baptizat filium vxoris suæ existente in extrema necessitate, & in extremo vitæ periculo cũ nõ sit alius, qui baptizet, facit id, qđ facere tenetur sub pœna peccati mortalis: ergo ex tali facto non debet sibi reportare damnum, idest amittere ius petendi debitũ.

9 Dico 2. ꝙ si coniux ignorantia excusabili teneret ad Baptismũ filium propriũ legitimũ; seu filiũ coniugis alteri⁹ legitimũ, vel illegitimũ, vel nõ cõtraheret cognationẽ spiritualẽ cũ coniuge, vel nihil operaretur talis cognatio: Vt si aliqua mulier fuisset vocata ab aliqua

qua vicina, vt esset cõmater eius filij, qui esset & filius coniugis illius cõmatris, quæ commater tamen id omninò ignoraret: Secus si id faceret ignorātia culpabili: quia videlicet non adhibuit debitam diligentiam, vt cognosceret, An baptizandus esset filius coniugis sui, maximè si de hoc dubitabat.

Dico 3. ꝙ si coniux absq; necessitate extrema, & sciẽter, seu absq; ignorantia inculpabili baptizat filium sui coniugis, siuè sit ẽt suus, siuè non, cõtrahit cognationẽ spiritualẽ cũ ipso coniuge, & talis cognatio spiritualis operaẽ, vt baptizans, vel leuans nõ possit petere debitũ à cõiuge; tenebitur tñ reddere: quia ex prauo suo facto non debet alter innocens reportare damnũ. Secus esset si alter coniux scienter consensisset, vt coniux suus baptizaret filiũ, vel de sacro fonte susciperet, aut teneret ad Cõfirmationem. Hæc doctrina est Durandi in 4. sent. d. 42. & aliorũ Scholasticorum ibidem.

10 Quæritur 3. Vtrũ si aliquis in casu necessitatis baptizaret filiũ cõcubinę, aut meretricis suæ contraheret cognationẽ spiritualem cum tali concubina, aut meretrice? Resp. affirmatiuè, ita vt non posset cum ipsa contrahere matrimoniũ, ẽtsi vellet. Ita Nau. c. 22. Manu. n. 40. Vbi ad hoc probandũ affert nonnullos canones: Ita & Sot. in 4. d. 42. q. 1. art. 1.

11 Quæritur 4. Vtrum ille, qui baptizat cũ cõditione, idest dicendo. Si non es baptizatus ego te baptizo, &c. cognationẽ contrahat cum baptizato, & ei⁹ parentibus? Item, vtrum ille, qui tenet puerum ad Baptismum, qui fit cũ conditione, contrahat cognationem cum eodem baptizato, & eius parentibus?

Ad hoc secundum cõmunẽ DD. opinionẽ dico tria. Primũ est, ꝙ si ille, qui baptizatur, cũ conditione, verè antea non erat baptizatus, & baptizans, & tenens cognationẽ contrahunt per Baptismũ collatũ cũ cõditione cum baptizato, & eius parentibus: Et ratio huius est, quia ille Baptismus collatus cum conditione verè fuit Baptismus.

Secundũ est, ꝙ si puer antea erat baptizatus; ꝑ Baptismũ, qđ deinde cõfertur ꝑ conditionẽ, non contrahitur cognatio spiritualis inter baptizantem, & tenentem in tali Baptismo. Et ratio huius est, quia talis Baptismus collatus cũ cõditione non fuit verè Baptismus.

Tertiũ est, ꝙ dũ est dubiũ, An puer fuerit verè baptizatus antequàm baptizaretur cũ conditione, Ecclesia iudicare debet, Baptismum collatũ cum conditione fuisse verum Baptismum; & ex illo contractam fuisse spiritualem cognationem inter baptizantem ac tenentem, & baptizatũ, & eius parentes. Ita Sot. in 4. d. 42. q. 1. art. 2.

12 Quæritur 5. Vtrum, Iudæi, seu alij infideles nõ baptizati si baptizant aliquẽ; vel si tenent aliquẽ ad Baptismũ cum eo spiritualẽ cognationem cõtrahant? Ad hoc resp. D. Tho. in 4. d. 42. q. 1. art. 3. quòd non: Et ratio huius est, quia qui non est baptizatus non potest esse capax alicui⁹ spiritualitatis. Quare gentilis, vel Iudaicus si conuerteretur ad fidem posset contrahere cũ persona, quã antea baptizauerit antequã conuerteretur. Simili modo si tenuisset eum ad Baptismum; licet numquàm deberet quis permittere, vt infidelis leuaret aliquem de sacro fonte. Secus esset si infidelis habuisset copulã carnalẽ cũ fideli, talis. n. etiamsi conuerteretur ad fidem, non posset matrimonium contrahere cũ consanguinea eius, quã carnaliter cognouit in 1. vel 2. gradu: Nã licet infidelis nõ baptizatus sit incapax cognationis spiritualis; est tamen capax affinitatis, quæ est res naturalis.

Quæritur 6. Per quem actũ in Baptismo cõtrahatur cognatio spiritualis inter baptizantem, & baptizatum, ac eius parentes? Resp. quòd per illum actum, quo fit sacramentum Baptismi.

Ideſt quando adhibita aqua baptizans dicit, Ego te baptizo, &c. Atque ex hoc fit, quòd ſi baptizans hoc tantùm faceret, & non alias ſolemnitates, quæ fieri ſolent circa Baptiſmum; contraheret cognationem ſpiritualem. Et ſi hoc non faceret, ſed alia omnia, non contraheret cognationem ſpirituale. Quare ſi puer baptizetur domi ſine ſolemnitate, & alius deinde addat ſolemnitates in Eccleſia; ille, qui domi baptizauit, erit verus compater, & cognatus baptizati, & non ille, qui adhibuit ſolemnitates in Eccleſia.

14 Quæritur 7. Per quem actum circa Baptiſmum contrahatur cognatio ſpiritualis inter leuantem, & baptizatū? Reſp. quòd tantùm per illum actum, quo baptizatus de fonte leuatur, aut ſuſcipitur ſtatim ac eſt baptizatus de manibus baptizantis ſi Baptiſmus fit per immerſioné; vel quo tenetur puer quando baptizatur ſi Baptiſmus fit per infuſionem, vel aſperſionem. Quare ſi aliquis circa puerū in Baptiſmo omnia alia faceret, ſed eum non ſuſciperet, aut leuaret de ſacro fonte, aut non teneret ad Baptiſmum, in illo puncto, in quo baptizatur, non contraheret cognationem ſpiritualem, de qua nunc loquimur. Quare ſi quis domi ſine ſolemnitate baptizaretur adhibito eo, qui eum ſuſciperet, aut leuaret poſt Baptiſmum, aut teneret cùm baptizatur tamquàm patrinum, & deindè fierent ſolẽnitates in Eccleſia adhibitis alijs, qui illum tenerent præ foribus Eccleſiæ, reſponderent, &c. non ſecundus, ſed primus eſſet verè patrinus, licet inter ſecundum, & baptizatum, ac eius parentes cōtraheretur aliud genus propinquitatis, quod impediret matrimonium contrahendum, ſed non dirimeret contractum; de quo genere propinquitatis dicam infra in capite ſequenti.

15 Quæritur 8. Vtrum cognatio ſpiritualis poſſit contrahi per Procuratores? Sunt enim aliqui Principes, & magnates, qui vocati ad ſuſcipiendos pueros de ſacro fonte, cùm ipſi aliquando non poſſint, vel nolint tali officio incumbere, ad colendam pacem, & amicitiam mittunt alios; qui pro ſe, & nomine ſuo pueros de ſacro fonte ſuſcipiant. De his ergo quæritur. An ipſi magnates: an verò illi, qui loco eorum baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiunt, cum baptizato, & eius parentibus ſpiritualem cognationem contrahant? Sylu. in ſumm. ver. Matrimonium. §. 7. hinc inde affert multos Doctores inter ſe pugnantes, Inter quos partim dicunt, quòd non Magnas, ſed Procurator cognationem ſpiritualem contrahit cum baptizato; partim verò dicūt, quòd Magnas, & non Procurator. Angel. in ſum. dicit. quòd antequàm contrahatur matrimonium, cenſendū eſt, cognationem ſpiritualem per Baptiſmum, ſeu Confirmationem fuiſſe contractam inter Magnatem; ſeù inter eū, qui per alium ſuſcepit baptizatum; ſed poſt matrimonium contractum cenſendum eſſe inter ipſos; ideſt inter Magnatem, & baptizatum non fuiſſe cōtractam cognationé ſpiritualem. Idē tenet Panorm. vt refert Sylu. loc. cit. Per matrimonium autem contractum intelligunt Ang. & Panorm. matrimonium, quod Magnas contrahit cū perſona, quam alius ſuo nomine de ſacro fonte ſuſcepit, vel ad Confirmationé tenuit. Verùm Dom. Sot. in 4. ſent. diſt. 42. q. 2. art. 2. apertè dicit, quòd inter Magnatem, ſeù alium, qui per Procuratorem aliquem de fonte ſuſcipit; & baptizatum ipſum, nulla contrahitur cognatio ſpiritualis. Sed cognatio ſpiritualis contrahitur inter Procuratorem, qui ſuſcipit, & baptizatum. Quare Procurator ipſe non poſſet contrahere cum perſona baptizata, quam ſuſcepit de Baptiſmo: Et ſi cum illa contraxiſſet, matrimonium eſſet nullum. Sed ille, qui miſit Procuratorem ad ſuſci-

ſci-

ſcipiendum talem perſonam de Baptiſmo, ſeù ad tenendum ad Confirmationem, poſſet cum tali perſona baptizata, aut confirmata matrimonium contrahere; & ſi iam eſſet contractum, validum eſſet. Et quidem opinio Soti eſt veriſſima, quia, vt ipſe ait, in ijs, in quibus requiritur tantùm expreſſio cōſenſus alterius, poteſt Procurator gerere perſonam alterius; ſed in illis, in quib⁹ non ſolùm requiritur expreſſio cōſenſus, ſed etiam requiritur actio quædā perſonalis non poteſt Procurator alterius perſonæ vices gerere. Quare, licet Procurator poſſit contrahere matrimonium pro alio, quia ad contrahendum matrimonium ſufficit conſenſus expreſſus; non poterit tamen nomine alterius aliquem de fonte ita ſuſcipere, vt non ipſe, ſed alter per ipſum, cenſeatur compater, quia ad contrahendam cognationem ſpirituale, præter conſenſum, requiritur actio quædam perſonalis, quæ eſt ipſamet ſuſceptio de fonte, ſeu tentio ad Baptiſmū, aut Confirmationem, eo modo, quo ſi Parochus impeditus non poſſet aliquē baptizare, & propterea efficeret vt alius pro ſe baptizaret, non Parochus, ſed baptizans contraheret cognationē ſpiritualem cum baptizato. Atque ita dicendum eſt quantùm ad ſuſcipientē: quòd ſi Magnas per alium vellet ſuſcipere baptizatum non ipſe, ſed ſuſcipiens contraheret cognationem ſpiritualem cum baptizato. Idē dicit Sylu. lo. cit. ideſt, Procuratorem ipſum contrahere cognationem ſpiritualem cum baptizato. Id autem, quod faciunt Principes, & Magnates quando pro ſe mittunt aliquam perſonam, vt baptizatum ſuo nomine ſuſcipiant, eſt tantùm cæremonia quædam, vt ait Sotus, ad tuendam pacem, & conſeruandā amicitiam.

16 Quæritur vltimò, vtrum non confirmatus, ſi aliquem ad Confirmationē teneat, contrahat cum eo cognationē ſpirituale? Ratio difficultatis eſt, quia ſupra diximus, quòd ſi non baptizatus tenet aliquem ad Baptiſmum non contrahit cum eo aliquam cognationem: ergo ſimili modo non confirmatus nō contrahit cognationem ſpiritualem ſi tenebit aliquem ad Confirmationem. Reſp. quòd non confirmatus ſi teneat ad Confirmationem verè contrahit cognationem ſpiritualem cum eo, quem tenet; modò ſit baptizatus. Nam per Baptiſmum, etiamſi non ſit confirmatus, ſit capax ſpiritualis cognationis. Hanc opinionem, quæ vera eſt, deffendit Syluester in ſum. ver. Matrimonium 8. q. 7. contra ſummam Angelicā, quæ pro ſe citat D. Thomam: ſed verè D. Thomas non dixit, quòd non confirmatus, modò ſit baptizatus, ſi aliquem ad Confirmationem teneat, non contrahat cum eo ſpiritualem cognationem. Opinionem Sylu. ſequitur Sot. in 4. d. 42. q. 1.

De Cognatione legali.

1 *Quid ſit cognatio legalis.*
2 *Quotuplex ſit.*
3 *Cognatio legalis inter quos oriatur.*
4 *Quæ ſit perpetua, & quæ non.*
5 *Emancipatio quid ſit.*
6 *Quid ſit adoptio.*
7 *Quotuplex ſit adoptio.*
8 *Ex qua adoptione oriatur cognatio legalis.*

Cognatio legalis eſt proximitas quædam, quæ oritur ex adoptione legali. Et dicitur cognatio legalis: quia non oritur naturaliter, ſicut cognatio naturalis; neque per rem ſpiritualem, ſicuti ſpiritualis; ſed tantùm per rem pertinentem ad legem ciuilē. Quare dicitur legalis, quaſi à lege. Huius autem legalis proximitatis, ſeù cognationis tres ſunt ſpecies. 1

Prima,

Prima, quæ est inter adoptantem, & adoptatum, filiosq; adoptati, ac nepotes, & à nepotibus descendentes.

Secunda inter coniugem adoptãtis, & adoptatum; vel inter coniugem adoptati, & adoptantem.

5 Tertia verò est inter adoptatum, & filios naturales, ac legitimos adoptantis. Dixi (naturales) quia inter duos filios adoptatos nulla oritur cognatio legalis. Dixi (legitimos) quia inter adoptatum, & filium naturalẽ illegitimum non oritur cognatio legalis. Et ratio DD. est, quia filius illegitimus non videtur esse sub potestate patris, sicuti filius legitimus.

Prima, & secunda species sunt perpetuæ quantùm ad hoc, vt impediant matrimonium. Nam sine dispẽsatione

4 Sum. Pontificis nũquam adoptans poterit contrahere cũ filia adoptiua; neq; filius adoptiuus cum matre adoptante. Item neque coniux adoptantis poterit contrahere cum filio adoptiuo, sicut nec coniux adoptiui poterit contrahere cum adoptante.

Dixi aũt (sine dispẽsatione Sum. Põtificis) quia cùm hoc impedimentũ sit tantùm de iure canonico in eo potest Summus Pontifex dispensare.

Tertia verò species nõ est perpetua, sed omninò tollitur per mortẽ adoptãtis, vel per emancipationem. Per mortẽ adoptantis; quia mortuo adoptante potest persona adoptiua cõtrahere cũ filio, vel filia naturali, & legitima adoptantis; cum quo filio, vel cũ qua filia ante mortẽ adoptãtis minimè poterat contrahere. Per emancipationẽ autem tollitur cognatio legalis tertiæ speciei si adoptans voluerit emancipare filiũ naturalem legitimũ, quo casu poterit filia adoptiua cũ eo contrahere. Similiter si adoptans emancipauerit filiam naturalem legitimam, poterit cum ea contrahere filius adoptiuus. Itẽ si adoptans emancipauerit filiam, vel filium adoptiuũ; talis poterit cõtrahere cum filio, vel filia naturali patris adoptãtis.

Atque hæc, quæ de cognatione legali hactenus dicta sunt; habentur apud oẽs Doctores; est. n. communissima doctrina, vt videre est apud Mag. sent. in 4. d. 42. apud D. Tho. & Sot. in ead. d. q. 2. ar. 1. & 2. apud Nau. in Man. c. 22. n. 44. & 45. apud Summistas in ver. Matrimonium, vbi agunt de cognatione legali. Et notandũ est tantùm, ꝙ emanci-

5 patio, prout dicunt Armill. Tab. Ang. Sylu. & alij Sũmistę in ver. emancipatio; est liberatio filij à patria potestate facta corã Iudice cõpetente, concurrente volũtate patris, & filij in eorum præsentia: An verò aliquãdo teneatur pater emancipare filiũ secundum Iura ciuilia; & quibus in casibus debeat eũ emancipare non est nostrũ nunc differere, Nam materia legalis est, & potius ad Iuristas, quàm ad Casistas pertinẽs; propterea hæc omittemus.

Sed tantùm pro faciliori intelligẽtia eorũ, quæ dicta sunt, de cognatione legali proueniẽte ex adoptione; tria breuiter quæram circa adoptionem; quæ est fundamẽtum, & origo cognationis legalis ex Ecclesiastica institutione. Quorũ primũ est. Quid sit adoptio. Secundum: Quotuplex sit adoptio. Tertium. An ex omni adoptione oriatur lęgalis cognatio.

Quæritur ergo 1. quid sit adoptio? Resp. ex D. Th. in 4. sent. d. 42. q. 2. ar. 1. 6 ꝙ adoptio est extraneæ personæ in filiũ, vel filiã; seu nepotẽ, vel neptem; & deinceps legitima assumptio. Dixi (extraneæ personæ) quia filius naturalis legitimus non potest adoptari: quia iam est sub potestate patris. Poterit autem adoptari alius, qui non sit filius naturalis legitimus, puta filius patrui, hoc est consobrinus; filius fratris; vel alia extranea persona, quæ non sit sub patria potestate adoptantis.

Quæritur 2. quotuplex sit adoptio? 7 Resp. ꝙ duplex. Vna, quæ dr̃ perfecta; & altera, quæ dicitur imperfecta. Perfecta

fecta plurimis differentijs distinguitur ab imperfecta. Primò in nomine; quia pfecta adoptio nominatur arrogatio; imperfecta verò tantùm dicitur adoptio. 2. Perfecta pōt fieri tātùm auctoritate Principis; imperfecta verò pōt fieri ēt auctoritate Magistratus. 3. Per perfectā adoptionem filius adoptiuus transit ipse cum suis liberis, ac facultatibus in potestatē adoptatoris; per imperfectā verò minimē. 4. Ad perfectā adoptionē requiritur vt ille, qui debet adoptari, nō sit sub potestate paterna alterius; quare necessariò si est legitim⁹ vel debet esse sine patre, vel debet esse emancipatus; per imperfectā verò adoptionē potest adoptari ille, qui est sub potestate paterna alterius. 5. & vltimò in adoptione perfecta requiritur consensus adoptati; & ideò dicitur arrogatio, quia Princeps rogat, i. petit ab eo, qui vult adoptari. An sit contentus vt adoptetur? in adoptione verò imperfecta nō requiritur talis voluntas, seu cōsensus filij adoptandi. Quare paruulus poterit adoptari imperfectè, non autē per adoptionē perfectā. Conueniunt autem adoptio perfecta, & imperfecta in hoc, quòd ad vtramq; requiritur vt pater adoptans sit maior filio adoptando saltem per decē, & octo annos, ita vt filius adoptandus quantùm ad ætatem possit esse suus filius.

Quæritur vltimò. Vtrum cognatio legalis, quæ impedit, & dirimit matrimoniū secundū tres species, quas supra posuimus; oriatur ex adoptione perfecta tantùm: An verò etiam ex adoptione imperfecta? Sylu. in sum. ver. Matrimonium. 8. q. 8. existimat secūdū cōmuniorē DD. opinionē, cognationem legalem oriri ex vtraque adoptione, idest perfecta, & imperfecta. Supplementum dicit, casum esse dubium, & propterea sententiam non esse præcipitandam. Mag. sent. in 4. d. 42. & Sot. ibidem q. 2. dicunt. Quòd probabilius est, cognitionem legalem oriri tantùm ex adoptione legali perfecta; Et ita tenendum est. Atque hæc de cognatione dicta sufficiant.

De impedimento criminis.

1 Crimen impediens matrimonium.
2 Crimen homicidij quod impediat.
3 Crimen homicidij cum adulterio.
4 Crimen adulterij cum promissione.
5 Crimen adulterij cum matrimonio.
6 Occisio matris non est crimen impediens matrimonium.
7 Matrimoniū Dauid cū vxore Vria.
8 Vxoricidium auctoritate publica an impediat matrimonium.
9 Casus circa hanc materiam.

Licet varia, imò infinita sint crimina, non oīa tñ intelliguntur sub nomine criminis, quod continetur in versibus, quos in principio huius capitis descripsim⁹; sed per tale crimē duo tantùm crimina, i. homicidij, & adulterij intelliguntur. Imò neq; omne homicidiū, aut adulteriū est impedimētum dirimens matrimoniū, & intelligit sub tali nomine criminis, sed illud solùmodò adulteriū, aut homicidium, quod in quatuor sequētibus casibus cōtinetur.

Primus casus est, qui dr homicidiū purū; idest qñ coniux per seipsum, vel per alium machinatur in mortem alterius sui coniugis, vt cum alia persona matrimonium contrahat, si accedat consensus illius personæ, seu auxilium illius ad talem machinationem, vt fiat talis contractus. Quare ad hoc vt homicidium purū sit impedimentū dirimens matrimoniū, tria necessariò requiruntur. Quorum primum est, vt cōiugatus machinetur in mortē propriæ coniugis, & exinde sequatur mors coniugis ipsius. Secundum est, vt talis machinatio fiat, & ab ipso, & ab alia persona, seu de consensu eius, cum qua intendit contrahere. Tertium vt talis machinatio & à coniuge, & ab alia persona fiat ad hunc finem, vt

inter

inter ipsos matrimonium contrahatur. Et licet Caiet. & Armil. in sum. ver. Matrimonium, dicant; tertium non requiri ad hoc vt homicidium sit impedimentum dirimēs matrimoniū; & ratio eorum sit, quia in sacris canonibus, vbi sit mentio de tali impedimēto, non fiat mentio de tertio, quod positum est: Sylu. tamen in ver. Matrimonium 8. q. 9. & Nau. in Man. cap. 22. nu. 46. & alij dicunt, necessariò etiam requiri tertium, ad hoc, quòd homicidiū sit impedimentum dirimens matrimonium. Quod quidem verum esse censendum est; Primo propter auctoritatem Doctorum, qui ferè omnes communiter tenent, quòd requiratur tertium. Deinde, quia in c. laudabilem. De conuersione infidelium, quod cap. communiter citatur ad probandū prædictum impedimentum; habetur, quòd tale homicidium sit impedimentum dirimens matrimonium si malitiosè fiat. Quasi dicat. si fiat ad hunc finem, vt matrimonium inter homicidas cōtrahatur.

Hinc ergo sequitur primo, quòd si aliquis occidit maritum alicuius mulieris de consensu ipsius mulieris, vt cum ipsa muliere cōtrahat matrimonium, matrimonium deinde si cum ipsa contrahatur sit nullum.

Secundò, quòd si aliquis occidit vxorem propriam de consensu alicuius mulieris, vt cum ipsa muliere deinde contrahat matrimonium, matrimonium ipsum etiam sit nullum si deinde fiat.

Tertiò, quòd si aliqua mulier occidat maritum suum, vt cum alio contrahat, de consensu ipsius non possit cum eo contrahere matrimonium.

Quartò, quòd si aliqua mulier occidat vxorem alterius de consensu ipsius, vt cum eo contrahat non possit cum eo validum contrahere matrimonium.

Atque ex dictis inferuntur tria. Primò infertur, quòd si aliquis machinatur tantùm in mortem coniugis, vt cū alia contrahat, si ex tali machinatione non sequatur mors, sed aliunde; nō sit impedimentum vt si aliqua vxor dedit venenum marito, vt cum alio contraheret, qui deinde moritur non ex veneno, sed vel ex alia infirmitate, vel vulnere ab vxore non excogitato possit vxor cum alio contrahere; & idem dicendum est exemplificando in omnibus quatuor casibus proximè enumeratis.

Secundò infertur, quòd si aliquis occidat maritum alterius, vt cum ea cōtrahat, sed sine consensu vxoris occisi, poterit cum ea contrahere.

Tertiò infertur, quòd si vir, & mulier occidant coniugem alterius ipsorum, sed non hoc animo, vt inuicem contrahant, poterunt inuicem contrahere contra opinionem Caiet. & Armil. Item ex prædictis infertur, quòd si aliquis occidat patrem de consensu filiæ illius patris, vt cum ipsa contrahat, poterit cum ea contrahere: quia homicidium, quod dirimit matrimonium, non est omne homicidium; sed tantùm homicidium coniugis sui, vel alterius.

3 Secundus casus est, qui dicitur, homicidium mixtum cum adulterio; & est quando adulter machinatur in mortem coniugis, suæ, vel adulteræ, vt cū adultera matrimonium contrahat. Vt autem tale homicidium mixtum cum adulterio sit impedimentum dirimens matrimonium non requiritur, vt talis machinatio fiat de consensu vtriusque adulteri; sed sufficit, vt alter adulterorum per se, vel per tertiam personam homicidium dictum procuret. Quare ad hoc, vt homicidium mixtum cum adulterio sit impedimentum dirimens matrimonium, non requiritur, vt ambo, qui contrahere volunt, in homicidium consentiant, sicut aliter dicebamus in casu antecedenti. Quare primus

mus casus à secũdo distinguitur, quòd in primo, vbi homicidium purum est impedimentum dirimẽs matrimoniũ, requiritur necessariò vt ambo, qui cõtrahere desiderant inuicem consentiãt in homicidium; in secundo verò, quia homicidio sit additum adulterium sufficit, vt vnus illorum, qui contrahere volunt, machinetur in mortem coniugis alterius eorum. Ita Sot. in 4.d. 37. q.vnica. ar.4. Sylu. in sum.ver. Matrimonium 8.q.9. Nau.in Man. cap.22.n. 46.& alij DD. Quare in secundo casu, quoniam homicidio additur adulterium, sufficiunt duæ ex conditionibus tribus, quæ positæ fuerunt in prædicto casu.

4 Tertius casus est, qui dicitur adulterium cum promissione. Et hic est quãdo adulter promittit adulteræ, quòd mortua sua vxore, vel mortuo marito adulteræ cum ea matrimonium cõtrahet. Nec requiritur ad hoc impedimẽtum constituendum, quòd adulterium præcedat promissionem, neque promissio necessariò præcedat adulterium; sed siuè promissio præcedat adulteriũ, siuè subsequatur, modò & ipsa fuerit, & adulterium, inde oritur impedimentum dirimens matrimonium. Quare si quis promittit Bertæ, quòd eam ducet in matrimonium post mortem mariti, si viuente marito cum ea rem non habuerit, poterit cum ea contrahere: Et si quis viuente marito Bertæ eam cognouit, sed non promisit eam in matrimonium ducere post mortem mariti poterit cum ea matrimonium contrahere mortuo marito, secus autem idest si quis & Bertam cognouit carnaliter antequàm moreretur eius maritus, & eodem marito viuente promisit cũ ea contrahere post dicti mariti mortem. Atque ita dicunt omnes DD. & habetur in tit. De eo, qui duxit in matrimonium quam per adulterium polluerat. Hic autem casus est intelligendus de promissione adulterantium cum iuramento, & sine iuramento, vt dicit Sotus loco superius citato.

5 Quartus casus est, qui dicitur adulterium cum contractu matrimonij de facto, seu per verba de præsenti. Et hic est, quando aliquis viuente vxore contraxit cum alia per verba de præsenti, & deinde eam cognouit viuente adhuc prima vxore, & secunda vxore sciente primam vxorem esse viuam; seu quando aliquis prius cognoscit aliquã mulierem adulteram, & deinde cum ea contrahit adhuc viuente prima vxore, & altera id sciebat quando adulterium committebat, vel matrimonium contrahebat. Et quod dico de adultero intelligendum est & de adultera quæ viuente suo marito cum alio contrahit, & rem habet. Quare ad hoc vt adulterium cum contractu sit impedimentum dirimens matrimonium requiritur primò, vt vterque adulterorũ sciat viuere coniugem alterum quando inter ipsos committitur adulterium. Secundò vt contractus matrimonij fiat per verba de præsenti, etiam viuente coniuge alterius: Nec refert quòd contractus præcedat adulterium, seu adulterium præcedat contractum, modò & adulterium, & cõtractus facta fuerint. Atque hinc sequitur, quòd si aliqua mulier contrahit cum aliquo, qui habet vxorẽ viuam, ipsa muliere id ignorante, & deinde cũ eo rem habeat existimans se esse suam vxorem, si deinde moriatur vxor prima, possit cum eo contrahere; quia ex parte secundæ vxoris, quæ ignorantia inuincibili laborabat, copula carnalis non fuit crimen adulterij.

Idem dicendum esset ex parte mariti si probabiliter putabat vxorem suã esse mortuam. Imò quando aliquis vxoratus scienter cum alia contrahit, quæ putabat eum non esse vxoratum, post mortem vxoris poterit illa, quæ erat in bona fide, cogere vxoratum, vt cum ea contrahat; quia ipsa crimen nõ

commisit. Secùs dicendum est de vxorato, quia scienter viuente vxore cum alia matrimonium contraxit, & illud consummauit. Si ergo est aliquis vxoratus Romæ, qui deindè Mediolanum venit, & cum muliere ignorante ipsum esse vxoratum contraxit, & adhuc ea ignorante matrimonium consummat, adhuc non est impedimentum dirimẽs matrimonium, quod post mortem vxoris primæ posset esse inter secundã vxorem, & maritum: quia in secunda vxore non est crimen adulterij cum ipsa laboret ignorantia inuincibili. Si verò postquàm secunda vxor sciuit viuere primam vxorem, habet copulam cum marito primæ vxoris, quem putabat esse suum, crimen adulterij committit post contractum, quod est impedimentum dirimens matrimonium.

Sed ad clariorem doctrinam eorũ, quæ dicta sunt in quatuor præcedentibus casibus, nunc nonnullæ dissoluendæ sunt difficultates. Quarum prima est circa primum, & secundum casum. Quare occisio matris non potius sit impedimentum criminis dirimens matrimonium, quàm occisio vxoris alteri⁹, aut mariti alterius, vt cum coniuge relicto contrahat matrimonium, cùm occisio matris sit maius crimen? Ad hoc respondet Sot. in 4. d. 37. q. vnica. art. 4. Quia licet occisio matris sit maius peccatum, quàm occisio coniugis alterius, seu etiam fortè propriæ coniugis, tamen occisio matris, etiamsi fiat ad finem contrahendi cum aliqua, non erit impedimentum dirimens matrimonium, quia non ita directè contrariatur matrimonio sicut occisio cõiugis proprij, aut alterius; Et rarò cõtingere potest, vt quis velit occidere matrem propriam, vt contrahat matrimonium; Sæpè autem contingit, vt quis desideret mortem coniugis suæ, vel alterius, vt contrahat: Quia vita matris non est impedimentum, quod necessariò impediat matrimonium cõtrahendum, sicut vita propriæ coniugis, aut alterius, cum qua contrahere velit.

6

Secunda dubitatio. In testamento veteri legimus de Dauide, quòd fuit caussa occisionis Vriæ, vt contraheret cum adultera vxore ipsius Vriæ, cum qua contraxit, & matrimonium fuit validum: ergo non benè diximus, non posse esse matrimonium inter eum, qui occidit maritum adulteræ, & adulteram ipsam. Ad hoc resp. Sot. loc. cit. Quòd Dauid fuit in testamento veteri, in quo non erat tale impedimentum; sicut & Dauid habebat plures vxores, quod nunc non licet: crimen autem adulterij, & homicidij est impedimentum dirimens matrimonium nostris temporibus ex institutione Ecclesiæ, & non de lege naturali, aut de lege diuina; Vndè potest Ecclesia dispensare in omni impedimento criminis, de quo diximus in quatuor præcedentibus casibus: Quia tale impedimentum ipsamet constituit iustis de caussis; maximè ne propter desiderium nouarum nuptiarum homines machinarẽtur in mortem vxorum, aut vxores in mortẽ maritorum.

7

Tertia dubitatio. Vtrum homicidium proprij coniugis, aut coniugis alterius si publica auctoritate fiat, sit impedimentum dirimẽs matrimoniũ? Sot. loc. cit. dicit. Quòd non: quia occisio mulieris facta auctoritate publica non est crimen. Quare, inquit Sotus, si Iudex condemnaret ad mortem reum, qui mortem propter delicta sua meretur, vt deinde cum vxore rei contraheret, etiamsi id faceret de consensu vxoris rei post mortem rei sequutã per condemnationem, posset Iudex contrahere cum relicta Rei. Similiter forsitan Sotus diceret si aliqua vxor de consensu Iudicis accusaret maritum magno crimine, vt deindè suspenderetur, vt postea posset cum Iudice contrahere matrimonium. Verùm,

8

meo

meo iudicio, neque in secundo, neque in primo casu valet sententia Soti; quia licet publica auctoritate occidere aliquem non sit peccatum, maximè si qui occidendus est mortem meretur, & legitimè potest condemnari, tamen occidere, & accusare ad hunc finem, vt Iudex possit contrahere cum vxore Rei, seu vxor accusans possit contrahere cum Iudice, est crimen, licet enim occidere Reos si merentur mortem publica auctoritate, sed zelo iustitiæ, non autem vt iudex possit contrahere cum vxore Rei.

9 Quarta dubitatio. Si Petrus solutus, id est non habens vxorem habet copulam carnalem cum Martha soluta; & postea Martha contrahit matrimoniū cum Antonio: Deindè viuente Antonio Petrus dat fidē Marthæ quòd mortuo Antonio cum ea matrimonium contrahet; poteritne Petrus contrahere cum Martha mortuo Antonio? Videtur enim quòd non, quia fuit copula carnalis inter Petrum, & Martham; & promissio de contrahendo matrimonium post mariti mortē adhuc viuente ipso marito. Respond. quòd mortuo Antonio poterit Petrus absque dubio contrahere cum Martha: quia, vt supra diximus impedimentum criminis non est omne crimē, sed tantùm quoddam adulterium, aut homicidium prout explicauimus: sed copula, quam habuit Petrus cum Martha antequàm Martha contraheret cū Antonio non fuit adulterium, sed fornicatio. Secus dicendum esset si Petrus cognouisset Martham postquàm contraxit cum Antonio, & antequàm moreretur Antonius.

Vltima dubitatio. Si Petrus dat fidem Marthæ, quòd si consentiat in adulterium mortuo coniuge Marthæ, seu mortua vxore Petri, contrahet cum ea persona, quam nominabit Lucia consanguinea Marthæ, poteritne Petrus mortua sua coniuge contrahere cum Martha, si Lucia eam nominauerit? Sot. in 4. distinct. 37. quæst. vnica. artic. 4. Sylu. in summ. ver. Matrimonium 8. quæst. 9. & alij dicunt, quòd si Petrus, vel Martha existimabant Luciam debere nominare ipsam Martham non poterit Petrus contrahere cum Martha, quia in tali casu doluserit; dolus autem nemini suffragari debet: secus esset si neque Petrus, neque Martha existimabat Luciam esse nominaturam Martham ipsam. Atque hæc satis de impedimento criminis.

De impedimento disparitatis cultus.

1 *Disparitas cultus quæ dicatur.*
2 *Matrimonium baptizati cum non baptizato.*
3 *Infidelis, & hæretici matrimoniū an esse possit.*
4 *Baptizati & cathecumenæ.*
5 *Disparitas cultus quo iure impediat.*
6 *Inter infideles num sit matrimonium.*
7 *Baptizatus conuersus an possit habitare cum non conuerso.*
8 *Coniuges infideles an debeant cohabitare.*
9 *Infideles contrahantnè legitimè cōtra suam legem.*
10 *Impedimenta matrimonij statuere ad quam auctoritatem spectet.*
11 *Infidelis habens plures vxores si conuertatur, an possit retinere omnes.*
12 *An possit habitare cum secunda, si prima non conuertatur.*
13 *Quid de matrimonio iunctis codē tempore.*

14 *Infidelis conuersus num teneatur habitare cum repudiata conuersa.*
15 *Filij cui parentum dandi.*
16 *Matrimonium quando dirimatur per conuersionem infidelis.*

1 QVæritur primo circa impedimentũ disparitatis cultus, quid hic intelligamus per impedimẽtum disparitatis cultus? Resp. quòd per disparitatem cultus intelligimus eam disparitatem, quæ est inter baptizatũ, & non baptizatum, vt dicunt omnes Doctores de impedimento matrimonij, qui dicitur, disparitas cultus, in 4. d.39. Inter baptizatum enim, & non baptizatum non potest esse matrimonium cùm matrimonium sit sacramentum, & Baptismus sit fundamentũ omnium sacramentorum, vt diximus in 2. Par. huius Tractatus.

2 Sed dices. Si baptizatus contrahit cum non baptizata nonne saltem matrimonium erit sacramentum ex parte baptizati? Resp. quòd non. Quoniam, vt dicunt DD. matrimonium numquã claudicare potest, id est esse verũ quantùm ad maritum, & non quantùm ad vxorem; vel è contra: Nullus enim est maritus, qui vxorem non habeat, neq; vlla vxor, quæ maritum non habeat. Quare si ex parte vnius coniugis matrimonium non est validum, neq; ex parte alterius erit validum.

3 Quæritur 2. Vtrum, Inter fidelem, & hæreticum possit esse matrimonium si fidelis sit baptizatus? Resp. quòd potest esse matrimonium, etiam prout est sacramentum, inter fidelem si est baptizatus (Dixi si est baptizatus ad distinctionem cathecumeni, qui est fidelis, & nondum baptizatus) & hæreticum: Nam hæreticus præsupponitur baptizatus; cùm infidelis, qui non est baptizatus, non dicatur hæreticus; sed ethnicus, Gentilis, Paganus, vel Iudæus; Et qui est baptizatus siuè sit fidelis, siuè non, habet characterem Baptismi, qui est potentia ad recipiendum alia sacramenta. Peccaret tamen mortaliter fidelis si cum hæretica persona contraheret; nam hoc prohibitum est iure ecclesiastico; Nisi fidelis id faceret, vt facilius procuraret conuersionem personæ hæreticæ ad fidem catholicam.

4 Quæritur 3. Vtrum, Baptizatus possit contrahere cum cathecumena? Resp. quòd non: quia cathecumena non est baptizata, licet sit fidelis.

Quæritur 4. Vtrum, Baptizatus possit contrahere sponsalia cum infideli, vel cum cathecumena? Resp. quòd potest; sed cum hoc pacto, vt infidelis, seu cathecumena baptizetur antequã matrimonium contrahatur.

5 Sed dices. Disparitas cultus estne impedimentum dirimens matrimonium de iure diuino; an de iure Ecclesiastico tantùm? Resp. quòd matrimonium potest considerari, vel vt contractus quidam ciuilis, vel vt Sacramentum quoddam nouæ legis. Si consideretur primo modo disparitas cultus est impedimentum de iure ecclesiastico tantũ. Si secundo modo est impedimentũ de iure diuino. Quare, Papa posset dispẽsare vt fidelis baptizatus contraheret matrimonium cum infideli non baptizata; non tamen posset efficere, vt illud matrimonium esset sacramentum propter rationẽ dictam in primo quæsito.

6 Quæritur 5. Vtrum, Inter infideles non baptizatos possit esse matrimonium? Resp. Affirmatiuè si intelligam⁹ de matrimonio prout est contractus. Atque indè fit vt infideles non peccarẽt contrahendo matrimonium, aut illud consummando, si id fiat ad habendam prolem; vel in remedium concupiscentiæ. Si verò matrimonium consideretur vt sacramentum non potest esse inter infideles non baptizatos propter rationem dictã in primo quæsito.

Quæ-

7 Quæritur 6. Vtrũ, si ex duobus cõiugatis infidelibus vnus conuertatur ad fidem catholicam, & alius non, possit fidelis cohabitare cum coniuge nõ conuersa? Resp. quòd ante nostra tempora poterat conuersus simul habitare cum coniuge non conuersa si id volebat efficere non conuersa absque iniuria Creatoris, idest permittendo vt conuersus exerceret ea, quæ pertinent ad cultum Christiani, & non sollicitando conuersum, vt à fide catholica auertatur: Et de hoc apparet consiliũ apud D. Paul. 1. ad Cor. 7. Vbi dicit. Ego dico, & non Dominus quòd si frater habet vxorem infidelem, & illa consensit habitare cum illo, illam non dimittat. Nunc autem quando aliquis conuertitur, si est coniugatus statutum est, vt conuersus dicat non conuerso. Si vis mecum habitare, conuertere ad fidem catholicam; sin minus discede: Non enim nunc potest conuersus habitare cum coniuge, quæ non vult conuerti.

8 Quæritur 7. Vtrum. Si duo coniuges infideles conuertantur, debeant simul remanere? Resp. quòd debent simul remanere, vt dicũt omnes Doctores, etiamsi matrimonium fuerit contractum in impedimentis, quæ tantùm de iure Ecclesiastico matrimonium dirimunt, vt in affinitate, vel consanguinitate vltra primum gradum saltem in linea transuersali; in crimine, & similibus. Secus si impedimentum, in quo contraxerunt, èrat de iure diuino, aut de iure naturali, vt est error, & consanguinitas in primo gradu. Et ratio est, quia infideles nõ baptizati subsunt quidem legibus naturæ, & Dei; sed non legibus ecclesiasticis.

9 Quæritur 8. Vtrum. Si duo infideles contra leges suæ patriæ, quæ dirimant matrimonium, contraxerunt matrimonium, & deinde ad fidem catholicam conuersi sunt, debeant simul cohabitare? Nau. in Man. cap. 22. num. 48. Sylu. in sum. ver. matrimoniũ. 8. q. 10. & alij dicunt, quòd non possunt cohabitare nisi matrimonium simul iterum cõtrahant. Huius autem ratio est, quia matrimonium, quod non fuit inter infideles validum, propter conuersionẽ ad fidem non validatur, nisi de nouo contrahatur.

Notandum autem hic est, vt dicta respõsio intelligatur. Quod sicut apud Christianos Sum. Pontifex potest instituere impedimenta dirimentia matrimonium, ita apud infideles potestas ét sæcularis potest instituere impedimenta dirimentia matrimonium, quod nõdum contractum est: Eo modo, quo potest instituere leges irritantes alios cõtractus. Sicut enim in Ecclesia Catholica crimen, affinitas, consanguinitas in tertio, vel quarto gradu, aut etiam in secundo per legem canonicam est impedimentum dirimẽs matrimoniũ; ita inter infideles posset potestas sæcularis instituere talia impedimenta.

10 Quòd si dicas. Potestas sæcularis apud christianos posset ne instituere impedimenta dirimentia matrimonium? Resp. quòd si matrimonium apud christianos esset tantùm contractus, & nõ sacramentum: sicuti est apud infideles non baptizatos, posset potestas sæcularis inter christianos instituere talia impedimenta, sicuti & eadem potestas potest inter non baptizatos: sed quia matrimonium inter christianos est ét sacramentum, & ad Ecclesiam tantùm pertinet instituere ea, quæ sunt sacramentorum, inde fit, vt in Ecclesia catholica tantùm potestas ecclesiastica possit matrimonij constituere impedimenta.

11 Quæritur 9. Vtrum, Si vnus infidelis habeat plures vxores iuxta patriæ suæ ritum, & conuertatur ad fidem catholicam ipse cum suis vxoribus, possit retinere omnes vxores, quas habebat? Videtur enim quòd sic: quia apud aliquos infideles lex, & consuetudo est, vt vnus plures vxores habere possit.

Ad

Ad hoc resp. D.Th. in 4. sent. dist. 39. & omnes Scholast. ibidem. Quòd si infidelis coniugatus habens plures vxores cum vxoribus conuertatur, poterit solummodò cohabitare cum prima: quia etiam quando talis erat infidelis prima tantùm erat sua vxor: Nam contra legem naturæ est, sub qua sunt etiam infideles, ꝙ quis habeat plures vxores: & consuetudo, aut lex in contrarium est abusus, & peruersa lex: Ita dicunt omnes Scholast. lo. cit. quòd si in Testamẽto veteri Dauid, Salomon, & alij plures vxores habuisse leguntur, dicunt prędicti Doctores, id factum esse tunc temporis Deo dispensante in lege naturæ.

12 Quæritur 10. Vtrum, si infidelis habens plures vxores conuertatur cũ secunda, tertia, aut quarta; & prima nolit conuerti; debeat remanere cum secunda, aut cum tertia; an verò cum quarta? Resp. quòd poterit cohabitare vel cum secunda, vel tertia, vel cum quarta si iterum contrahat matrimonium: quia ex ijs, quæ diximus in antecedenti quæsito, colligere possumus, matrimonium contractum cum secunda, & alijs (excepta prima) minimè validum fuisse.

13 Quæritur 11. Vtrum, si simul, & eodem tempore infidelis contraxit cum duabus, & deinde cum illis conuertitur ad fidem, debeat cum vtraq; manere, aut cum vna tantùm? Respõd. ex Sylu. in ver. Matrimonium. 8. q. 16. ꝙ cum neutra manere debet, nisi iterum cum altera earum contrahat; vel nisi vna illarum habuisset tale impedimentum, propter quod vel secundum legẽ naturalem, vel secũdum legem suæ patriæ non potuisset contrahere cũ dicto infideli: ita Sylu. loc. cit. Ratio aũt huius est: quia qui contrahit cum duabus simul cùm non possit habere duas vxores, nec maior ratio sit quòd vna illarum sit eius vxor, quàm alia; neutra erit sua vxor.

14 Quæritur 12. Vtrum, si Caiphas infidelis cõtraxit cum Anna, cui deinde dedit libellum repudij; & postea contraxit cum Dalida, debeat Caiphas remanere cum Dalida? Resp. cum D.Th. & cæteris DD. Scholast. in 4. sent. d. 39. quòd Caiphas debebit cohabitare cũ Anna, cui libellum repudij dederat; & non cum Dalida. Et ratio est: quia licet in lege veteri daretur libellus repudij vxori ab aliquibus; ijs tamen non erat à Deo concessum tamquam licitum, sed tantùm permissum ad euitanda maiora mala: quare libellum repudij non dissoluebat verè matrimoniũ contractum.

15 Quæritur vltimò. Vtrum, si ex coniugibus duobus infidelibus habentibus filios vnus conuertatur, & alius conuerti nolit, filij sint dandi conuerso; an verò non conuerso, & num sint baptizandi? Resp. quòd si adulti sunt, proprio arbitrio sunt relinquendi: Si verò sint paruuli, baptizandi sunt, & dandi coniugi conuerso, etiam si sit vxor. Ita etiam dicendũ esset si filij procrearentur post alterius coniugis conuersionem, qui cum infideli habitauit.

16 Sed dicet aliquis. Quando vnus tantùm cõuertitur coniugatus dirimiturne statim matrimoniũ, qđ erat? Resp. secũdum magis communem Doctorũ opinionem. Quòd non: sed tunc dirimitur qñ fidelis deinde matrimoniũ contrahit cum fideli, aut votum solemne emittit. Et ratio huius est, quia si alter conuertatur antequàm primus cum fideli contraxerit, aut votum solemne emiserit, non poterit amplius secundo viuente primus cum altero contrahere, aut votum solemne emittere, sed tenebitur manere cum marito nuper conuerso. Atque hæc satis sint de impedimento disparitatis cultus.

De impedimento violentiæ.

QVoniam matrimonium est vinculum quoddam indissolubile, & perpetuum, ideò ordinatum fuit, vt non sit validum, nisi contrahatur plura libertate: Propterea statutum est, vt matrimonium, quid coactè contrahitur, nullum sit: Et ideò violentia à DD. dicitur impedimentum dirimens matrimonium. Vt autem istud impedimentum facilius à nobis intelligatur, pro maiori intelligentia quædam hic sunt à nobis quærenda.

1 Quæritur ergo 1. quotuplex sit violentia, seu coactio? Resp. quòd duplex est. Alia, quæ dicitur coactio absoluta, & simpliciter; Alia verò, quę dicitur coactio conditionata, seu coactio secundum quid, aut ex suppositione. Coactio simpliciter, aut absoluta est illa, propter quam aliquis ita necessariò aliquid facit contra voluntatem suam; vt non possit illud non facere: Vt si esset aliquis in angulo quodam adeò catenis vinctus, vt non posset aliquo modo ab eo discedere; & nollet in angulo manere; talis diceretur esse in illo angulo, & ibi remanere coactè & actione absoluta. Coactio verò conditionalis, seu secundũ quid, aut ex suppositione est illa, propter quã aliquis dicitur facere aliquid, quòd nõ potest nõ facere si vult euitare aliquod malũ: Vt si esset aliquis in angulo nõ ligatus, neq; clausus, & ibi maneret, quia illi comminatum est, quòd si ab eo discedat occidetur; talis enim dicetur coactè in angulo manere non quia nõ possit ab eo discedere, sed quia si ab eo discedit timet ne occidatur: Et propterea talis coactio dicitnr conditionata, seu secundum quid ad distinctionem coactionis simpliciter, & absolutè: Et dicitur ex suppositione, quia supposito quòd talis velit euitare mortem necessariò in angulo manere deberet.

2 Quæritur 2. quænã coactio ex duabus dictis dirimat matrimoniũ? Resp. ꝙ tãtũ cõditionata, non aũt absoluta. Ratio est, quia coactio absoluta nõ potest cadere in consensum nostrũ, consensus. n. noster, seu arbitrium est de sua natura adeò liberum, vt numquam possit simpliciter cogi, sed tantùm ex suppositione; Nullus. n. potest velle aliquid ita necessariò, vt non possit illud nolle; seu assentiri alicui rei, vt nõ possit nõ assentiri; coactio verò conditionata potest cadere in consensum nostrum, vt dixi de illo, qui manet in angulo ne occidatur; & vt dicuntur multi cogi ad aliquid faciendũ vt euitent mortem.

3 Quæritur 3. Vtrũ. Oĩs coactio cõditionata dirimat matrimoniũ? Resp. secundũ communem DD. opinionem, ꝙ non: sed tantùm illa quæ dr cadens in constantem virum. Vt autem hoc intelligatur, sciendum est; quòd duplex est metus, scilicet cadens in constantem virum; & non cadens in constantem virum.

virum. Metus cadens in constantem virum, est metus maximi periculi, aut maximi damni puta mortis; mutilationis alicuius membri; maximarum verberationum; perpetui, aut lungi carceris; perpetui, aut lungi exilij; stupri, aut amissionis omnium bonorum fortunæ; Vir enim cōstans timet hæc mala, & propterea metus horum malorū dicitur cadere in constantem virum. Hoc autem intelligendum est si qui comminatur hæc mala possit de facili illa inferre; Nam si mulier infirma habés tantùm baculum comminetur morte viro sano, & armato, ac libero non dicitur talis vir constans si pauescit ob tales minas.

5 Metus non cadens in constantem virum est metus paruæ rei, puta carceris vnius diei, amissionis paruæ pecuniæ: vir enim constans non pauescit, quia cogitur amittere paruam pecuniam, aut abesse à suis per vnā diem, vel per mensem. Similiter si magnum malum quis comminaretur, qui non posset illud inferre in aliquem, tunc enim si ille, in quem fiunt minæ, pauesceret, diceretur inconstans, vt in exemplo dato de infirma muliere.

6 Quæritur 4. Vtrum, Omnis coactio cadens in constantem virum possit dirimere matrimonium? Resp. quòd nō: quia si aliquis. v. g. aliquo morbo laborat, qui sit periculosus, ita vt sit illaturus mortem infirmo nisi expellatur, & de consilio medicorum nullo alio remedio talis morbus remoueri possit, quàm per copulam carnalem; Et propterea talis infirmus, qui nolebat contrahere matrimonium, ad euitandam mortem cogatur contrahere, tale matrimonium erit validum, & tamen cōtractum fuit propter metum cadentē in constantem virum. Ita dicit Sot. in 4. sent. dist. 28. q. 1. Propter hoc aliqui

7 Doctores dixerunt, metum cadentem in constantem virum esse duplicem; alterum, qui oritur ab intrinseco; & alterum, qui oritur ab extrinseco: Metus, qui oritur ab intrinseco est sicuti in exemplo prædicto; metus verò, qui oritur ab extrinseco, est quando timor ab extrinseco idest ab extrinseca persona infertur; vt si quis vellet alium occidere nisi contraheret matrimonium: Dicti Doctores dicunt, quòd ille metus, vndè oritur coactio, quæ dirimit matrimonium, est ab extrinseco, & non ab intrinseco. Sed verè errant

8 prædicti Doctores, quia datur metus ab extrinseco, ex quo non oritur coactio dirimens matrimonium, vt si in aliqua patria esset hic mos, seu consuetudo, aut lex quòd condemnatus ad mortem propter homicidium, furtum, aut aliud crimen possit, si voluerit, se eximere ab exequutione condemnationis contrahendo cum aliqua meretrice publica, si talis, vt euitaret mortem, contraheret cum meretrice publica validum esset matrimonium, & tamen metus mortis inferebatur ab extrinseco idest à Iudice: Et ideò alij Doctores distinxerunt metum cadentem in constantem virum in metum iustū, & metum iniustum dicentes metum iustum cadentem in constantem virum dirimere matrimonium; non autem metum iniustum. Sed difficultas apud dictos DD. consistit in explicatione metus iusti; non enim per metum iustum omnes eundem intelligunt.

Nam D. Th. in 4. sent. dist. 29. dixit, metum iustum esse illum, quo vir constans eligit minus malum ad euitandū maius damnum. Sed contra hanc explicationem metus iusti arguit Nau. in Man. cap. 22. num. 51. Primò, quia in muliere minor metus potest esse iust^s^, quàm in viro. Secundò, quia iudicare de metu, quinam sit iustus pertinet ad Iudicem, vt habetur cap. Dilectus. De ijs, quæ vi, metusvè caussa fiunt, & per glo. supra idem capitulum. Tertiò, quia si propter metum mortis aliqua mulier consentiret in matrimonium,

&

& deinde propter eundem metum con summauit, tale matrimonium non esset validum, tamen talis metus non esset iustus secundum expositionem D. Thomæ; Nam consentire in copulam carnalem in tali casu est peccatũ mortale, quod est maius malum, cùm sit mors animæ; quàm sit mors corporis.

Quòd si dicas. Nunc per copulam carnalem non validaĩ matrimonium, etiamsi fiat affectu maritali. Respondebit Nauar. quòd etiam ante Concil. Trid. si aliqua mulier coactè consensisset in copulam carnalem affectu maritali non fuisset matrimonium. Quia si matrimonium ipsum directè contra ctum non est validum si fiat per metũ cadentem in constantem virum; multò minus erit validum si fiat indirectè per consensum in copulam carnalem affectu maritali metu mortis.

9 Propter has rationes Nauarrus dicit, quòd metus iustus cadens in constantem virũ est quidem ille solus, qui dirimit matrimonium; sed iudicare de metu, quinam sit iustus pertinet, inquit Nauarrus, ad Iudicem, vt dicit Glos. in cap. Dilectus cit. De ijs, quæ vi metuve caussa fiunt. Verùm neque Nau. difficultatis punctum tangit, aut soluit. Quia si vera esset responsio Nauarri sequeretur primò, quòd ad Iudicem spectaret facere de non matrimonio matrimonium, iudicando metum non iustum, qui non est iustus; vel iudicando de non iusto iustum. Secundò sequeretur, quòd si essent duo Iudices, & vnus iudicaret metum esse iustum, & alius iudicaret non esse iustum, daretur matrimonium, quod esset validũ, & inualidum. Tertiò sequeretur, quòd fieret petitio principij, nam quærimꝰ nunc, quinam metus sit iudicandus iustus à Iudice.

10 Syluest. in sum. ver. metus. §. 6. contrarium videtur dicere: Nempe metum iustum non dirimere matrimonium, sed tantùm metum iniustum cadentem in constantem virum. Sed ipse dicit, quòd metus iustus est ille, qui iustè infertur: Vt si v. g. Iudex cogeret aliquẽ ad contrahendum cum virgine, quam stuprauit; quia esset lex in sua patria, quòd sit condemnandus ad vltimũ supplicium qui virginem stuprat, nisi eã in matrimoniũ ducat. Metus verò iniustus est ille, qui iniustè infertur, vt si pater in flagranti crimine inuenit aliquem violantem filiam, & minaretur incontinenti mortem pugione, nisi cum filia violata cõtraheret, matrimonium esset nullum si contraheret cum ea: quia pater priuata auctoritate iniustè infert metum mortis in iuuenem violantem, cùm ipse non sit Iudex, neque possit esse in propria caussa. Sed Dom. Sot. arguit cõtra Sylu. in 4. sent. dist. 29. q. 1. artic. 3. dicens, quòd datur metus iustus etiam secundum expositionem Syluestri, qui dirimit matrimoniũ, vt si pater qui inuenit iuuenem stuprantem filiam, incontinenti diceret; Nisi eam ducas adibo iudicem, qui te condemnabit ad mortem; quia lex est in patria nostra, secundum quam condemnantur ad mortem stuprantes: Tamen, inquit Sotus: si talis iuuenis consentiret tunc in matrimonium non esset validum, & metus esset iustus, idest iustè illatus, nam iustissimè potest pater talem accusare. Sed ego certè non tam de facili iudicarem tale matrimonium non esse validum. Quare cùm distinctio metus in iustum, & in iniustum videatur dissoluere non posse difficultates, pro responsione ad quæsitũ

11 dicendum est cum Soto loc. cit. ꝙ metus cadens in cõstantem virum siuè sit iustus, siuè non; siuè sit ab extrinseco, siuè ab intrinseco aut incutiĩ ad hoc, vt fiat contractus matrimonij, aut incùtitur propter aliam caussam; sed ille, in quem talis metus incutitur, ab eo se eximit contrahendo matrimonium, si incũtiatur ad hoc vt fiat contractus matrimonij dirimit matrimonium mo

dò sit cadens inconstantem virum: Si verò non incutiatur ad hoc, vt fiat matrimonium, & tamen aliquis contraheret matrimoniũ, vt à tali metu eximatur, matrimonium erit validũ, vt si aliquis Tirannus velit capere ciuitatem aliquam, & occidere omnes ciues, vt possit esse dominus illius ciuitatis, & vnus ciuis nobilis, vt se eximat à tali periculo, offert se ducturum in vxoré filiam Tiranni, si Tirãnus noluerit eum occidere, matrimoniũ erit validũ; quia metus non incutiebatur in ciué, vt cõtraheret cum filia Tiranni, sed vt Tirãnus fieret dominus ciuitatis. Secus esset si Tirannus vellet capere ciuitatem ad hunc finem, vt ciuis contraheret cum sua filia, vel occideretur talis ciuis, tuc .n. matrimoniũ, si fieret, esset inualidũ. Excipit tñ Sotus casum Iudicis, qui vult occidere raptoré nisi cũ ea, quã rapuerat, matrimoniũ contrahat, vbi est lex id faciendi, idest inferendi mortem in raptorem, qui cum rapta contrahere nolit.

12 Quęritur 5. Vtrũ Metus, qui dirimit matrimoniũ, sit tantùm ille, qui infertur ĩ eũ, q̃ cõtrahit: an verò ẽt in filiũ, vel patré eius? Vt si quis diceret viduę habenti filiũ; Contrahe matrimoniũ mecũ, sin minus tuũ filiũ occidã. Resp. ꝙ non esset matrimoniũ si contraheretur in tali casu: Quia metus mortis filij incussus ad hoc, vt contrahatur matrimonium est cadens in constanté virum, & dirimit matrimonium; Similiter si fieret comminatio in patré, vel matrem.

13 Quæritur 6. Vtrum impedimentum violentiæ sit de lege naturali, vel diuina, an verò tantùm de lege ecclesiastica?

De hoc est magna inter Doctores controuersia. Scot. in 4. sent. distin. 39. dicit esse de iure naturæ, & diuino. Quia matrimonium, cùm sit perpetuũ, maxima libertate contrahi debet. Riccard. & Palud. in eadem d. dixeruñt tale impedimentum esse tantùm de iure ecclesiastico. D. Thomas de hac difficultate nihil tractat. Sot. in dicta dist. dicit partem affirmatiuam, & negatiuam esse probabilem. Nau. in Man. ca. 22. num. 50. dicit esse statutum tantùm ab Ecclesia. Idem dicit Sylu. in sum. ver. Matrimonium 8. quæst. 11. Ego dicerem tale impedimentum esse tãtùm de iure ecclesiastico cũ Riccar. Palud. Nau. & Sylu. Et ratio huius est; quia metus, seu coactio conditionata non tollit voluntarium: Alioquin si quis fornicaretur, vt euitaret mortem non peccaret; sed peccaret mortaliter, q̃a potest velle non fornicari, & potius mori. Deinde, quia alia sacramenta timore mortis suscepta sunt valida: ergo & matrimonium esset validum nisi obstaret statutum Ecclesiæ, quo iustis de caussis ordinatum fuit, vt matrimonium coactum sit nullũ, maximè propter rationem, quam dixi in principio declarationis istius impedimenti.

14 Quæritur vltimò. Vtrum, si contractui matrimonij facto per metum mortis adderetur iuramentum esset validus? De hoc sunt variæ sententiæ. Sed, meo iudicio, dicendum est, quòd non esset validus, quia iuramentũ non potest validare quod Ecclesia inualidat. Vt si quis verè iuraret contrahere cũ consobrina, contractus esset nullus.

Sed dices. quid si quis diceret. Consentias liberè, alioquin te necabo? Respond. quòd ridiculum esset, quia quomodò libere consentire potest, si mortem ei comminatur? Atque hæc dicta sufficiant de impedimento violentiæ.

De

De impedimento Ordinis.

1 *Ordo num dirimat matrimonium.*
2 *Num ordines maiores solum, an etiam minores.*
3 *Quid de Ecclesia Græca.*
4 *Quo iure introductum hoc impedimentum.*

QVoniam qui ordinis sacramentum suscipiunt, ita particulariter seruitio diuino emancipantur, vt tantùm quæ Dei sunt, & nō quæ vxoris considerare debeant, ideò ordinatum fuit, vt matrimoniū ab ordinatis contractū nullū fit, & irritum: Et propterea ordo inter impedimenta dirimentia matrimoniū fuit connumeratus. Vt autem de tali impedimento maior habeatur notitia.

1 Quæritur 1. Vtrū, quilibet ordo sit impedimentū dirimens matrimoniū? Et secundū cōmunem Doctorum opinionē dico primò. Quòd quatuor ordines, qui dicuntur minores neq; impediunt, neq; dirimūt matrimoniū, quia si quis in illis ordinatus matrimoniū contrahit, nec de sua natura peccat, neque propter hoc matrimonium redditur inualidum, sed est validū, licet si ordinatus habeat Beneficia, illa amittat, & viuente vxore inhabilis fiat ad habendū nouū Beneficij titulū. Ita Sylu. in sum. ver. matrimoniū 8. quæsito 12.

2 Dico 2. quòd ordo, qui dicitur impedimentū dirimens matrimoniū est quilibet ex tribus maioribus, qui & dicuntur sacri. Si. n. ordinatus in sacris, idest factus sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus matrimoniū contrahat, tale matrimoniū irritū est, & nullum. & aduertendum est quod qui sic contrahit est excommunicatus ipso facto, vt habetur Clementina vnica de affinitate, & consanguinitate, etiā est irregularis, vt habeē c. 1. & 2. qui clerici, & vouētes.

3 Quæritur 2. Vtrum ordo sacer dirimat matrimoniū in Ecclesia Latina tātùm; an verò etiam in Græca? Resp. q in vtraque. Nam nō tantùm sacerdos, Diaconus, aut Subdiacon⁹ Latinus, qui & dicitur Occidentalis Ecclesiæ; nō potest contrahere validum matrimoniū; sed & sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus Græcus, qui & dicitur oriētalis ecclesiæ. Ita dicit Io. Andreas, Innoc. & Riccar. quos citat, & sequitur Syluester lo. citato.

Quòd si dicas. Qua ergo in re differūt ordinati in sacris apud Græcos ab ordinatis in sacris apud latinos quantùm ad hoc? Resp. prout respōdent prædicti Doctores, & cōmuniter alij, quòd sacerdotes, aut alij ordinati in sacris apud græcos in ordinis sacri susceptione nō emittunt votū castitatis: Sacerdotes verò latini, aut qui ordinantur in sacris in susceptione ordinis sacri votū castitatis emittūt. Quare si Græcus coniugatus viuente vxore ordinē sacrum suscipit, potest cū vxore cohabitare, & ab illa debitū coniugale petere saltem eo tempore, in quo non occupatur in ministerio sui ordinis. Ordinatus verò in sacris apud latinos si erat coniugatus prius, & ordinē sacrū suscepit de licentia vxoris; nec potest petere debitum coniugale, neque reddere. Imò neque cum vxore manere, sed tenebitur vxor ingredi Religionem, nisi sit adeò vetula, vt incōtinentiæ nequaquam periculum sit. Si verò absq; vxoris licentia sacrum ordinem suscepit, illicò erit ab exercitio ordinis suspensus, & priuatus iure petendi debitum, licet reddere teneatur, & ipso iure erit excommunicatus.

4 Quæritur vltimò. Vtrum. Impedimentum Ordinis sit de lege naturæ, an de lege diuina; an verò ecclesiastica tantùm? Respond. quòd non potest esse de lege naturæ, quia ipsemet ordo sacer nō est introduct⁹ ex lege naturę, sed tantùm ex lege diuina, neque ipse

Ordo facer, licet sit institutus à Deo, est impedimentum dirimens de lege diuina, sed tantùm de lege ecclesiastica. Quod probatur ex hoc, quòd Sum. Pōtifex dispensauit cum ordinatis in sacris vt possent matrimoniũ contrahere. Atque hæc de ordine sufficiant quātùm ad præsens negotium attinet, nam de ipsius natura, & qualitate satis diximus in antecedenti parte.

De impedimento ligaminis.

1 *Qui contraxit cum vna an possit contrahere cum alia.*
2 *Patriarchæ an habuerint plures vxores.*
3 *Papa an possit in hoc dispensare.*
4 *Potest Papa dirimere matrimoniũ ratum non consumatum.*
5 *Repudiatio vxoris propter fornicationem.*
6 *Credens maritum mortuum an possit cum alio contrahere.*
7 *Tale matrimonium an sit validũ.*
8 *Certitudo quæ requiratur in hoc casu.*
9 *Quæ coniecturæ sufficiant.*

Nomine ligaminis hoc loco Doctores intelligunt vinculũ coniugale; quod dicitur ligamen, seu vinculum; quia per coniugium, seu per matrimonium ita est vnus vni ligatus, vt non possit alterum dimittere, vt cũ alia persona ligetur: Et propterea ligamen connumeratur inter impedimenta dirimentia matrimoniũ. Quod vt intelligatur.

1 Quæritur 1. Vtrum, qui matrimonium per verba de præsenti cum vna contraxit, possit cum alia contrahere viuente prima? Resp. secundum communissimam Catholicorum DD. opinionem. Quòd non: quia non potest quis simul, & eodē tempore plures habere vxores. Et hoc non tantùm verũ est apud Christianos, sed etiam apud Ethnicos, & gentiles. Et ita dicit D. Tho. Scot. Sot. D. Bonau. & alij Scholast. cum Mag. in 4. sentēt. Idem dicunt etiam Felyn. Io. Andr. Abb. Pānorm. & omnes Canonistæ in tit. De spōsa duorum; Item hoc determinatum fuit tāquam de fide ab Innoc. 3. cap. Gaudemus. De diuortijs, vbi & dicit. Quòd si conuertatur fidelis habens plures vxores vna cum ipsis vxoribus ad fidem catholicam, cum prima tantùm habitare debeat. Quia neque in sua lege potuit esse matrimoniũ cum alia, quā cum prima viuente ipsa. Et hoc dicit esse secundum verissimam legem; quia Deus non legitur de costis fecisse fœminas, sed de vna costa vnam fecisse fœminam, quam in matrimonium cum Adam coniungeret. Vnde & dictum est. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ; vbi non dicitur vxoribus; & erunt duo in carne vna; & non dicitur tres, vel quatuor in carne vna.

2 Quòd si dicas. In Testamento veteri legitur, quòd sancti Patriarchæ, & sancti Reges plures habuerunt vxores. Ad hoc respondet ipsemet Pontifex dicto cap. Prædictos sanctos Patriarchas, & alios viros probos in Testamento veteri non contraxisse matrimonium cum pluribus alia via, quàm per instinctum diuinum: Vbi & dat multa exempla, in quibus dicit, dispensatos fuisse Hebræos in lege naturali circa alia etiam, præter matrimoniũ. Item probat Sum. Pontifex, esse de iure diuino, quòd vnus non possit habere plures vxores eodem tempore ex testamento nouo ex illis verbis. Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis caussa, & aliam duxerit mœchatur. Ex hac auctoritate dicit Sum. Pontifex. Si Christus dicit non licere, illi, qui dimisit vxorem, aliam ducere; quantò minus licitum erit alicui

cui ducere secundam vxorem prima retenta?

Quòd si iterum dicas. Vbi nam habetur in sacra scriptura reuelatio facta sanctis Patribus, qua possent pluribus cum vxoribus contrahere ad populum circuncisionis ampliandum? Ad hoc resp. D. Thom. Scot. Sot. in 4. sent. quòd reuelatio non fuit facta in scriptis. Quia neque lex de non contrahēdo cum alia, quàm cum vna erat in scriptis; lex namque naturalis tempore solius naturæ fluebat ex recto instinctu naturæ hominis; ita & dicta reuelatio prædictis hominibus facta fuit per internam inspirationem.

3 Atque ex his patet, quòd neq; Sum. Pontifex potest dispensare quòd vnus vno, & eodem tempore plures habeat vxores. An verò posset Sum. Pontifex dirimere vnum matrimonium iam cōtractum, & illud efficere nullum, ita vt vir posset cum alia cōtrahere si loquamur de matrimonio iam consummato nulla est dubitatio apud Catholicos Doctores: Nam Papa illud dirimere non potest secundum omnes, iuxta id, quod dicitur. Quod Deus coniunxit, &c. Si verò loquamur de matrimonio rato, sed non consummato est magna inter DD. Theologos, & Canonistas disputatio. Certissimum quidem est,

4 quòd stante matrimonio rato nō consumato non potest efficere Papa vt maritus cum alia contrahat, ita vt duas eodem tempore vxores habeat. Sed D. Tho. & alij ferè omnes Theologi DD. dicunt, quòd Papa neque etiam dissoluere potest matrimonium ratum, licet non consumatum. Canonistæ, maximè Nau. contrarium dicunt. Imò Nauar. ipse dicit quòd Sum. Pontifices ad ipsius petitionem ter dispensauerunt in matrimonio rato, & non consummato, ita vt fuerit matrimonium dissolutum.

5 Quæritur 2. Vtrum. Vir habens vxorem adulteram possit eam dimittere propter adulterium, & cum alia contrahere? Videtur enim quòd possit, quia Christus in Euangelio dixit. Quicunque dimiserit vxorem, excepta fornicationis caussa, & aliam duxerit, mœchatur. Quasi licitum sit propter fornicationem, idest adulterium vxoris eam dimittere, & cum alia contrahere. Ad hoc resp. Omnes Doctores Catholici: quòd numquam licitū est propter aliquam caussam dimittere vxorem, & cum alia contrahere propter impedimentum ligaminis, quod est, vt diximus, de iure naturæ. Ad id verò, quod dixit Christus respondent DD. Catholici Christum esse intelligendum de separatione matrimonij quoad habitationem, seu quoad thorum: Potest enim vir absque peccato non reddere debitum vxori adulteræ. Et hoc est separare eum quantùm ad thorum; & cum ea non habitare; licet nunc ad hoc ex lege canonica requiratur sententia Iudicis; & hoc est separare eam quoad habitationem.

6 Quæritur 3. Vtrum. Vxor, quæ credit suum maritum esse mortuum, qui tamen viuit possit contrahere matrimonium cum aliquo? Ad hoc dico 1. quòd mulier, quæ certò credit maritū suum esse mortuum, non peccat contrahēdo matrimonium cum alio, etiāsi maritus sit viuus; modò ipsa sit talis, quæ non contraheret cum alio, si putaret, aut dubitaret maritum esse viuum.

Dico 2. quòd non obstante bona fide vxoris, matrimonium contractum cum secundo non esset validum propter impedimentum ligaminis.

Dico 3. quòd durante bona fide vxoris, filij, qui ex ea per secundum maritum generantur, sunt legitimi, vt probat Nau. in Man. cap. 22. num. 53.

Dico 4. quòd si postea talis vxor sciat, primum maritum adhuc viuere, tenebitur statim recedere à secundo.

Dico vlt. quòd si tantùm cœperit dubi-

bitare ex aliqua noua coniectura maritum primum, qué credebat esse mortuum, viuere; durante tali dubio tenebitur quidem reddere debitum secundo marito, sed non poterit petere, vt determinatum est c. Dominus. De secundis nuptijs; & vt probat Nau. cap. 22. num. 54. & 55.

7 Quæritur 4. Vtrum, mulier credens maritum esse viuum, qui tamen mortuus est, si cum alio contrahit, matrimonium sit validũ? Ad hoc resp. Nau. & alij quòd vel ista mulier, quæ credit maritum mortuum esse viuum, existimat quòd si cõtrahit cum alio erit validum matrimonium; vel existimat ꝙ non erit validum: Si secundum, matrimonium non erit validum cum secundo, non quidem propter impedimẽtũ ligaminis: quia supponitur, quòd maritus primus sit verè mortuus; sed propter defectũ consensus: quia cùm putet secundum matrimoniũ non fore validum, non potest habere consensum contrahendi validum matrimonium. Si primum, est verum matrimonium si cum secundo contrahit; quia non est impedimentum ligaminis, neq; est defectus consensus, quia putat se posse contrahere validum matrimonium cũ secundo viuente primo. Ita Nauarrus in Manu. cap. 22. num. 56.

8 Quæritur 5. quæ certitudo requiratur in muliere, vt possit absq; peccato cõtrahere cũ alio, de morte primi mariti? Resp. quòd requiritur talis, vt ipsa non dubitet de morte mariti; sed certissimè credat eum esse mortuum in sua conscientia. Nã si dubitat de morte mariti, etiamsi sit mortuus verè, peccat mortaliter cum alio contrahendo: quia exponit se periculo peccati mortalis ex nouo contractu, qui potest esse inualidus, & adulterij.

9 Quæritur vlt. quænam coniecturæ sufficiant mulieri, vt possit credere tuta conscientia maritum absentem esse mortuum? Resp. quòd primò sufficerent litteræ fiduciales de morte mariti subscriptæ à Parocho illi' loci, in quo mortuus est maritus cum legalitate, i. cum testimonio Episcopi illius Parochi asserentis dictum Parochum, qui subscripsit, esse verè Parochum illius loci, & esse virum probum. Secundò si tales litteræ non possent haberi, sufficeret nuncius bonæ vitæ; vel talis, cui credi possit, dicens se vidisse maritum mortuum tali die, vel mense, in tali loco. Tertiò si neque nuncius possit haberi certus, sufficeret fama publica coniuncta cum præsumptionibus probabilibus.

De impedimento publicæ honestatis.

1 *Publica honestas quæ dicatur.*
2 *Sitne impedimentũ inter affines.*
3 *Oriaturne ex matrimonio rato nõ consumato.*
4 *Et ex matrimonio contracto inter impuberes.*

1 Publica honestas, prout hic intelligitur à Doctoribus, est proximitas quædam personarum orta ex sponsalibus validis. Quæ dirimit matrimoniũ in primo gradu tantùm post Concilium Tridentinum.

Dixi (ex sponsalibus validis) quia, licet ante Con. Trid. sponsalia ét inualida publicã honestaté inducerent; nũc tamen nõ inducũt eam: Sicut & publica honestas ante Conc. Trid. erat impedimentũ dirimens matrimoniũ ét vltra primũ gradũ, nunc verò tm̃ in primo gradu per constitutioné ipsiusmet Concil. Triden. vt patet sess. 24. cap. 3.

Atque ex ijs infertur. Quòd si Petrus contraheret sponsalia valida cũ Martha, mortua Martha, vel ét viua, non posset Petrus contrahere cũ Lucia sorore Marthæ; neq; cũ matre, aut cum filia Marthæ: sed posset contrahere cũ consobrina Marthæ: Et si contraheret cũ sorore, aut cũ filia Marthæ sponsalia,

lia, teneretur cōtrahere matrimonium cū Martha: quia alia ſpōſalia ſunt inualida: Imò ſi cōtraheret matrimoniū cū ſorore Marthæ, modò illud nō conſummauerit, adhuc teneretur contrahere cū Martha; quia matrimoniū con tractū cū ſorore non fuit validū. Si verò fuerit conſummatū nec poſſet manere cū Lucia, nec poſſet contrahere cū Martha, Non poſſet manere cū Lucia propter publicā honeſtatē ortam ex ſponſalibus cū Martha contractis; Nec poſſet cōtrahere cum Martha ꝑꝑ impedimentū affinitatis ortū ex copula, quam Petrus habuit cum Lucia. Ita Nau. in Man. cap. 22. num. 57.

2 Sed hic poſſunt oriri tres dubitationes. Quarū prima eſt. Vtrū. Cùm dicimus ex publica honeſtate dirimi matrimoniū in primo gradu contractū, intelligatur de gradu conſanguinitatis tātùm; an verò ēt de gradu affinitatis? Vt ſi Petrus contraxiſſet ſponſalia cū Martha, & deinde contraheret matrimoniū cū ea, quæ fuit vxor fratris Marthæ. Reſp. ꝙ impedimentū publicę honeſtatis dirimit tantùm matrimonium contractū in primo gradu conſanguinitatis. Quare Petrus, qui contraxit ſpōſalia cū Martha, abſq; dubio ſi deinde contrahet matrimoniū cum illa, quæ fuit vxor fratris Marthæ, tale matrimonium erit validum. Et probatur, quia affinitas, quæ eſt maius impedimentū, quàm publica honeſtas; tātùm dirimit matrimoniū, quod contrahiť inter eum, qui habet copulā cū aliqua; & conſanguineos illius, cū qua copulā habet, & non affines eiuſdē. Vt ſi Petrꝰ habuiſſet rē cum Martha, poſſet cōtrahere matrimoniū cū ea, quæ fuit vxor fratris Marthæ: quia per dictā copulā non fuit ortum impedimentū inter Petrū, & eū, q̄ fuit vxor fratris Marthæ: ergo multò magis ſi Petrus tantùm cōtraxit ſpōſalia cū Martha, poterit matrimoniū eſſe validum inter ipſum, & eam, quæ fuit vxor fratris Marthæ.

3 Secūda dubitatio. Vtrū, ſi quis contraxit matrimoniū ꝑ verba de præſenti cū Martha, ſed eā non cognouit; poſſit deinde mortua Martha contrahere cum conſobrina Marthæ ſuppoſito, ꝙ Martha nō cognouerit? Seu Vtrum, ex matrimonio rato, & nō conſummato oriatur impedimētū publicæ honeſtatis? Nau. in prima impreſſione ſui Manualis exiſtimauit in matrimonio rato nō cōſummato tantùm oriri impedimentū publicæ honeſtatis, & propterea poſſe illū, qui cōtraxit cū Martha, ſed eam nō cognouit, mortua Martha matrimoniū cōtrahere cū conſobrina Marthæ. Et ratio eius fuit, quia ex matrimonio rato nō conſummato nō oritur impedimētū affinitatis, quia affinitas oritur tm̄ ex copula, neq; oritur aliud impedimentū, præter impedimentū publicæ honeſtatis, quod per nouā conſtitutionē Cōc. Trid. matrimoniū dirimit tm̄ ī primo gradu. Sed Pius V. Anno M.D.LXIIX. qui ſui pontificatus tertius fuit, menſe Iulij edidit Bullam, quæ nūc imprimitur in fine Cōc. Trid. in qua determinauit, ex matrimonio rato, non conſummato oriri impedimentū quaſi affinitatis, quod impedit, & dirimit matrimonium vſque ad quartū gradum; non ſecus, ac ſi matrimonium fuiſſet conſummatum. Quare, Conc. Trid. non reſtrinxit publicā honeſtatē, quæ oritur ex cōtractu matrimonij, nā illa & nunc dirimit matrimonium vſq; ad quartum gradum; ſed tantùm reſtrinxit eā, q̄ oritur ex ſponſalibus. Et Nauarr. hoc nō animaduerterat; qui tamen in ſecunda editione ſui Manualis, q̄ fuit poſt Pij V. determinationem, ſe correxit.

4 Vltima dubitatio eſt. Vtrum, ſi duo impuberes poſt ætatē ſeptē annorum matrimonium inuicē contrahant, ex tali matrimonio oriatur impedimentum dirimens vſque ad quartum gradum: an verò tantùm in primo gradu? Reſp. quòd tantū in primo gradu, quia

vt diximus in principio huius partis, matrimonium contractum inter impuberes si non potest esse validum propter defectum ætatis, saltem valet vt sponsalia.

De impedimento affinitatis.

1 Circa hoc impedimentum quæritur primò. Quid sit affinitas? Resp. prout colligitur ex DD. quòd est proximitas quædam, quæ oritur ex copula carnali inter personam, quæ habet copulam carnalem, & consanguineos, seu consanguineas illius personæ, cum qua habet talem copulam: Ex copula enim carnali duo fiunt vna caro. Quare, qui habet copulam carnalem cum aliqua fit affinis, idest accedit propè finem consanguineorum illius personæ, cum qua copulam habet. Inter ipsos autem, qui copulam habent, non oritur affinitas, sed carnis vnitas, quæ carnis vnitas non dirimit matrimonium sicut affinitas. Quare, Petrus poterit cõtrahere cum ea, quã cognouit, sed non cum consanguineis eius, quam cognouit.

2 Quæritur 2. quænam sit copula carnalis, ex qua oritur affinitas? Resp. Ex Nau. cap. 22. man. num. 42. Quòd copula carnalis, ex quã oritur affinitas est illa, per quam semen viri recipitur in vas naturale mulieris. Atq; ex hoc inferuntur quatuor.

Infertur 1. Quòd si aliquis intraret Claustra pudoris, itaut si femina esset virgo diceretur violata; si tamen non seminaret, inde nõ oriretur affinitas.

Infertur 2. Quòd si quis in alio vase, quàm naturali, seminaret inde affinitas minimè contraheretur.

Infertur 3. ꝙ si vir seminaret, itaut semẽ reciperetur in vas naturale, absque eo, quòd ingrederetur claustra pudoris, vt dicit Albertus Magnus occurrisse in balneis; inde oriretur affinitas.

Infertur 4. Quòd ad hoc vt oriat̃ affinitas, non requiritur vt fœmina seminet, contra D. Thomam, vt bene dicunt Innoc. & Host. super cap. Fraternitati. De eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ; Et Aristot. in lib. de generatione animalium ait: Quòd ad generationem non requiritur fœminæ semen, sed sufficit pars aliqua sanguinis mulieris.

3 Quæritur 3. Vtrum affinitas dirimat Matrimonium vsque ad quartum gradum inclusiuè? Resp. Quòd duplex est affinitas. Alia, quæ oritur ex copula carnali licita, & hæc dirimit Matrimonium vsque ad quartum gradum. Alia, quæ oritur ex copula carnali illicita, & hæc dirimit Matrimonium tantùm vsque ad secundum gradum inclusiuè per nouam constitutionẽ Conc. Trid. sess. 24. ca. 4. Nam olim affinitates ex copula licita, & illicita ante Conc. Trid. erant pares.

Quæritur

Quæritur 4. quænam sit copula licita, & quæ illicita? Resp. quòd quantùm ad præsens negotium spectat, copula licita dicitur omnis illa, quæ habetur cum vxore à marito eius, etiamsi in genere moris sit peccatum mortale: vt si maritus cognosceret vxorem affectu meretricio. Copula verò illicita dicitur omnis illa, quę habetur cũ alia, quàm cum propria vxore, etiamsi in genere moris sit licita, idest sine peccato. Vt si duxit mulierem in matrimonium, quã putabat viduam, cuius tñ maritus erat viuus, & durante bona fide eam cognosceret, talis copula, quantùm ad præsens negotium, diceretur illicita, licet esset sine peccato. Et posset talis, cognito ꝙ viuebat primus maritus, contrahere cum ea, quæ est in tertio gradu consanguinitatis cũ muliere, quàm cognouit dum existimaret eam esse vxorem.

5 Quæritur 5. Vtrum, Ille, qui est vni affinis, possit etiam esse eidẽ cõsanguineus? Resp. affirmatiuè, vt si aliquis cognosceret consobrinam efficeretur affinis sororis consobrinæ, cuius erat cõsanguineus. Et Loth, cum quo filiæ rẽ habuerunt, si alias habuisset filias, illæ fuissent eidem affines, & cõsanguineæ. Et fieri põt ꝙ aliquis sit ẽt consanguineus eidem in diuersis gradibus, & diuersis de caussis, vt narrat Sylu. ver. Matrimonium 8. q. 15. de Carolo magno, qui ex sorore habuit filium Rolandũ, cuius filij Carolus erat pater, & auunculus.

6 Quæritur 6. Vtrum, Summus Pont. possit dispensare in omni gradu affinitatis? Dicunt DD. ꝙ in primo gradu affinitatis ex copula licita nõ põt Papa dispensare, vt videlicet quis successiuè contrahat cũ matre, deinde cum filia. De primo gradu in linea transuersali communior opinio est, ꝙ in eo possit Papa dispensare, quia in eo multoties dispensauit, vt videlicet quis contraheret cum vxore relicta à fratre. De alijs gradibus nõ est dubitatio. Sed si quis esset simul affinis, & cõsanguineus ad dispensationẽ nõ sufficeret dicere affinitatẽ in supplicatione, & tacere cõsanguinitatẽ: sed requiritur dispensatio in affinitate, & consanguinitate.

7 Quæritur 7. qũo cõputandi sint gradus in affinitate? Resp. ꝙ eo modo, quo cõputati sunt in cõsanguinitate. Cùm enim ex copula carnali duo fiant vna caro, inde fit vt vir cõstituaẽ in eo gradu affinitatis cum consanguineis vxoris, quo gradu consanguinitatis est mulier cum ipsis: Et mulier in eo gradu affinitatis constituitur, cum consanguineis viri, in quo gradu consanguinitatis est ipse vir cum eis. Vt si Lucia est in secundo gradu consanguinitatis cum consobrina sua, in eodem gradu cum eadem consobrina affinitatis erit ille, qui cognouit Luciam: Et si Lucia est in primo gradu consanguinitatis cum sua matre, in primo gradu cõsanguinitatis erit cum ea ille, qùi cognouit Luciam. Et sic de alijs, quare sicut in consanguinitate sunt tres lineę ascendentium, descendentium, & collateralis; ita & in affinitate.

8 Quęritur octauo. Vtrum, Consanguinei mariti fiant affines cum consanguineis vxoris? Resp. Negatiuè, vt patet ex ijs, quæ diximus in secundo quæsito circa præsens impedimentum. Et ex hoc fit vt duo fratres possint contrahere cum duabus sororibus; ac pater, & filius cum matre, & filia.

9 Quæritur nono. Vtrũ maritus fiat affinis affinibus vxoris? Respond. quòd non: Et hoc patet ex ijs, quæ diximus in prædicto secundo quæsito; Atque indè fit vt vnus possit contrahere cum filia Petri, deinde cum vxore Petri; modò vxor Petri non sit mater filiæ; sed filia vel sit illegitima, vel alterius vxoris. Item vt vnus possit contrahere cum ea,

quæ fuit vxor fratris suæ vxoris mortuæ.

10 Quæritur 10. Vtrum, per copulam carnalem habitam per vim contrahatur affinitas? Couar. distinguit de vi; Nam dicit, quòd si fuit conditionata, idest per metum mortis, ex ea oritur affinitas: secus si fuit coactio absoluta. Sed, meo iudicio, errat Couar. quia affinitas non consequitur ex voluntate, sed naturaliter. Quare non requiritur ad contrahendum affinitatem vt copula sit voluntaria. Deinde sequeretur ex opinione Couarr. quòd aliquis posset contrahere cum sorore matris filij sui: Vt si aliquis cognouisset per vim Catharinam, quæ deinde concepisset, & peperisset filium, posset talis, qui cognouit Catharinam, contrahere cum sorore Catharinæ, quæ est amita filij sui.

11 Quæritur 11. quid operetur affinitas si oriatur post contractum matrimonium? Resp. cum Sylu. ver. Matrimonium 8.q.15. & dico multa. Primò quòd si affinitas oriatur ante sponsalia dirimit sponsalia sequentia.

Dico 2. quòd si oriatur post sponsalia ante matrimonium, dirimit sponsalia præcedentia, & matrimonium sequens.

Dico 3. quòd si oriatur post matrimonium, sed non consummatum, non dirimit matrimonium; sed teneretur ille coniux, per quem orta est affinitas, ingredi Religionem, si potest, & in ea profiteri: quia consummare matrimonium est illi peccatum mortale; & vnusquisque tenetur facere, quod potest ad euitandum mortale peccatum; talis autem tantùm potest euitare peccatum per ingressum Religionis, & professionem in ea: ergo, &c. Ita Sylu. sed sum. angelica defendit, quòd talis nõ teneatur ingredi Religionem, sed quidem potest reddere debitum absq; peccato. Opinio Syluestri videtur tutior, sed Angeli verior.

Dico 4. quòd si affinitas oriatur post matrimonium contractum, & consummatum, ille, ob quem orta est affinitas, poterit reddere debitum, non autem petere.

12 Quæritur vlt. Vtrum ille, qui scienter contrahit matrimonium cum affine, peccet mortaliter? Resp. affirmatiuè. Et est ipso facto excommunicatus per Clement. vnicam. De affinitate, & cõsanguinitate; præterquàm quòd matrimonium est etiam nullum.

Quòd si dicas. Si illa, quam putabat esse affinem, non erat verè affinis, eritne validum matrimonium? Resp. quòd si putabat matrimonium non fore validum, non erit validum propter defectum consensus; secus autem est si putabat validum esse posse.

13 Demum dices. Quomodò poterit Papa dispensare in secundo affinitatis gradu; cùm id videatur esse contra ius diuinum? Nam in Testamento veteri pluribus in casibus Deus prohibuit matrimonium in secundo gradu affinitatis? Ad hoc resp. Caiet. Sot. Armil. & alij quàm plurimi. Quòd præceptum illud Testamenti veteris, quo dirimebantur matrimonia contracta inter affines; erat cæremoniale; & præcepta cæremonialia legis veteris cessauerunt, manentibus naturalibus; quale fuit de non contrahendo cum matre, & filia.

De impedimento impotentiæ.

1 *Impotentia quomodò dirimat matrimonium.*
2 *Impotentia quotuplex.*
3 *Frigiditas triplex.*
4 *Frigiditas in fœmina quid sit.*
5 *Impotentia perpetua dirimit matrimonium.*
6 *Impotens cum vna an possit contrahere cum alia.*

7 Po-

7 *Potens tantum cum corrupta an possit contrahere cum uirgine.*
8 *Mulier arcta si incidatur possitne in matrimonio perseuerare.*
9 *Castratus num possit contrahere.*
10 *Impotens qualiter peccet contrahendo.*

1 Circa impedimentum impotentię, quod vltimo loco inter ea, quæ dirimunt matrimonium, enumeratur; Quæritur primò, quænam sit impotentia, quæ dicitur dirimere matrimonium? Resp. quòd est impotentia habendi copulam, vel ingrediendi claustra pudoris mulieris; Ille enim, qui tale impedimentum habet, non potest validum contrahere matrimoniũ, quoniam talis impotẽtia directè repugnat fini matrimonij, qui est proles, vel remedium concupiscentiæ.

2 Quæritur 2. quotuplex sit impotentia prędicta, quæ dirimit matrimonium? Resp. secundum communem Doctorum opinionem, quòd duplex est; Altera intrinseca, quæ & dicitur naturalis; Altera verò extrinseca, quæ etiam dicitur accidentalis. Impotentia naturalis, & intrinseca, quantùm ad masculum, dicitur frigiditas. Et est 3 triplex. Primò alia, propter quam vir nec potest seminare, nec potest intrare claustra pudoris mulieris. Secundò alia, secundum quam vir potest quidem seminare, sed non intrare claustra pudoris propter nimiam caliditatem; quia videlicet quis est adeò calidus, vt semper quando vult intrare claustra propter caliditatem prius cogatur seminare, & deinde non potest intrare. Tertiò, alia est, secundum quam quis ob frigiditatem non possit seminare, sed tamen possit intrare. Prima impotentia, secũdum communem DD. opinionem, dirimit matrimoniũ, si est perpetua. Secunda pariter. Et dicitur frigiditas, licet proueniat ex maximo calore, quia rarò accidere solet, vt quis propter nimiam caliditatem semper cogatur extra seminare quando vult intrare claustra pudoris; Et propterea connumeratur cum impotentia frigiditatis. De tertia est aliqua dubitatio inter Doctores; nam aliqui, vt refert Sylu. ver. Matrimonium 8. q. vltima, dixerunt eam non dirimere matrimonium: quia qui habet talẽ impotentiam tantùm potest esse remedium concupiscentiæ vxori. Sed Sylu. & alij Doctores communiter dicunt talem etiam impotentiã dirimere matrimonium, quoniam mulier potest dicere, se nolle tantùm delectationem, sed etiam quòd vult fieri mater.

4 In fœmina autem nõ potest esse impedimentum frigiditatis: quoniam, vt dicit D. Th. in 4. dist. 41. fœmina est, quæ patitur; sed ad patiendum non requiritur robur sicut ad agendum. Verùm in fœmina loco frigiditatis, quæ potest esse in viro, est nimia arctatio: si enim est adeò arcta, vt non possit cognosci, dicitur habere impedimentũ impotentiæ naturalis, ita vt non possit matrimonium contrahere. Impotentia extrinseca duplex est, idest maleficium, & castratio.

5 Quæritur 3. Vtrum, omnis impotẽtia ex iam dictis dirimat matrimoniũ? Resp. affirmatiuè si est perpetua, vt dictum est, non autem si non est perpetua. Et Ecclesia, vt videre est in tit. De frigidis, & maleficiatis, statuit tempus trium annorum ad experiendum inter duos, qui matrimonium contraxerũt, quorum alter, vel vterque est impotẽs; An impotentia sit perpetua, necne. Et si termino trium annorum, coniugati non potuerunt habere copulam, Ecclesia iudicat matrimonium non fuisse validum propter impedimentũ impotentiæ, quæ iudicatur perpetua, & sic fit separatio inter coniugatos. Et si deindè experientia cognoscat Ecclesia se dedisse sententiam per errorem iu-

iudicando impotentiam esse perpetuam, quæ tamen non est; illud matrimonium, quod uidebatur dissolutum adhuc esse validum censeri debet, vt habetur prædicto titulo.

6 Quæritur 4. Vtrum, facto diuortio, seu facta separatione viri, & mulieris propter impedimentũ impotentiæ, qđ iudicatum fuit perpetuũ, possit vir cũ alia contrahere; & è contra? Respon. quòd si in viro impedimentum impotentiæ fuit frigiditas, non poterit talis cum alia contrahere, quia frigidus vni est frigidus omnibus. Si verò impedimentum fuit ex maleficio, poterit cum alia contrahere, quia maleficiatus vni nõ est semper maleficiatus omnibus. Mulier verò si est arcta vni, & non aliquibus alijs, dissoluto matrimonio cum illo poterit cum alio contrahere. Si verò est arcta omnibus cum nullo poterit contrahere. Et si est maleficiata, dicendum est, vt dixi de masculo, nisi etiam esset maleficiata omnibus: Ex arte enim Dæmonis aliquando vna persona maleficiatur tantùm vni, aliquando omnibus.

7 Sed dices, si daretur vir, qui esset potens cum muliere corrupta, & cum virgine contraxisset matrimonium; & non esset potens cum virgine, essetne censendum matrimonium? D. Tho. in 4. sent. affirmat, quia talis virgo potest fieri habilis absque peccato per instrumentum aliquod Chirurgi. Et si non posset fieri habilis sine peccato, matrimonium esset omninò nullum.

8 Rursus dices. Si aliqua mulier esset impotens, quia nimis esset arcta; sed potest fieri potens per incisionem, si contraxisset matrimoniũ ante incisionẽ, tenereturne permittere vt incideretur? Resp. ex D. Tho. ꝙ matrimoniũ esset nullũ ante incisionẽ si incisio vergeret in periculum sanitatis, aut vitæ mulieris. Et si post contractum matrimonij fuerit incisa, & facta habilis; dicit D. Thom. quòd ad hoc, vt esset validum matrimonium, deberet iterum contrahi.

9 Quæritur vltimò. Vtrum, semper castratus censeatur habere impedimẽtum cõtrahendi matrimonium? Resp. Affirmatiuè, si non potest seminare. Sec⁹ si posset seminare, & ingredi claustra pudoris, puta si ex altero tantùm esset castratus.

10 Demum dices. Vtrum, sciens impedimentum impotentiæ esse in seipso, & tamen contrahit matrimonium, peccet? Resp. Affirmatiuè si altera pars id nesciebat; & si altera pars voluerit tenebitur cum ea manere si nõ vt maritus, saltem vt frater; Et si vtraq; pars impedimentũ impotentiæ antea sciebat, tenebuntur ambo simul manere, quia ad hoc, vt per impotentiam matrimonium dissoluatur tria requiruntur. Primò impotentia ipsa. Secundò, vt sit perpetua. Tertiò, vt fuerit ignorata ab vtraque parte, vel saltem ab altera, non poterunt, tamen vti oculis amplexibus, & cap. quia non sunt veri maritus & vxor.

CAPVT IV.

De impedimentis, quæ impediunt, & non dirimunt matrimonium.

POstquam superiori capite actum fuit de impedimentis, quæ dirimũt matrimoniũ recto ordine, prout promisimus in principio istius octauæ Partis; requiritur vt in hoc quarto capite agamus de impedimentis, quæ impediunt quidem, sed non dirimunt matrimonium: Hoc est, quorum aliquo posito mortale quidẽ peccatum est matrimonium cõtrahere vbi sunt in vsu; matrimonium tamen remanet validum: Multa enim prohibentur, quæ tamen facta tenent. Sunt autem hæc impedimenta sex prout enumerantur à Sylu.

à Sylu.in summ. ver. Matrimonium 7. in principio. Ideſt Interdictum, Tempus feriatum, Sponſalia, Votum ſimplex, Catechiſmus, & Crimen. Quod crimen diuiditur in ſex, videlicet in Inceſtum, Vxoricidium, Raptum alienæ ſponſæ, Doloſam ſuſceptionē proprij filij de ſacro fonte, aut Chriſmate; ideſt factam hoc fine, vt priuet alterum coniugem debito coniugali; Interfectionem presbyteri; Et peccatū, propter quod imponitur, & fit pœnitētia ſolemnis. Quib⁹ ſex criminibus addunt aliqui ſeptimum, ideſt contractū matrimonij ſcienter factum cum moniali, aut ſacrilegium cum moniali. Et ego addo omne peccatum mortale, de quo non præceſſit vera, & ſacramentalis confeſſio, aut ſaltem contritio. De ijs ergo omnibus impedimentis ſingillatim differendum eſt ſicut & in capite præcedenti de dirimentibus matrimonium.

De primo impedimento interdicti.

1 *Quid veniat nomine interdicti.*
2 *Quod interdictum impediat.*
3 *Teneatne matrimonium contra interdictum Parochi.*

PEr interdictum Doctores cōmuniter hic intelligunt tantùm illud interdictum, quo prohibetur aliquis ab Epiſcopo, ſeu Iudice, aut Parocho ne cum tali matrimoniū contrahat legitima aliqua de cauſſa. Puta ſi eſſet dubium, An ſubeſſet aliquod impedimētum, & interim donec intelligatur veritas ab Epiſcopo, vel Iudice, vel Parocho prohibetur, ne matrimoniū contrahatur donec res clara fiat; durante tali prohibitione non poſſunt qui prohibiti ſunt matrimonium inuicem cōtrahere: Si tamen contrahant erit validum matrimonium, modò non ſubſit verè aliquod ex duodecim impedimentis, de quibus in capite antecedēti dictum eſt. Ita Sylu. ver. matrimoniū. 7. §. 1. Nau. in Man. c. 22. n. 68. Palud. in 4. ſent. d. 28. q. 2. & alij Doctores.

Quòd ſi dicas, qūo matrimoniū pōt cōtrahi cōtra interdictum Parochi, ſi ad contrahendum matrimoniū neceſſariò requiritur eius præſentia?

Ad hoc dico 1. ꝙ DD. loquuti ſunt ante Conc. Trident. quo tempore non erat neceſſaria præſentia Parochi.

Dico 2. ꝙ etiam nunc poteſt caſus occurrere in illis parochijs, vbi ſunt plures Parochi, quorū vnus poſuit interdictū, ideſt prohibuit ne fieret matrimoniū propter legitimā cauſſam; & ſponſi malitioſè acceſſerunt ad aliū parochum ignorantem talem prohibitionem, coram quo contraxerunt matrimonium. Imò poteſt fieri, quòd in illa parochia, vbi eſt tantùm vnus Parochus, fiat talis prohibitio, & parochus deinde diſcedēs relinquat delegatum, coram quo ignorante prohibitionem ſponſi contrahant. Imò poteſt ēt fieri, quòd ſponſi prohibiti matrimonium contrahāt coram Parocho, qui poſuit prohibitionem ſi cogatur præſens eſſe; Nam licet præſentia Parochi requiratur ad cōtrahendum matrimonium, non tamen eius voluntas.

De impedimento temporis feriati.

1 *Cur aliquo anni tempore prohibitum ſit matrimonium.*
2 *Prohibeaturne matrimonium ipſum, an ſponſalia, an ſolemnis traductio, an conſumatio.*
3 *Quid veniat nomine temporis feriati.*
4 *An Mediolani totus aduentus ſit feriatus.*

1 Sacrosancta Ecclesia prohibuit ne certis anni temporibus nuptiarũ solemnitates fiant, in quibus præcipuè Ecclesia mœstitiam ostendere solet. Et huius rei rationem reddit D. Th. quia æquum non est, vt in illis diebus, in quibus Ecclesia publicè mæstitiã ostẽdere solet, dentur lætitiæ signa, qualia tempore traductionis sponsæ ad domũ sponsi, seu tempore, quo fiunt nuptiarum solemnitates, dari solent.

2 Sed hic est maxima inter Doctores controuersia. Quidnam Ecclesia circa matrimonium prohibeat dictis tẽporibus? Etenim vel prohibet ne fiant sponsalia; vel ne fiat contractus ipse matrimonij; vel ne fiant solẽnes sponsorum benedictiones; vel ne fiat traductio nouæ sponsæ in domum sponsi; vel ne fiat matrimonij consummatio.

De sponsalibus omnes Doctores cõueniunt, quòd possunt fieri absq; peccato tempore feriato infrascripto. Ita Sylu. ver. Matrimonium. §. 2. Et ita est in vsu.

De contractu matrimonij Palud. in 4. dist. 32. dicit, quòd prohibetur tempore feriato infrascripto. D. Tho. dicit, quòd non prohibetur, & quòd propterea potest fieri contractus matrimonij quolibet anni tempore. Idem dicit Nau. in Man. cap. 22. num. 71. & multi alij. Archid. dicit, In hoc seruandam esse consuetudinem regionis. Et ita dicẽdum est In nostra Mediolanẽsi Ciuitate, & Diæcesi vsus, & consuetudo est, quòd numquam tempore feriato infra dicendo contrahatur matrimonium absque expressa Superiorum licentia, iudicarem esse peccatum si in Quadragesima, vel Aduentu matrimonium contraheretur absque Episcopi, vel eius Vicarij licentia.

De benedictione solemni, quam sequitur deinde conuiuium, & de traductione nouæ sponsæ ad domum sponsi ferè omnes conueniunt, quòd prohibeantur tempore feriarum infra dicendo. Et hoc clarè patet ex Glos. cap. Capellanus. De ferijs. & q. 30. per multos canones. Et hoc intelligit D. Tho. etiam sine conuiuio, maximè in traductione nouæ sponsæ in domum noui sponsi. Quia ex nouitate traductionis nouæ sponsæ animi, inquit D. Thomas, ad lætitiam corporalem, & ad voluptates huius mundi excitantur.

De consummatione matrimonij aliqui dicunt eam prohiberi tempore feriato infrascripto pro prima vice. Et aliqui dicunt id esse intelligendũ quando sponsi non sunt benedicti. Alij vero dicunt id esse intelligendum quando sponsus, & sponsa non erant vidui. Ego dico quòd cõsummatio matrimonij nequaquam prohibetur tempore feriato; neque pro prima vice. Ita etiã Nau. cap. 22. Man. num. 67. ita Caiet. in sum. ver. Matrimonialis. cap. 7. & Armil. & ratio Caietani est, quia nusquã reperitur talis prohibitio, sicuti reperitur de traductione, & solemni benedictione.

5 Tempora verò, quibus prohibita fuerunt nuptiarum solẽnia ante Concil. Trid. erant ab aduentu Domini Nostri Iesu Christi vsque ad Epiphaniã. A septuagesima vsque ad diem Paschatis Resurrectionis. A diebus Rogationum vsque ad diem Penthecostes, vt habetur cap. Capellanus. cit. De ferijs. Et fuit ante Conc. Trid. controuersia inter Doctores. Vtrum, in tali tempore comprehenderetur octaua Epiphaniæ, & prima Dominica post Penthecosten; sed Conc. Trid. de medio sustulit hanc controuersiam, & tempus celebrandi nuptias ampliauit: Nam statuit in sess. 24. c. 10. quòd ab aduentu Domini Nostri Iesu Christi vsque ad diem Epiphaniæ inclusiuè; & à feria quarta Cinerum vsque ad octauã Paschatis Resurrectionis inclusiuè diligenter obseruentur antiquæ inhibitiones solemnitatum nuptiarum: Et

quòd

quòd in omnibus alijs temporibus permittatur, vt nuptiæ celebrentur. Atque ex hoc apertè patet, quòd in octaua Epiphaniæ, immo post diẽ Epiphaniæ, in septuagesima, sexagesima, & quinquagesima vsque ad quartam feriam Cinerum, & in tempore Penthecostes nunc possunt celebrari nuptiæ, quod antea prohibebatur.

4 Sed hic est dubitatio. Vtrum, in Ecclesijs, in quibus aduentus Domini Nostri, & Quadragesima celebrantur more Ambrosiano, per totum aduentum Ambrosianum; & num in quarta feria Cinerum, & alijs diebus, qui præcedunt primam Dominicam Quadragesimæ; prohibeantur nuptiarum solemnitates? Resp. quòd in Ecclesijs, vbi aduentus celebratur more Ambrosiano, per totum tempus ipsius aduentus prohibentur nuptiæ, & non prohibentur quarta feria Cinerum, neque alijs diebus immediatè antecedentibus primam Dominicam Quadragesimæ. Et probatur primò, quia vt supra diximus ex D.Thoma, caussa, cur prohibeãtur nuptiæ certis anni tẽporibus, est quia in illis Ecclesia ostendit mœstitiam, & æquum non est in tali tempore, vt dentur publica lætitiæ signa; sed Ecclesia Ambrosiana per totum tempus Aduẽtus ostendit talem mœstitiam, & non ostendit eam quarta feria Cinerum, & alijs tribus diebus immediatè sequentibus. Secundò probatur ex vsu, & consuetudine ipsius Ecclesiæ Ambrosianæ, quæ permittit solemnitates nuptiarum in quarta feria Cinerum, & alijs tribus diebus sequentibus; & in nullo die aduentus, qui in ea Ecclesia celebratur.

In suprascriptis autem temporibus, idest Aduentus, & Quadragesimæ de iure prohibentur nuptiarum solemnitates, vt benedictiones solemnes, & traductiones sponsarum nouarum, ad domum sponsorum, sed non prohibetur contractus ipse matrimonij, nisi vbi est consuetudo; vt est in Ecclesia Ambrosiana; & vt supra diximus. Nã c.Capellanus. De ferijs, dicitur, quod matrimonium potest contrahi quolibet anni tempore; quod est intelligendum vbi huiusmodi consuetudo viget.

De impedimento sponsalium.

1 *Quid sit impedimentum sponsalium.*

2 *Quomodo sponsalia impediant sequens matrimonium.*

QVando quis dedit fidem alicui, seu promisit, quòd eam ducet in vxorem: Vel aliqua promisit alicui, quòd eum in maritum ducet, si deinde nulla intercedente legitima caussa cum alia persona contrahat peccat mortaliter; sed matrimonium est validum; nisi sit consanguinea in primo gradu cum ea persona, cui promiserat. Legitima autem caussa contrahendi cum alia persona, quã cum ea cui primò promissum est, vna est ex illis, de quibus mentionem fecimus in primo cap. vbi egimus de sponsalibus. Si enim aliqua ex illis caussa intercedat non erit peccatum mortale cum alia persona contrahere, quàm cum illa, cui antea promissum est, etiã sine facultate Episcopi, vt dicit Nau. in Man.cap.22. nu.72. licet secundum ipsum sit veniale graue non habere facultatem ab Episcopo quando quis ex legitima caussa vult contrahere cum alia, quàm cum ea, cui antea promissum est; quod tamen non semper est verum; nam si sponsa vnius cum alio contraxit, quàm cum sponso, quomodo tenebitur sponsus habere facultatem ab Episcopo, vt possit cum alia contrahere? Sed in aliquibus casibus opinio Nauarri poterit esse vera; Vt

quando

quando quis non vult contrahere cum ea, cui antea promisit, quia fornicata est, vel quia contraxit aliquam deformitatem: Et sic de similibus.

De impedimento voti.

1 PEr votum hoc loco Doctores intelligunt votum simplex castitatis. Sed ego intelligo etiam votum simplex Religionis; & votum non nubendi. Quæ tria vota, licet videantur vnum, & idem; maximè tamen inter se differunt. Nam primo, si ille, qui emisit votum castitatis, fornicetur, committit peccatum sacrilegij; non ita si post votũ fornicatur ille, qui fecit votum simplex Religionis, vel non nubendi, nam erit tantùm simplex fornicatio. Secundò, licet, & qui fecit votum castitatis; & qui fecit votum Religionis, idest ingrediendi Religionẽ; & qui fecit votum non nubendi, peccent mortaliter contrahendo matrimonium; tamen post contractum matrimonium antequàm cõsumetur qui fecit votum non nubendi non peccabit nouo peccato petendo, aut reddẽdo debitum: sed alij duo peccabunt & petendo, & reddendo debitum prima vice: quia tenentur ingredi Religionẽ antequam consument matrimonium; tenentur enim facere quicquid possunt, vt adimpleant votum; sed votum potest adimpleri per ingressum in Religionem: ergo tenentur ingredi Religionem. Tertiò, postquam consumatum est matrimonium, ille, qui fecerat votum non nubendi, vel Religionis absque nouo peccato poterit petere, & reddere debitum; sed ille, qui emisit votum castitatis non poterit petere, sed reddere. Omne verò illud, quod dixi de voto, etiam de iuramento intelligendum est: Nam si quis iurauit castitatem, aut ingredi Religionem, aut non contrahere matrimonium, à contractu matrimonij arcetur.

2 Sed dices cap. Comissum. De sponsalibus. consuluit Sum. Pontifex illi, qui promiserat contrahere matrimonium cum vna cum iuramento; & qui deinde volebat ingredi Religionem, idest qui nolebat contrahere, sed ingredi Religionem, vt prius matrimonium contraheret, vt seruaret iuramẽtum; & deinde post aliquod tẽpus ante consumatum matrimonium ingrederetur Religionem: ergo non videtur verum quòd ingressus Religionis possit cõpetere illi, qui contraxit spõsalia, cum iuramento, absque eo, quòd contrahat matrimonium. Ad hoc respon. Glo. in d. c. Quòd Sum. Pontifex non est loquutus secundum rei veritatem, sed secundum famosam opinionem. Videtur enim quòd ille, qui iurauit cum vna contrahere, & deinde proposuit, vel iurauit ingredi Religionem, possit vtrique iuramento, & proposito satisfacere si primò contrahat matrimonium, & deinde ingrediatur Religionem. In marginibus dicti ca. habetur hęc solutio difficultatis, quòd ille iuuenis, qui iurauerat contrahere cum tali intra biennium, proposuerat ingredi Religionem; sed cùm ad finẽ biennij peruenisset, & non posset ingredi Religionem, quia volebat colligere fructus, & persoluere debita sua ante

ante ingressum Religionis; sed non poterat colligere fructus, & persoluere debita sua antequàm pertransiret biennium: Consuluit Sum. Pontifex, vt in fine biennij contraheret matrimoniũ, & deinde post aliquod tempus ante cõsumationem matrimonij ingrederetur Religionem.

3 Sed, vt melius intelligantur ea, quæ de impedimento voti simplicis dicta sunt. Quæritur 1. Vtrum, ille, qui nouit castitatem, seu Religionem mortaliter peccet si matrimonium cõtrahat cum animo ingrediendi Religionẽ ante matrimonij consumationem? Ang. in sum. dicit, quòd non: sed contrariũ dicunt D.Th. & alij Doctores in 4. dis. 38. Sot. ibidem. q.2. ar.2. Sylu. in sum. ver. Matrimonium 7. §.5. & Nau. in Manu. cap.22. nu.73. vbi in hanc sententiam citat Riccar. Sum. Rosellam, & D. Ant. Et ratio est primo, quia talis deludit coniugem, cùm habeat animũ non permanendi in fide, quæ datur quando contrahitur matrimonium.

Secundò, quia talis per matrimonium tradit potestatem sui corporis coniugi; Et hoc videtur esse irrogare iniuriam voto; Et propterea dicit Sot. loc. cit. quòd Beatissima Virgo nõ emisit votum castitatis ante contractum matrimonium, sed post. Tertiò probatur per Sylu. qui dicit ita haberi cap. Si vir. 22. d. vt ipse scribit, quod tamen capitulum non reperitur in tali distinctione, sed in 27. Et citat etiam cap. Consuluit, & cap. Rursus. Qui clericus, vel vouens matrimonium contrahit.

Sed dices. Primò, si duo vir, & mulier, qui votum castitatis emiserunt, inuicem contrahunt matrimonium cũ animo ingrediendi in Religionem antequam matrimonium consumetur, peccâtne mortaliter? Resp. cum Nau. affirmatiuè in Man. cap.22. num.73. & ita tenendum est.

4 Dices 2. Vtrum mortaliter peccet ille, qui scienter contrahit matrimonium cum persona, quæ emisit votum castitatis? Resp. affirmatiuè ex Nauar. in Man. loc. cit. & Sylu. in sum. ver. matrimon. 7. §.5. iuxta glo. in ca. non nouimus 17. q.2.

5 Quæritur 2. Vtrum. ille, qui post votum castitatis contraxit matrimoniũ teneatur ingredi Religionem ante cõsumationem matrimonij? Sot. in 4. d. 38. dicit, quòd non, quia hoc videtur nimis durum; sed re vera contra se dicit, & contra suum Magistrum D. Thomam. Contra se; quia antea dixerat, ꝙ ille, qui post votum castitatis contraxit matrimonium, peccat nouo peccato mortali si illud cõsumet: sed vnusquisque tenetur euitare peccatũ mortale, & potius effundere totum sanguinem, & pati mille mortes, quàm peccare mortaliter; sed talis potest euitare peccatũ mortale per ingressum Religionis: ergo tenebitur ingredi Religionem si non potest aliter euitare dictum peccatum. Et si non potest ingredi Religionem, & mulier petat debitum tenebitur reddere debitum: quia cùm non possit euitare consumationẽ matrimonij per caussam legitimam, vt per ingressum Religionis, ipsa consumatio non poterit esse peccatũ mortale; nõ enim peccat qui non vult peccare, quia nullum peccatum est inuoluntarium. Contra D. Thomam. Nam D.Th. apertè dicit. quòd ille, qui contraxit matrimonium post votum castitatis, tenetur ingredi Religionem ne peccet consumando matrimonium. Sententiam D. Thomæ sequitur Nau. in Man. cap.22. nu.73. vbi & citat Riccar. Item sententiam D. Thomæ sequitur Sylu. in sum. ver. Matrimonium 7. §.5. & ita tenendum est.

6 Quæritur 3. Vtrum. Ille, qui post votum castitatis matrimonium contraxit, & illud cõsumauit, peccet mortaliter petendo debitum? Ang. in sum. dicit, quòd non: quia votum fuit om-

 ninò

ninò dissolutum per contractum matrimonij. D.Tho.dicit,quòd talis peccat petendo debitum, sed non reddendo. Ita Nau.c.22.nu.72. Sylu.ver.Matrimonium 7.§.5. Et D.Th. ad id probandum affert hãc coniecturã. Quòd ille, qui post votum castitatis matrimoniũ contraxit,& consumauit,mortua vxore tenebitur sub pœna peccati mortalis non amplius cõtrahere, quia tenetur seruare votũ in quantùm potest: ergo viuente vxore non poterit petere debitum, sed tantùm reddere; quia etiam tunc tenetur seruare votũ in quantum potest: Tenetur autẽ reddere, quia non potest seruari votum, quod est in præiudicium alterius. Et notandum est ex D. Thoma, quòd ad reddendum debitum non est expectanda petitio explicita vxoris, sed sufficit implicita, idest si maritus aliquando cognoscat voluntatem vxoris, & eam non petere explicitè propter verecundiam.

7 Quæritur vlt. Vtrum,si ille,qui emisit votum castitatis, peteret à nobis. Vtrum, si contraheret matrimonium esset validum? deberemus respondere, quòd esset validum? Host. vt refert Nauar.in Man.cap.22, num.73.dicit, quòd non debemus respondere, ne demus illi occasionem peccandi contra votum. Sylu.ver.matrimon.7.§.5. dicit,quòd debemus respondere affirmatiuè, quia dicimus veritatem. Nau.dicit opinionem Host.esse veram quando petitio fit à tali persona,tali modo, & tali loco; & responsio pariter datur tali personæ, tali modo, tali loco, quæ probabiliter generabit occasionẽ peccandi: Opinionem verò aliorum esse veram quãdo responsio datur tali personæ, tali modo, tali loco, quod probabiliter non generabit occasionem peccãdi; Modus erit hic,meo iudicio; Verum quidem est, quòd esset matrimonium, sed tamen nulla ratione deberes contrahere matrimonium, etiãsi erit validum, quia peccabis peccato sacrilegij faciendo contra votum, & peccatum erit maximum; & præterea vltra mortem animæ, reperies quòd matrimonium habebit infelicissimum exitum.

De impedimento Catechismi.

1 *Catechismus quomodo impediat matrimonium.*

2 *Inter quas personas sit hoc impedimentum.*

Per Catechismum hoc loco non intelligunt Doctores quamlibet instructionem,sed eam tantùm, quæ immediatè præcedit Baptismum; vel deinde illum subsequitur si Baptismus absque solemnitate ministratur: Ex tali enim catechismo solo de iure canonico nascitur impedimentũ quoddam impediens matrimonium, vt habetur cap. 1. De cognatione spirituali in 6. quod impedimentum dictum fuit catechismus, quia ex catechismo dicto oriatur. 1

Sed hic quæritur à Nau. in Man.ca. 22.nu.72.Vtrum,per hoc impedimentum impediatur homo tenens ad catechismum ne contrahat cum catechizato, & eius patre, ac matre tantùm; an etiam cum fratribus catechizati,vt erat ante Conc.Tridentinum? Et resp. Nau. quòd hoc impedimentum tantũ impedit matrimonium contrahendũ inter eum, qui tenet ad catechismum, & catechizatum, & patrem, ac matrem catechizati: Et ratio hujus est, quia in Concil. Trid. restricta est cognatio spiritualis,quæ erat, & est maius impedimentum: ergo,& multo magis ex hoc debemus existimare, inquit Nauarrus,etiam intelligi restrictũ esse tale impedimentum ad eos terminos, ad quos restricta est cognatio spiritualis. 2

De

De impedimento criminis.

IN principio istius quarti capitis inter sex impedimenta, quæ matrimonium impediunt vltimò enumerauimus crimen,& illud diuisimus in nõ nulla crimina. Quorum

1 Primũ erat incæstus. Qui.n. habet vxorem,& cognoscit consanguineam suæ vxoris in pœnã peccati, & ob fauorem matrimonij punitur hac pęna, vt mortua vxore non possit cum alia qualibet muliere matrimonium contrahere, vt habetur tit. De eo, qui consanguineam vxoris suæ cognouit. c. 1. Et hìc non intelligimus, quòd ille, qui cognouit cõsanguineã vxoris suæ, nõ possit contrahere cum consanguinea vxoris suæ, nam hoc est impedimentũ affinitatis, quod non tantùm impedit, sed etiam dirimit matrimonium; sed ꝙ neq; cum alia muliere, etiamsi non sit consanguinea sua, vel suæ vxoris.

2 Sed hìc est cõtrouersia inter Doctores. Vtrum, Incæstus cum affine, idest cum consanguinea vxoris sit tantùm ille, qui impedit matrimonium? Seu an omnis incæstus, puta si quis haberet rem cum consanguinea propria sua? Nau. in Man. cap. 22. nu. 74. Hinc inde affert multas rationes, idest pro affirmatiua, & negatiua parte; & tandem ipse sequitur opinionẽ, quam dicit esse Canonistarũ, & Angeli in sum. Idest, omnem incæstum impedire matrimonium; sed quòd tantùm incæstus cum affine sit impedimentũ impediens matrimoniũ dicit D. Th. in 4. d. 34. Dom. Sot. d. 37. eiusdem. 4. D. Ant. prout citat ipse Nauar. Sylu. ver. Matrimoniũ 7. §. vlt. & Cardinalis Alciatus, vt ipse Nauarrus citat. Opinio Nauarri videtur quidem tutior; sed opinio D. Thomæ, & Theologorum est verior.

3 Secundum est vxoricidium. Qui.n. habens vxorẽ illam occidit à lege punitur in pœnam peccati, & in fauorẽ matrimonij, vt cùm alia contrahere non possit. Intellige quomodocunque vxorem occidat, & propter quemcunque finem. Nam si fiat vxoricidium ad finem contrahendi cũm adultera erit impedimentum dirimens matrimoniũ contrahendum cum adultera, licet deinde impediens contrahendum cum alia qualibet.

4 Sed hic est controuersia. Vtrum, sub vxoricidio intelligatur etiam mariticidium? Nau. num. 74. cit. affirmat. Sylu. lo. cit. negat. Et cum Sylu. tenendum est, quia in iure dist. 33. cap. 2. Et

mentio de vxoricidio quòd sit impedimentum impediens matrimonium; nullibi autem de mariticidio, & pœnæ sunt potius restringendæ.

5 Tertium crimen est Raptus alienæ sponsæ. Qui enim rapit alienam sponsam impeditur de iure, ne cum aliqua ipse contrahere possit; Vt videre est apud Nau. lo. cit. qui citat canones, & apud Sylu. loc. cit. & apud Caieta. in sum. ver. Matrimonium.

6 Quartum crimen est susceptio proprij filij de fonte sacro, vel de Chrismate, hoc fine vt coniux priuetur debito coniugali; licet non priuetur vere, nisi consentiret in talem susceptionem: Et de hoc impedimento mentionem faciunt omnes, vt Nau. Sylu. Caiet. locis supracitatis. Et omnes Summistæ.

7 Quintum crimen est interfectio sacerdotis. Qui enim sacerdotem interficit punitur hac pœna, vt non possit contrahere matrimonium absque dispensatione.

8 Sextum crimen est illud, propter quod fit pœnitentia publica, vt dicunt prædicti Doctores ex canonica lege.

9 Septimò ijs additur crimen, quod fit ab eo, qui scienter matrimoniũ contrahit cum moniali, vt referunt Nau. & Sylu. locis citatis.

10 Octauò ijs adde omne peccatum mortale, de quo ille, qui vult contrahere vel non rectè confessus est, vel saltem non habuit veram contritionem. Qui enim cum conscientia peccati mortalis recipit sacramentum matrimonij, sicut & aliud sacramentum, mortaliter peccat. Primò, quia facit iniuriam sacramento. Secundò, quia impedit gratiam, quæ per matrimonium illi daretur si non esset obex peccati.

11 Vltimò ijs omnibus potest & addi excommunicatio maior, vel minor. Quia excommunicatio, etiamsi fit minor, priuat à participatione passiua sacramentorum.

Sed pro maiori doctrina quæritur. Quinam possit in prædictis impedimentis dispensare? In capite enim antecedenti de singulo impedimento dirimente vidimus, & considerauimus; An Papa possit in eo dispensare? nec fecimus mentionem de Episcopo. Quia supposuimus de iure non posse Episcopum dispensare in impedimentis dirimentibus communiter loquendo, nisi in casu de quo Nauar. cap. 22. num. 85. Manu. Et diximus Papam posse in omnibus impedimentis dispensare, præterquam in impedimento erroris, quia error tollit consensum, sine quo non consistit, nec consistere potest matrimonium; & in impedimento cognationis naturalis quantũ ad primum gradum in linea recta, vel transuersali; & forsitan quantùm ad secundum in linea recta; ac in impedimento disparitatis cultus si consideretur matrimonium vt sacramentum; atque in impedimento ligaminis, nisi prius dissoluatur matrimonium contractum non consumatum; quod idẽ D. Thom. negat de impedimento impotentiæ. 12

13 Sed de impedimentis, quæ tantùm impediunt, quantùm ad dispensationem nunc est dicendum. Primò, quòd in impedimento Interdicti potest dispensare ille, qui illud posuit, vel eius Superior: non autem inferior. Vt si interdictum fuit positum à Curato in eo posset dispensare Episcopus; & Papa, & Curatus ipse: Si ab Episcopo, in eo potest dispensare Episcopus, & Papa; non autem Curatus.

Dicendum est secundo, quòd in impedimento sponsaliorum, nisi subsit legitima caussa, nec Papa, nec Episcopus, nec alius potest dispensare; quia tale impedimentum est de iure naturę. Si verò subest legitima caussa, Episcopus poterit dispensare. Vel etiam dicendum erit non esse necessariam di-

spen-

ſpenſationem, vt ſupra diximus, quando alter ſponſorum matrimonium cõtrahit cum alia perſona. 15

Dicendum eſt tertio, quòd in impedimento feriarum Epiſcopus poteſt diſpenſare: Et ita tenent omnes.

Dicendum eſt quartò, quòd quantũ ad impedimentum voti eſt difficultas inter Doctores, an Epiſcopus poſſit diſpenſare? Et ſi votum eſt de Religione, aut de caſtitate perpetua dicit Nauar. quòd Epiſcopus non poteſt in eo diſpenſare.

Dicendum 5. quòd in impedimento Catechiſmi poteſt Epiſcopus diſpenſare ſecundum omnes.

16 Dicendum vlt. quòd in omnibus impedimentis criminis poteſt Epiſcopus diſpenſare. Imò vbi nõ eſt conſuetum petere diſpenſationem non eſt peccatum matrimonium contrahere in illis ſine diſpenſatione; tutius tamen eſſet eam petere ſaltem per tertiam perſonam, vt inquit Nauarrus.

17 Sed quæritur primo. Vtrum, ſi duo matrimonium inuicem contraxerũt, inter quos deinde repertum eſt impedimentum dirimens matrimoniũ, propter quod iudicandum eſt, matrimonium non fuiſſe validum, & ideò requiritur diſpenſatio, quæ & fuit conceſſa à Sum. Pontifice; debeant iterum inuicem contrahere coram parocho, & teſtibus? Nauarr. in Man. cap. 22. num. 70. dicit Pium V. declaraſſe. Quòd quando matrimonium ſemel eſt contractum coram teſtibus, & Parocho, & factis prius denunciationibus non neceſſariò requiritur præſentia Parochi, & teſtium ſi deinde contrahendũ eſt matrimonium propter impedimentum dirimens repertum, de quo habita fuit diſpenſatio; ſed matrimonium poterit contrahi ſine teſtibus, & Parocho.

18 Quæritur 2. Vtrum, diſpenſatio habita in aliquo impedimento non ſupplicata veritate ſit valida; ſeu ſupplicata vna cauſſa, pro alia? Reſp. Negatiuè. Primò, quia ſemper cùm Papa cõcedit diſpenſationẽ dicit eam concedere ſi ſic eſt: Si videlicet ita eſt, vt ſupplicat? Secundò, quia Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 5. dicit, quòd ſi duo affines in gradu prohibito ſcienter contraxerunt, debent ſeparari ſine vlla ſpe diſpenſationis. Si verò ignoranter contraxerũt poterit cũ illis diſpenſari gratis. Si ergo quis ſcienter contrahens cum affine diceret, ſe petere diſpẽſationem in impedimento affinitatis, quia ignoranter contraxit cum affine, vel ſi taceret quòd ſcienter contraxiſſet, ſi daretur diſpenſatio, nulla eſſet.

CAP. V.

De debito coniugali.

1 *Debitum coniugale quid ſit.*
2 *Qui, & quando obligentur hoc debito.*
3 *Poſt duos menſes an teneãtur coniuges reddere hoc debitum.*
4 *Infirmus num excuſetur ab hoc debito.*
5 *Sitne reddendum ſemper modo naturali.*
6 *Prægnans num teneatur reddere debitum.*
7 *Tempore menſtrui num ſit reddẽdum debitum.*
8 *Tempore ieiunij num ſit reddendũ debitum.*
9 *Quo loco ſit reddendum.*

1 Debitum coniugale eſt copula carnalis, quæ eſt inter coniuges; & quæ dicitur debitum coniugale; quia illam coniux coniugi reddere debet.

2 Quæritur autem hic primo. Vtrum ſtatim poſt contractum matrimoniũ teneatur coniux reddere debitum cõiugi? Ad hoc reſp. D. Th. in 4. d. 32. Negatiuè.

gatiuè. Sed de iure ex lege canonica datur terminus duorum mensium, in quo non tenetur coniux reddere debitum coniugi statim post matrimoniũ propter tres caussas. Quarũ prima, & potissima est. Vt possit coniux, si vult, deliberare transitum de matrimonio ad Religionẽ. Diximus.n.supra, quòd ante consummationẽ matrimonij potest coniux, etiam nolente altero coniuge, de matrimonio ad meliorẽ Religionis frugem pertransire. Secunda caussa est. Vt possit cõmodius coniux eas quæ sibi videntur ad matrimoniũ necessaria, præparare. Sed hæc caussa magis valebat ante Conc. Trid. quãdo non fiebant publicationes: Nunc.n. talia videntur posse præparari dũ fiunt publicationes. Tertia caussa est. Ne maritus vilem habeat, quam non suspi rauit dilatam. Panor. vt refert Tabiẽ. in ver. Debitum coniugale. dicit termi num duorum mensium non debere intelligi ita determinatum, vt non sit in potestate Iudicis illum prorogare; quòd Paludanus forsitan dicit propter deliberationem ingrediendi Religionem: quia non semper tam breui temporis spacio potest quis ingredi Religionem; expectanda.n. est licentia Abbatis, aut Generalis, aut aliorum superiorum Religionis, quæ non semper quando quis vult haberi potest.

3

4 Quæritur 2. Vtrum. Infirmus teneatur reddere debitum cõiugi sano si petatur? Vel è contra. Vtrũ. Sanus teneatur reddere infirmo si petatur? Resp. D.Th. negatiuè. Quia obligatio reddẽdi debitum est intelligenda salua substantia, & sanitate vtriusque coniugis. Et si coniux habet morbum contagiosum non tenebitur non habens morbũ reddere debitum cum periculo sanitatis.

5 Quæritur. 3. Vtrum peccatũ sit reddere debitum modo innaturali? Resp. ex D. Thom. lo. cit. ex Caiet. in summ. ver. Matrimonialis vsus. Quòd si modus est adeò innaturalis, vt per talem nõ possit fieri generatio, est peccatum mortale. Item si est periculum effusionis seminis alibi, quàm in vase naturali.

6 Quæritur 4. Vtrum. Mulier grauida teneatur reddere debitum? Resp. Ex D.Th. & Caiet. affirmatiuè; si non est periculum aborsus: secus verò si est periculum ne fiat aborsus.

7 Quæritur 5. Vtrum. Tempore menstrui possit peti, & reddi debitum sine peccato? Caiet. dicit non esse peccatum mortale petere debitum tali tempore, quia aliquæ mulieres ferè semper patiuntur menstrua; quæ si tempore menstrui non tenerentur reddere debitum; ferè numquam tenerẽtur reddere debitum, vel ferè numquam posset ab illis pati. Melius tamen est tali tempore debitum nõ petere; quia periculum est ne filij monstruosi, aut imperfecti generentur.

8 Quæritur 6. Vtrum. Tempore ieiuniorum, aut in solemnitatibus liceat petere debitum? D. Thom. & Caiet. lo. cit. respondent. Quòd non est peccatum mortale tali tempore petere debitum; & si petatur tenetur coniux reddere. Quare omni tempore tenentur reddere debitum si solùm temporis circunstantia subsit.

9 Quæritur vlt. Vtrum. In omni loco teneatur coniux reddere debitum? D.Thom. & Caiet. lo. ci. dicunt. Quòd in loco sacro non debet reddi debitum: Quia fieret irreuerentia tali loco, & in signum huius pollueretur, ita vt reconciliatione indigeret si pollutio esset manifesta. Item si petatur publicè, non teneretur coniux reddere: Quia obligatio reddendi debitum intelligenda est salua debita honestate.

CA-

CAP. VI.

De separatione quę potest fieri inter maritum, & vxorem.

1 *Quot modis possit fieri separatio inter coniuges.*
2 *Quibus causis possit solui vinculũ matrimonij.*
3 *Fornicatio num sit sufficiens causa illius soluendi.*
4 *Quid si maritus mortuus denuò resurgat.*
5 *Matrimonium inter non baptizatos quomodo possit solui.*
6 *Matrimonium ratum non consumatum quomodo possit solui.*
7 *Ob quas causas possint coniuges separari quoad habitationem.*
8 *Ob hæc crimina teneanturne coniuges simul non habitare.*
9 *Causæ separandi coniuges quoad thorum.*
10 *Adulter num possit sine peccato petere debitum.*
11 *Non adulter vtrum teneatur nõ reddere.*

1 IN hoc capite quæritur primo. Quot modis possit fieri separatio viri ab vxore in matrimonio? Resp. Secundum communem Doctorum opinionem, quòd tribus modis. primo modo quantùm ad uinculum. Secnndo. Quã-tum ad cohabitationem. Tertio modo quantùm ad thorum. Primo modo dicitur fieri separatio quando maritus non est amplius ligatus vxori, & potest cum alia contrahere. Secundo modo fit separatio quoad habitationem, ita vt coniux non teneatur simul habitare eum coniuge. Tertio denique modo separatio fit quoad thorum, ita vt coniux non teneatur reddere debitum coniugi. Hos tres separationis modos ponunt Scholastici in 4. sent. Summistæ in ver. Diuortium, & Nauarrus in Man. cap. 22. num. 21.

2 Quæritur 2. quibus de caussis possit fieri separatio in matrimonio quantùm ad vinculum, seu ligamen, ita vt coniux possit cum alia persona contrahere matrimonium?

Ad hoc dico primò, quòd si matrimonium fuit validum, & inter Christianos, seu baptizatos, & consummatum, non potest in eo fieri separatio per aliam caussam, quàm per mortem naturalem. Nam pro maxima circa hoc habetur verba illa Genes. in principio. Quod Deus coniunxit homo nõ separet; quæ & repetuntur in Euangelio, & quæ intelligenda sunt de perfecta coniunctione viri, & fœminæ; quę est per matrimonium consummatum. Et in hoc conueniunt omnes Doctores, quòd videlicet tantùm mors naturalis possit esse legitima caussa, dissoluendi matrimonium quantùm ad vinculum, si est consummatum, ex communissima omnium catholicorum Doctorum opinione, vno Caietano excepto, qui in illis verbis Euangelij: Quicunque dimiserit vxorem suam; & aliã duxerit excepta fornicationis causa, &c. dixit. quòd si auderet se opponere contra torrentem Doctorum diceret, propter fornicationem posse dissolui matrimonium quoad vinculum propter verba Christi, quæ id sonare videntur; & quia idem videtur dixisse D. Ambros. sed verba Christi intelligenda sunt de separatione quoad thorum, vel cohabitationem, vt exponunt omnes Catholici Doctores. Et D. Ambr. vt dicit Mag. sentent. in suo textu quantùm ad hoc fuit ab Hæreticis deprauatus. Quare sententia Caietani non est audienda. Sit ergo hæc catholica determinatio sequenda.

3 Quòd

Quòd videlicet mors naturalis, & nihil aliud, possit dissoluere vinculum matrimonij.

4 Sed dicet quis. Si Petrus vxoratus moreretur, & Catherina eius vxor cũ alio contraheret, & deinde Petrus à mortuis resurgeret, deberetne Catherina manere cum Petro? Sylu. ver. Diuortium. §.5.& Palud.in 4.sent. dicũt. quòd Catharina deberet manere cum secundo marito. Nam per mortem Petri fuit soluta à lege viri, vt innuit D.Paul.ad Rom.7. dicens. Mulier viuente viro alligata est legi; Si autem mortuus fuerit vir eius soluta est à lege viri. Et si nõ contraxisset cum alio, si vellet cohabitare cum Petro, quia resurrexit, teneretur iterum contrahere cum Petro.

Rursus dicet quis. Si presbyter moreretur, & resurgeret, essetne presbyter? Et si habebat curam animarum, vel Episcopatum deberetne redire ad suam Curam, & Episcopatum?

Ad hoc respõd. prædicti DD. quòd esset presbyter, & Episcopus propter characterem indelebilem, propter quem est sacerdos in æternum, non tamen esset Curatus, nec deberet redire ad Episcopatum, nisi denuò illi conferatur Cura, vel titulus Episcopatus; quia Ecclesia curata, vel episcopalis, vel cuiusuis alterius tituli est veluti sponsa titularis, & ideò amittitur per mortem naturalem. Quomodo autem coniugatus possit fieri religiosus, vel suscipere ordinem sacrum diximus capite 3. istius Partis circa impedimentum voti.

5 Dico secundo, quòd si matrimoniũ est validum, sed inter non baptizatos, datur alia caussa, propter quam in eo potest fieri separatio præter mortem naturalem: Et hæc est. Cõuersio vnius ad Religionem christianam per susceptionem Baptismi; Et de hoc fusè diximus in dicto capite 3. circa impedimentum disparitatis cultus.

6 Dico 3. si matrimonium fuit validũ ratum, sed non consummatum dantur etiam aliæ duæ caussæ, propter quas potest in eo fieri separatio, Idest votũ solemne per professionem in Religione approbata, & de hoc fusè diximus dicto cap.3. circa impedimentum voti. Et dispensatio facta per Sum. Pontificem, vt tenent Canonistæ, & vt dicit Nau.in Man.c.22.n.21.licet Theologi putent, Papam non posse in Matrimonio rato dispẽsare; vt D.Th.& Sot. in 4. sent. Excipitur tamen Caiet. qui in Opusc.sequutus est opinionem Nauarri, Et Michael Med. vt refert Nau. lo.cit. Ego dicerem, Papã posse dispensare in matrimonio rato concurrentibus duobus; idest consensu vtriusque coniugis; & vrgentissima caussa. Et Nau. dicit ad petitionem suam dispensasse Paul.3. & Pium 4. in tali matrimonio: Quod intelligendum est factum fuisse concurrentibus dictis duobus.

7 Quæritur 3. quibus de caussis possit fieri separatio in matrimonio quoad habitationem? Respond. ex communi Doctorum opinione, quòd primo potest fieri talis separatio si coniux machinetur in mortem coniugis, nec possint simul cohabitare sine periculo mortis corporalis.

Secundò, si coniux tentat inducere coniugem in peccatum adulterij, vel aliud: quia si ad euitandum periculum mortis corporalis talis potest fieri separatio, multo magis potest fieri ad periculum mortis animæ euitandum.

Tertiò, potest fieri separatio si alter coniugum est adulter, & adulterium est manifestum, & publicum. Vel si intercedat sententia Iudicis, nã sine sententia Iudicis si adulteriũ non est manifestum, non potest fieri separatio in matrimonio quoad habitationẽ propter adulterium.

Quar-

Quartò, propter adulterium, ideſt propter hæreſim, quæ eſt fornicatio ſpiritualis. Addit Nau. cap. 22. Man. num. 22. propter furtum, ſi videlicet maritus eſt fur, vbi & citat Paludanum.

8 Sed dices. Teneturne coniux diſcedere à coniuge propter talia crimina? Reſpond. quòd quando eſt periculum animæ tenetur. Quando verò tantùm fit propter fornicationem corporalẽ tunc tenetur coniux diſcedere, quando niſi diſcedat exiſtimabitur conſentiens in crimine adulterij, vel quando propter diſceſſum ſperaretur correctio adulterij.

9 Quæritur 4. Quibus de cauſſis poſſit fieri ſeparatio quantùm ad thorum? Reſpond. quòd duabus. Primò, propter fornicationẽ, etiamſi non ſit notoria, & etiam ſine ſententia Iudicis: concurrentibus his. Primò, quòd ille, qui non vult reddere debitum propter fornicationem; certò credat coniugem fornicatum fuiſſe, vel id ſciat. Secundò, quòd ipſe non ſit adulter. Tertiò, quòd ſi coniux fornicatus eſt, illa fornicatio ſit peccatum: Nam ſi per vim fornicatus eſſet, vel per coactionem abſolutam, non ideò perderet ius petendi debitum: Secus per coactionem conditionatam; Vel ſi mulier credens maritum eſſe mortuum cum alio contraxiſſet, & cum eo non habuiſſet rem poſtquàm cognouit primũ maritum adhuc viuere: Secus ſi poſtquàm cognouit eum viuere copulam habuit cum ſecundo. Quartò, quando coniux non proſtituerit coniugem.

10 Sed dices, poteritne adulter abſque peccato petere debitum ab eo, qui nõ eſt adulter? Reſp. quòd poteſt ſine peccato, ſed non de iure: quia licet amiſerit ius petendi, non tamen amiſit ius rogandi, vt ait Nauarr. loco citato.

11 Dices ſecundo. Tenereturne non adulter non reddere debitum ſi ab eo peteretur? Reſpond. quòd ſi ex non redditione debiti ſperatur correctio adulteri, tenetur non reddere: Si verò non ſperatur, poterit reddere ſi voluerit, niſi ſit cauſſa ſcandali, quia forſitan homines propter redditionem debiti putarent eam conſenſiſſe in adulterium.

Altera cauſſa eſt propter morbum contagioſum; puta propter peſtem, vel morbum gallicum vt dicunt Doctores: Licet Nau. dicat cap. 22. Man. nume. 22. propter morbum gallicum non poſſe negari debitum: quia cap. Vxorem. 22. quæſt. 5. non poteſt quis negare debitum propter lepram. Sed non eſt par ratio de lepra, & morbo gallico; quia lepra non eſt morbus contagioſus.

Atque hæc ſufficiant de matrimonij Sacramento ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Beatiſſimę Virginis, ac Sancti Io. Bapt. & omnium Sanctorum.

FINIS.

MEDIOLANI,

Apud Iohannem Iacobum Cumum. M. DC. XXII.

SVPERIORVM PERMISSV.